



# HISTORIA ECCLESIASTICA VETERIS TESTAMENTI, IN REM THEOLOGIÆ CANDIDATORUM,

Per sex Mundi Ætates ab Orbe condito ad Natale usque JESU CHRISTI SALVATORIS nostri, continentis ordine producta, variisque colloquiis digesta, ubi Res præcipue, quæ ad Historiam, Dogmata, Legem, Chronologiam, & Disciplinam Hebraeorum spectant, per breves Interrogationes & Responsones perstringuntur, & in præclaro ordine collocantur.

## PRÆFATIO, ET INSTITUTI OPERIS RATIO.



UM mihi gratulari incipiebam, quod ex immenso, & innumeris infesto scopolis, ad quos non offendere, non allidi difficillimum est, Historiæ Ecclesiasticæ pelago, cui me commiseram, haud infeliciter enavigassem, jamque portum tenens, diu exoptato otio deinceps fruiturum me sperabam; Ecce subito amici aurem meam vellicare, meque ad solitum laborem revocare cœperunt. Heus tu, dixerunt, quorsum, post illam, quam a Christo nato usque ad nostram memoriam nuper in lucem emisi, Historiam Ecclesiasticam, vis intempestivo indulgere otio, & porrectis peditibus in utramvis dormire aurem? Numquid vides, Ecclesiæ Historiam, quam a Christo nato lucubrasti, mancam & imperfectam fore, nisi ei adjicias Veteris Testamenti Historiam Ecclesiasticam, quæ tam arctam cum His-  
Hest. Vet. Test. Tom. I. A storia

*Historia Ecclesiæ, quam Christus acquisivit Sanguine suo, affinitatem & connexionem habet, ut si id genus argumenti intactum omnino prætermittas, aliquid tuis lucubrationibus, iam publica luce donatis, deesse jure optimo querantur Lectores? Historia quippe Ecclesiastica Veteris Testamenti, tota quanta est, recta collimat & ordinatur ad Jesum Christum, verum Messiam, qui est finis & plenitudo totius Legis, quem Patriarchæ expectarunt, quem Prophetæ prædixerunt, in quem venturum antiqui justi crediderunt, quem postremo Legis Mosaicæ figuræ, Ceremoniæ, Ritus, Sacra menta, Sacrificia, Festa, aliaque id genus Hebreorum monumenta adumbrarunt, & quasi digito commonstrarunt. Macte itaque animo, & abjecta omni mora, Veteris testamenti Historiam Ecclesiasticam, seu res ab exordio Mundi usque ad Natale Christi Domini Sacris Litteris editas, compendiose describendi novum, quod tibi imponimus, alacri animo suscipe onus, ut hoc pacto perfecta, omnibusque suis numeris absoluta evadat illa, quam concinnasti, Historia Ecclesiæ, que a Christo Domino instituta perpetuo est duratura. His amicorum pulsatus machinis, non statim morem gessi, sed potius ab hoc literario suscipiendo negotio abhorrens, mihi que dumtaxat ac Musis intra sipparium canere tutius, ac opportunius ducens, moras consulto neccebam, meque tam alto mari permittere non ausus, pedem retrahere cogitabam. Videbam siquidem argumentum varium pariter ac vastum, quod in amplissimum volumen esset evasurum, si justa cura, ut par erat, tractaretur. Sciebam etiam, bene multos hujus tempestatis Scriptores, magno & excellenti ingenio præditos, & Linguarum exoticarum peritissimos, eamdem Spartam suscepisse, eamque tanta cum nominis sui laude exornasse, ut omnes palmam promeriti, nihil novi eo de argumento scribendum aliis reliquerint, ac subinde nihil reperiebam, in quo mens mea libentius conquesceret, quam in tranquillo otio, ad quod secesseram, & in arcanis atque dulcissimis cum solo Deo colloquiis, quibus quidquid superest vitæ meæ (superest autem vix brevis palmus) consecrare animus erat. Verum, sic me hærentem cum saepius rogarent, & tantum non increparent amici, tandem pollicitus sum, me hoc Opus, meis licet viribus impar, divinæ gratiæ adjutum præsidio, illico aggressurum, & ne viderer malæ fidei sponsor, cœpi præcipiti calamo quædam in chartis annotare velut usui futura, si quando forte daretur voluntas vel facultas Operi ultimam manum admovendi. Contigit autem, ut non multo post has meas recolligendo schedas, easque attenuori animo lectitando, vehemens incesserit animum libido perficiendi istud jam a me delineatum Opus, eo vel solo nomine, quod Veteris testamenti Historia nullo pacto ab Historia Ecclesiæ, quam Jesus Christus in nova Lege instituit, separari debeat, cum certum sit, justos, qui ab exordio Mundi*

vixe-

vixerunt usque ad Legem Evangelicam , credidisse in Christum venturum, ac subinde pertinuisse ad Ecclesiam Christi , quemadmodum inter alios Sanctos Patres diserte docet multis in locis *Sanctus Augustinus*, sed præsertim capit. 4. lib. 3. ad *Bonifacium* contra duas Epistolas Pelagianorum, ubi de justis Veteris Testamento loquens, hæc habet : *Ex Fide, qua nos vivimus, una eademque vixerunt, Incarnationem, Passionem, Resurrectionemque Christi credentes futuram, quam nos credimus factam.* Hinc est, quod *Eusebius Episcopus Cæsariensis*, lib. 1. Historiæ Ecclesiasticae capit. 4. illos omnes, qui in Veteri Lege testimonio justitiae fuerunt probati, appellat non quidem nomine, sed re, Christianos, eosque ad Novum Testamentum , seu ad Ecclesiam Christi Domini pertinuisse affirmare non dubitat . Quam doctrinam Apostolus *Paulus* Epistola 1. ad Corinthios capit. 10. non obscure expressit his verbis: *Nolo vos ignorare, Fratres, quoniam Patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes Mare transferunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube, & in Mari, & omnes eamdem escam spiritualem manducaverunt, & omnes eundem potum spiritualem biberunt ( bibeant autem de spirituali consequente eos petra, petra autem erat Christus).* Ne igitur quidquam in ea , quam jam publicavi, Historia Ecclesiæ, a Christo Domino in nova Lege institutæ, Lector desiderare posset, necessarium esse duxi, Historiam Ecclesiasticam Veteris Testamenti breviter constringere, eamque variis colloquiis digestam cum distinctione temporum describere per sex Mundi Ætates, quæ ab Orbis conditu usque ad Natale Christi Domini interfluxerunt . Prima Mundi Ætas putatur a creatione Mundi usque ad Diluvium universale . Altera Mundi Ætas exordium habet a Diluvio , & protenditur usque ad Vocationem Abrahami . Tertia Mundi Ætas auspicatur a Vocatione Abrahami , & producitur usque ad profectionem Populi Israelitici ex Ægypto . Quarta Mundi Ætas dicit initium ab egressione Populi Israelitici ex Ægypto , & durat usque ad quartum annum Regni *Salomonis*, quo ab eodem Rege jacta sunt Templi Hierosolymitani fundamenta . Quinta Mundi Ætas excurrit a constructione Templi Hierosolymitani usque ad Captivitatem Babylonicam . Sexta Mundi Ætas orditur a laxata captivitate Babylica , & completur in Natali Christi Domini , veri Messiæ , & totius Mundi Salvatoris . Dabo autem operam, ut ea, quæ circa illas sex Mundi Ætates, five ad Historiam, five ad Critices , & Chronologiæ Disciplinas , five ad Doctrinam , mores , ritusque Hebræorum pertinent, quæque vel in Sacris Libris, vel in multis peritorum hujus Ætatis Scriptorum voluminibus perscripta continentur, attingam, eademque opera explodam fabulas , quas Historici prophani circa istas sex Mundi Ætates commenti sunt,


ita ut tamen a prolixioribus disputationibus, quæ homines plerumque meliores non reddunt, consulto abstineam, meque semper intra præscriptos brevitatis limites contineam. Cæterum, quod ad hujus Operis, quod molior, spem attinet, si minus contingat eruditorum calculis approbari, illud fortassis efficiet, ut Theologiæ Candidati (quibus opem ferre vehementer desidero, quæ sit illis non minus utilis, quam jucunda) ad universam Veteris Testamenti Historiam in fonte legendam, quasi additis stimulis, provocentur, intelligentque, mihi saltem non defuisse voluntatem præstandi promissi, si par animo fuisset facultas, indeque confido, ut istud qualecumque Opus, ad promovenda eorum studia subcisisvis horis a me lucubratum, boni consulant, & sicubi conatum nostrum vires destituant, promptam, quam habui, voluntatem utilitati eorum consulendi, & ad discendam Historiam Ecclesiasticam Veteris Testamenti compendiariam viam illis parandi, pro officio interpretentur.





# HISTORIA ECCLESIASTICA PRIMÆ MUNDI ÆTATIS,

*Quæ incipit a creatione Mundi, & protenditur usque ad Diluvium universale.*



Istoria Ecclesiastica primæ Mundi Ætatis complectitur omnia, quæ spectant Mundi creationem, felicissimum Adami, primi omnium hominum parentis, statum ante peccatum; deploratissimam itidem ejusdem Adami sortem post peccatum: insuper res gestas Patriarcharum, qui vixerunt ante Diluvium universale; miseras & calamitates, quas in totum genus humanum invexit primigenia Adami labes, necnon horrenda flagitia, quibus ejus posteri inquinati iram Dei provocarunt, & per Diluvium universale fuerunt ab ipso puniti. Circa hæc præcipua capita Historiæ Sacrae a creatione Mundi usque ad Diluvium, quod in universam terram grassatum est, plura Scripturæ Sacrae Interpretes Dubia ventilare solent, quæ nos brevitate, quoad ejus fieri poterit, cum claritate conjuncta, expendere ac dilucidare satagemus in tribus Colloquiis, quæ in Historiam hujus primæ Mundi Ætatis instituemus, & in quibus, juxta methodum, quam in describenda Historia Ecclesiæ, quam Jesus Christus in Nova Lege instituit, tenuimus:

Interlocutores erunt MAGISTER, ac DISCIPULUS. In primo Colloquio differemus de his, quæ ad creationem Mundi, & ad statum Adami innocentis pertinent, ibidemque male consarcinatas repudiamus fabulas, & errores, quos circa primi hominis, Mundi, & animalium creationem excogitarunt Scriptores prophani. In altero Colloquio discutiemus nonnullas difficultates, quas Theologi de statu Adami post peccatum proponunt, iisque breviter faciemus satis. In tertio denique Colloquio perstringemus Vitas, seu res præclare gestas Patriarcharum, qui a creatione Mundi vixerunt usque ad Diluvium, atque veram Chronologiam, quæ in subducendis annis horumce Patriarcharum, cæteris calculis præponi debeat, indicabimus.

# HISTORIA ECCLÆSIASTICA



# C O L L O Q U I U M

## P R I M U M.

In quo singula, que ad Mundi creationem, & Adami innocentis statum pertinent, explanantur,  
& fabule, ac errores, quos circa primam Mundi Ætatem procuderunt Scriptores  
prophanii, exsufflantur.

MAGIST.



Undum intra sex die-  
rum spatiū conditum  
esse narrat Scriptura  
Sacra. Prima die crea-  
vit Deus Cœlum, Ter-  
ram, ac Lucem. Se-  
cunda die fecit Fir-  
manentum, & divisit  
aqua, quæ erant sub Firmamento, ab his, quæ  
erant super Firmamentum. Tertia die congregavit  
aqua, quæ erant sub Firmamento in uuum lo-  
cum, terraque, recedentibus aquis, exsiccatam,  
herbarum, stirpiumque viriditate vestivit, jussitque  
ut arbores fructusque produceret. Quarta die So-  
lem, ac Lunam Stellasque collocavit in Cælo, ut  
præcessent diei ac nocti, & ut essent in signa, in  
tempora, dies & annos, atque lucerent in Fir-  
mento Cæli, & illuminarent terram. In quinta  
die Deus Pices in Mari, & Volucres in aere  
procreavit. In sexta die produxit animantia su-  
per terram, & præfertim hominem, quem e limo  
terræ finxit, a terra *Adamum* appellavit, ad ima-  
ginem suam formavit, eumque in hunc Mundum  
induxit, quasi in domum jam paratam & instru-  
ctam; illius enim causa facta sunt omnia. Deni-  
que, septima die cum perfectum, omnibusque  
suis numeris absolutum esset totius Mundi opif-  
cium, quievit Deus, & cuncta, quæ fecerat opera  
tanquam valde bona approbavit. Hac sunt in  
summa, quæ de creatione Mundi, seu de sex die-  
rum opificio refert Scriptura Sacra Cap. 1. Libri  
Genesios.

Hanc compendiosam de creatione Mundi histo-  
ricam narrationem, a *Moyse* loco mox a me lau-  
dato descriptam, paucis nunc Observationibus, ne  
longior sim quam postulat mei instituti ratio, il-  
lustrare permisum. In primis, certum est, hunc  
Mundum, non ex aliqua præacente materia, sed  
ex nihilo ab omnipotenti Deo conditum fuisse.  
Hinc damnari merito debent Poetae, qui (teste  
*Lactantio* lib. 2. *Institutionum Divin.* cap. 9.)  
ajunt, *Chaos in principio fuisse, idest, confusione*  
*rerum atque elementorum; postea vero Deum dire-*  
*misse omnem illam congeriem, singulisque rebus ex*  
*confuso acervo separatis, in ordinemque descriptis,*  
*instruxisse Mundum pariter & ornasse.* Quibus fa-  
cile est respondere potestatem Dei non intelligentibus,  
quem credunt nihil efficere posse, nisi ex materia sub-  
iacente ac parata, in quo errore etiam Philosophi fue-  
runt.... Deus facit sibi ipsi materiam, quia potest.  
Posse enim Dei est, nam si non potest, Deus non est.  
Homo facit ex eo, quod est, quia per mortalitatem  
imbecilis est, definitæ ac modica potestatis. Deus  
autem facit ex eo, quod non est, quia per æternitatem  
fortis est, per fortitudinem potestatis immense, que

fine ac modo caret, sicut vita factoris. Quid ergo mi-  
rum, si facturus Mundum, prius materiam de qua  
facaret, præparavit ex eo, quod non erat? quia nefas  
esset, Deum aliunde aliquid mutuari, cum in ipso,  
vel ex ipso sint omnia. Nam si est aliquid ante il-  
lum factum, & quidquam non ab illo factum est,  
potestatem Dei & nomen amittet. Hoc egregio La-  
etantiæ testimonio facile refelluntur non solum  
Ethnici Poetae, ac Philosophi, sed etiam quidam  
Hæretici, quos cum *Hermogene* effutire non puduit,  
Materiam esse ingenitam, æternam, & Deo co-  
vam, vel cum Hæretico *Davide de Dinando*, Disci-  
pulo *Almarici*, Deum esse materiam primam; quo  
commento quid absurdius insulsiusque excogitari  
possit, certe non video. (a)

(a) Inter Christianos, qui mundi æternitatem  
asseruisse visi sunt, censetur etiam *Andreas Cæ-*  
*salpinus Aretinus in quest. Peripateticis*, *Claudius*  
*Perigardus in circulo Pisano*. In eam pariter suspi-  
cionem venit *Petrus Ponponiacus*, quanquam ex  
Aristotelis mente, non ex sua sententia id se  
defendere affirmavit, sicut *Joannes Clericus de*  
mundi creatione ex nihilo recta quidem pronun-  
cians, sed verbum *creavit* quo Scriptura utitur,  
ad alium plane sensum totis viribus detorquet in  
Comment. in Genes. cap. 11.

De anni tempestate, qua conditus est Mundus,  
non convenit inter omnes Scripturæ Sacrae Inter-  
pretes. Alii existimant, Mundum fuisse creatum  
in Autumno, qui fructibus abundat. Probabilius  
quippe videtur, Deum, cuius opera perfecta sunt,  
Mundum creasse in Autumno fructifero, quam in  
Vere dumtaxat florido. Præterquamquod, annus  
antiquus apud Hebræos (ante eorum profecitionem  
ex Ægypto) auspiciabatur ab Æquinoctio Autumnali,  
immo inde incipiebat anni Sabbatici, & Ju-  
bilæi, annusque Civilis Hebræorum. His conje-  
cturis nituntur multi Scripturæ Sacrae Interpretes,  
quibus hæc probatur sententia. Alii vero non mi-  
nus eruditæ Scripturæ Sacrae Interpretes, quorum  
sententiae utroque pollice subscribo, autumant,  
Mundum fuisse Verno tempore conditum, tum  
quia omnia Verno tempore renovantur; tum quia  
in Æquinoctio Vernali Orbis fuit reparatus, cum  
Christus Dominus, sicut alibi ostendimus, mor-  
tuus sit ad redimendum genus humanum die  
mensis Martii. Nec tamen desuerunt pri-  
mis Parentibus nostris fructus, sicut & animalibus  
herba, quibus vescentur, quamvis Mundus fue-  
rit Verno tempore conditus, quia in locis tem-  
peratis, in quibus primum hominem, primaque ani-  
mantia terrestria creavit Deus, plures fructus in  
Vere, & salubrium herbarum copia suppetit. Addi-  
etiam potest, Adamum in Paradiso terrestri posi-  
tum fuisse, ubi semper erant arbores fructiferae.

Denique, Hebræi, antequam egrederentur ex Ægypto, anni exordium duxerunt quidem ab Æquinoctio Autumnali, sed ejusmodi anni Hebræorum inchoationem reformativit Deus, præcipiens in Libro Exodi, ut anni initium sumeretur ab Æquinoctio Vernali. Hanc sententiam de creatione Mundi Verno tempore conditi tanquam probabiliorem amplectuntur non solum inter Judæos periti Rabbini, sed etiam multi SS. Patres, præsertim *Cyrill. Herosolymit.* Cathech. 14. *Ambrosius*, lib. 1. Hexameron cap. 4. & *Theodoretus* in *Exodus* quest. 72. ubi hæc habet: *Propterea quod eodem fere tempore* (seu Verno) *Deus* *creaturas condidit*; *cui rei fidem facit arborum germinatio*. *Incipiente enim Vere, prata florere solent, segetes semina concipiunt, arbores fructum emittunt*. *Ea de causa Deus etiam sub idem tempus liberavit Populum Israël a servitute Ægyptiorum*. Et *Gabriel Archangelus Sanctæ Virgini Marie latum nuntium admirandi partus attulit*. *Eodem quoque tempori Christus Dominus salutarem pertulit passionem*. Deus igitur Verno tempore condidit Mundum, non quidem propter se illum fecit Deus, quia commodis ejus non indiget, sed propter hominem, qui eo utitur; hominem tamen Deus creavit propter se, scilicet (sunt verba *Lactantii* lib. 7. *Institutionum Divin.* cap. 5.) *ut esset qui opera ejus intelligeret, qui providentiam disponendi, rationem faciendi, virtutem consummandi, & sensu admirari, & voce proloqui posset*. *Quorum omnium summa hæc est*, ut Deum colas. *Is enim colit, qui hæc intelligit: is artificem omnium rerum, ii verum patrem suum debita veneratione prosequitur, qui virtutem majestatis ejus de suorum operum inventione, inceptione, perfectione metitur*. *Quod planius argumentum proferri potest, & Mundum hominis, & hominem sua causa Deum fecisse*, quam quod ex omnibus animalibus solus ita formatus est, ut oculi ejus ad Cælum directi, facies ad Deum spectans? ut videatur hominem Deus, quasi porrecta manu elevatum ex humo ad contemplationem sui excitasse. Notat porro Moyses, hominem sexta die creationis Mundi fusile a Deo creatum, ex quo facile colligitur, totum Mundi opificium per intervallum sex dierum naturalium esse a Deo perfectum. Id etiam aperte declarat idem Sacer Auctor in ea, quam describit, historica Mundi narratione, ubi sex Mundi creationis dies distincte, & articulate enumerat, singulorum definit spatia, & quidquid operis in unoquoque die molitus sit Deus, accurate exponit. Memorat insuper Moyses præceptum a Deo datum observandi Sabbatum, quia, sicut Deus Mundum, & omnia, que in eo continentur, sex diebus elaboravit, septimo autem die requievit ab omni opere, idest, nova condere cessavit: ita Judæi sex diebus laborare possunt, die autem septimo ab omni opere servili ac labore debent in integrum abstinere. Quæ certe Moysis ratio, ut nemo non videt, nullius ponderis esset, si Deus unica die, vel unico momento totum Mundi opificium absolvisset, sicut visum est *Sancto Augustino*, qui docet, sex illos dies, quibus Mundum conditum esse narrat Moyses, non in sensu proprio & naturali accipi debere, sed in sensu mystico ac figurato, seu per diem intelligi oportere cognitionem Angelicam, ita ut prima dies sit cognitio primi ope-

ris, quam habuit Angelus: secunda dies sit cognitio, quam Angelus habuit, secundi operis, & sic de aliis diebus. Quo fit, ut apud *S. Augustinum* distinctio dierum creationis Mundi sumatur non secundum successionem temporum, sed secundum ordinem rerum cognitarum ab Angelis. Isti autem dies dicuntur constare Vespere & mane, idest, cognitione Vespertina & Matutina, quia Angeli duplii possent rerum cognitione, una videlicet, quæ est obscurior, & qua cognoscunt res in se ipsis: & ista Angelorum cognitione vocatur *Vespertina*: Altera cognitione rerum, quam habent Angeli, clarior est, & ideo appellatur *Matutina*, per quam cognoscunt res non in se ipsis, sed in Deo, seu in Verbo Divino, tanquam in causa rerum omnium. Hæc est Sententia *S. Augustini*, quam *S. Thomas* Primæ Partis suæ Summæ Tripartitæ q. 74. art. 2. & aliis sequentibus expedit, eique nullam erroris notam, ob reverentiam Aquilino huic Doctori de Ecclesia optimo merito debitam, inuri debere censem; quamvis inclinet ad communiorum Sanctorum Patronum opinionem, quæ tenet, sex istos dies, quos tam distincte dinumerat Moyses, esse veros & naturales dies. Nec enim credibile est, *Moysen*, sapientissimum Legislatorem, voluisse in ea, quam texit, historica creationis Mundi narratione designare Hebræis, qui erant omnino rudes & illiterati, dies non veros, & naturales, sed mysticos & figuratos, per quos intelligere deberent cognitiones vespertinas & matutinas Angelorum, quæ a subtilioribus etiam Theologis vix hodie capi & intelligi possunt, necdum dilucide explicari.

Sunt quidam Theologi, & Scripturæ Sacra Interpretes, qui autem sunt, Moysem, rerum creationem recensentem, ideo Angelorum creationem altissimo obruisse silentio, ut Hebræorum saluti consuleret, cum illos magnopere rudes, & ad Idolatriam impense proclives intelligeret, atque adeo, qui si creationem tam præcelentis & sublimis substantiæ audirent, eam cultu latriæ, divinique obsequiis adoraturi essent. Creationem itaque Angelorum suppressit Moyses, ne scilicet tam immane scelus Hebræi perpetrarent. Verum, hæc sententia (ut cum venia dicam) jejuna ac frigida multis nominibus mihi semper via est. Nam primo constat, Moysem sæpe numero in quinque Libris Pentateuchi, ab ipso exaratis, meminisse Angelorum, eorumque ministeria ac præsidia creberimmo expertosuisse Hebræos. Præterea, doctrina, quæ Angelos facit a Deo creatos, augustinam facit Dei amplitudinem & potentiam, & elevat ac extenuat Angelos, quo licet inter creatures sublimi & excelsi loco reponat, creatures tamen esse fatetur, & a Deo in immensum distantes; proindeque Angelorum creatio homines ab eorum cultu potius abducere & avocare, quam ad illam allucere & adducere potest. Nihil ergo Idolatriæ periculi erat, quod pertimesceret Moyses, si recensuisset creationem Angelorum. Rejecta itaque hac opinione ego sic mecum reputo, ob hanc potissimum causam præterisse Moysem de creatione Angelorum aperte scribere, quod aliena prorsus a suo scopo esset, quippe

quippe qui Genesim dumtaxat rerum quæ pertinent ad hunc visibilem & aspectabilem Mundum describendam suscipiebat. Quorsum igitur creationis Angelorum, qui sunt omnino spirituales & incorporei, meminisset Moyses? His adde, quod si Moyses conditionem & ortum Angelorum, exposuisset, eadem opera peccatum Dæmonum, qui Deo contumaces, & perduelles extiterunt, ei explicandum suisset, quod tamen, cum ab illo, quem sibi propofuerat, scopo videretur, alienum, consulto & prudens omisit, ne historicam de hujus Mundi sensibilis creatione narrationem inutilibus parergis interrumpet, & ullam infidelibus occasionem daret, Historiam, quam scribebat fugillandi, eamque, velut scopam dissolutam, & arenam sine calce contumeliose exibilandi.

DISCIP. Mundum a Deo conditum esse, si divina non persuaderet auctoritas, ipsa tamen sola Mundi per se se edoceret contemplatio. Si quis enim adeo stupidus esset, ut cum Epicureis assertere vellet, Mundum nihil aliud esse, quam corpusculorum acervum, sine vita, sine providentia, sine ratione, casu & temere conflatum, hunc errantem facile revincere posset admirabilis hujus Mundi structura, & partium ejus, ac sapientissima rerum omnium dispositio, quæ non casus, & fortuiti atomorum stupidarum concursus, sed solius dumtaxat supremæ rationis, omnia scite & ordinate disponentis, potest esse opificium. Verum, et si ratio naturalis Mundum a Deo conditum esse aperte doceat, quia tamen plus momenti ac ponderis habet divina auctoritas, quam quolibet argumentum & ratione naturali peritum, vehementer optarem, ut paucis ostenderes, hunc librum *Genesim*, in quo Historia de creatione Mundi describitur, divinam habere auctoritatem, eumque revera scriptum esse a *Moysi*, antiquissimo Judæorum Legislatore. Audivi enim nuperrime, esse nonnullos, qui hunc librum *Geneseos* non a *Moysi*, sed longe post tempora Moysis scriptum esse pertendebant.

M. Solis Athei, Infideles ac viri quidam increduli, ficulneis adducti conjecturis, negant, *Moysen* esse auctorem libri *Genesim*, quorum deploratam cœcitatem nihil plane morari debemus, cum perpetua sit, & ab antiquissimis temporibus sibi semper constans tam Judæorum, quam Samaritanorum & Christianorum omnium sententia, *Moysen* esse verum Auctorem totius Pentateuchi, ita dicti, quod quinque istos libros complectitur, videlicet libros *Genesim*, *Exodi*, *Levitici*, *Numerorum*, & *Deuteronomii*. Hos, inquam, quinque libros esse germanos & genuinos Moysis fœtus una semper fuit sententia omnium Judæorum, quibus, circa libros, quos exaravit Moyses, eorum Legislator, par est ut eamdem fidem præstemos, quam adhibuerunt semper honiæ populis illis, qui de Legislatorum suorum Legibus locuti sunt, quales fuerunt *Lacædemonii*, qui Leges a *Lycурго* se accepisse profitebantur, & *Atheniensis*, qui suarum Legum Auctorem agnoscebant *Solonem*. Immo, sicut nemo impræsentiarum audet in dubium revocare, harum Legum conditores esse *Lycurgum* ac *Solonem*, tametsi non existant amplius illi populi, qui Legibus *Lycurgi*, & *Solonis* antiquitus regebantur; ita

nullus vir prudens in dubium nunc vertere debet, an Judæorum Lex, quinque mox laudatis Pentateuchi libris comprehensa, conscripta fuerit a Moysi, eorum Legislatore, cum tota Natio Judaica, per totum Orbem dispersa, quinque illos libros Moysi adjudicet, eosque tanta cum follicitudine & veneratione conservet. Quod sane absque singulari divinae providentiae beneficio fieri non potuisse, ex eo potissimum liquet, quod alii libri, qui olim ab Ægyptiis, a Romanis, aliisque Nationibus, tenebris Idolatriæ immeritis, tanquam divini habebantur, temporis, rerum omnium edacis injuria tandem aliquando perierunt, libri vero, quos pro Sacris ac divinis habet Judaica Natio, in tanta Sacrorum serie interire non permisit divina providentia, sed potius eos integros conservavit, illorumque auctoritatem non solum Judæis, sed etiam Christianis Sacrosanctam esse voluit.

D. Quinque librorum Pentateuchi auctoritatem non tantum Judæis, sed & Christianis Sacrosanctam esse certissime scio. Sed si convincere vellem Atheos, Infideles, virosque incredulos, qui Judæorum, & Christianorum testimonis fidem omnino derogant, hæreret mihi profecto aqua, nec ullum suppeteret argumentum, quo illic persuadere possem, *Moysen* esse antiquissimum Judæorum Legislatorem, eumque esse Auctorem horumque quinque librorum *Genesim*, *Exodi*, *Levitici*, *Numerorum*, & *Deuteronomii*, qui Pentateuchō continentur.

M. Atheos, Infideles, aliosque ejusdem farinæ viros incredulos, qui Judæorum & Christianorum testimonis assensum præbere pervicaciter detrectant, convincere debes testimonis antiquorum Gentilium Scriptorum, qui ultro factentur, *Moysen* esse Judæorum Legislatorem, & Auctorem Pentateuchi. Horumque Gentilium Scriptorum, quorum testimonia, tanquam si in hac causa essent suspecta, nullo pacto repudiare possunt Athæi, virique increduli, seriem breviter hic attexam, ut intelligas, Gentiles etiam Scriptores confirpare una cum Judæis & Christianis ad vindicandum *Moysi*, Judæorum Legislatori, Pentateuchum, prouindeque Atheos, virosque incredulos, illorum testimonis sic convinci, ut nihil prouersus habeant, quod hiscere aut mussicare possint. In primis, bene multi Scriptores Ethnici, quos inter *Plato*, *Pythagoras*, *Theopompus*, *Diodorus Siculus*, & alii, *Moysen* inter antiquissimos Legumlatores recensent. Præterea, *Longinus*, *Zenobia*, *Palmyrenorum Reginæ*, a consiliis & studiis, *Moysen* insigni prosequitur eloçio in libro, quem edidit *De sublimi genere dicendi*, eo quod Moyses in exordio libri *Genesim* sic Deum inducit magnifice loquentem: *Fiat lux, & facta est lux*, Tertio, Moyses disertam mentionem fecerunt *Cornelius Tacitus*, & Poeta *Juvenalis*, quorum prior lib. 5. Historia Romanae hæc habet: *Moyses, quo sibi in posterum gentem firmaret, novos ritus, contrariosque ceteris mortalibus inuidit.... Hi ritus, quomodo induiti, antiquitate defenduntur*. Alter Scriptor, seu Poeta *Juvenalis* Satyra decima quarta innuit, Volumen Legum Judaicarum fuisse a Moysi conscriptum:

*Judaicum ediscunt, & servant & tuum' jus!*  
*Tradidit arcano quodcumque Volumine Moyse.*

Denique, ne longior sim, Moysis meminereunt Gentiles Scriptores, *Philocorus*, qui sub *Ptolemeo Philopatore*, *Egyptiorum Rege*, florebat; *Eusebius*, qui clavuit sub *Ptolemeo Epiphane*, *Egyptiorum itidem Rege*; *Hecataeus*, *Berosus*, *Manetho*, *Alexander Polyhistor*, *Trogus Pompeius*, *Strabo*, *Nicolaus Damascenus*, *Plinius*, *Plutarchus*, *Numenius*, *Porphyrius* &c. Plura leges apud illustrissimum Abrincensem Episcopum, *Danielum Huetium*, qui in sua *Demonstratione Evangelica*, Propositione quarta, ex variis prophanæ eruditio[n]is monumentis probat, Moysen, Judeorum Legislatorem, esse primum omnium gentium Scriptorem, & Pentateuchum, ab ipso exaratum, unicum esse fontem, ex quo totam suam Theologiam hauserunt *Egyptii*, *Perse*, *Indi*, *Thraces*, *Germani*, *Galli*, *Britanni*, *Hispani*, præcipue vero *Græci* ac *Romani*, qui ex Moysis risis suis hortos irrigarunt, indeque suas *Leges*, *Ritus*, *Religionem*, fabulas, aut historias suas depropagaverunt. Plura non addam, ad fontem quippe digitur intendisse, sat superque sufficit.

D. Validum mihi profecto suppeditas argumentum, quo convincere possim, Atheos, Infideles, virosque incredulos, qui tot Gentilium Scriptorum testimonia, tanquam suspecta, rejicere haud posseunt, vel si ea recipere nolint, digni sunt, qui in suis plusquam cimmeriori tenebris immergi relinquantur. Sed dicas, amabo, suntne alicuius ponderis, rationes, quas proferunt Athet, Infideles, virique increduli, qui Moysen esse Auctorem Pentateuchi inficiantur.

M. Rationes, quas obtrudunt Athet, Infideles, virique increduli, leves sunt ac futilis, milieque eliax, quas subinde lubens prætermittam, ne tibi tædio & oneri sim, ac unam dumtaxat earum palmariem & sèpius decantatam objectionem proponam, ex qua quid de ceteris sentiendum sit facili negotio judicabis. Dicitant itaque, Pentateuchum afferi ac vindicari non posse Moysi tanquam vero & legitimo parenti, quia quadam in PentateUCHO narrantur, quæ dumtaxat post obitum Moysis contigerunt. Verum, quam deplorabile sit istud argumentum, nemo est, qui statim non videat. Scriptum quidem Moyses totum Pentateuchum, sed post ejus obitum, *Josue*, qui in regimine populi Israelitici succedit Moysi, vel *Esdras*, qui, post laxatam captivitatem Babyloniam, libros sacros recognovit, vel alius Sacer Scriptor, Spiritu Sancto afflatus, nonnulla Pentateuchu Moysis, majoris claritatis ergo, addidit, & quædam nomina urbium, montium & locorum immutavit, ut narratio Moysis facilius intelligi posset ab iis, quibus, post obitum Moysis, vetera urbium, montium, & locorum nomina erant ignota. Sic Ex. Gr. legimus ad calcem libri Deuteronomii mortem Moysis, quam inferuit quidam sacer Scriptor. Legimus etiam cap. 12. lib. Numerorum laudes Moysis, quas alter sacer Scriptor intertexuit. Sic Genesis cap. 11. Urbs *Luis* vocatur *Dan*, cum tamen diu post obitum Moysis hoc nomine donata fit.

Sic Genesis cap. 22. Mons *Moria* appellatur *Mons Dominus videbit*, quo tamen nomine hic mons post Moysis obitum vocari coepit, eo videlicet tempore, quo mons ille *Moria* ædificationi Templi destinatus est. Has igitur & alias id genus leves additiones, vel immutationes, Pentateuchu post obitum Moysis factas fuisse, non inficias eo; sed insanire dico, qui, ob leves illas additiones aut immutationes, præfacte negant, Moysem esse Auctorem Pentateuchi, vel qui afferunt, aliquem post obitum Moysis volunt, aut potuisse novos ritus, novas instituire cærimonias, commentitiam scribere Historiam, & Legem a se conditam promulgare, ac venditare sub emento Moysis nomine; nam si quis, post obitum Moysis, eo despiciat, idque exequi auctor fuisse, confessum tam insignis impostura, quæ nulla arte celari potuisse, a *Judeis* retecta, & propalata esset, sive in vulgi fabulam abiisset impostor. (a)

(a) His ab Authore adductis argumentis auctoritate revincuntur ii, Theologi licet Catholici, rati scribas extitisse a Republica Judaica rebus in populo gestis scribendis definiatos, ex quorum schedis in unum compactis ab ignoto quodam auctore Pentateuchum constare opinantur. Hujus vero operis auctorem a Moysi se diversum esse contendunt, ut nihil a Moysi se conscriptum, si legem excipias, arbitrentur. Ita ariolatur Richardus Simon in hist. critic. vet. testam. lib. I. cap. II. & V. Nec multum ab hac opinione ablutus D. Abbas de Prades Baccalaureus Sorbonicus, qui Chronologiam Patriarcharum variam in tribus textibus Hebraico, Samaritano, & Græco animadvertis, nodum hunc chronologicum intrepidus præcedit, nullam a Moysi Patriarchalem Chronotaxim descriptam afferens, quæque nunc in Bibliorum textibus legitur ab aliis pro arbitrio inventam suspicatur.

D. Moysen esse verum ac legitimum Pentateuchi auctorem, eumque, nonnisi sacro numine afflatum, omnia, quæ in eo reserunt, litteris consignasse, locupletissima illa omnium gentium, quæ protulisti, testimonia, sed Ecclesiæ præserum perennis contestatio, ab aliisque multis rebus petita alia argumenta mihi invicte persuadent, faciuntque, ut aperte ac evidenter perspiciam, illos misere, & infeliciter caligare, qui fecus sentiunt, quique ea, quæ in PentateUCHO, sacrisque Litteris continentur, aut contemnunt, aut parvi faciunt. Illos ergo miseris homines mittamus, & hoc potius inquiramus, cur Moyses, datus Leges, quibus in officio Hebreos contineret, a creatione Mundi exordium duxerit? Quorsum, rogo, tam altum & veluti ab ovo, ut ajunt, repetitum principium?

M. Primo dici potest, Moysen voluisse a creatione rerum, quæ sensibus subjiciuntur, ad Dei attributa, & perfections cognoscendas unitatem, omnipotentiam, sapientiam, beneficentiam, & id genus alia, quæ sola mente attinguntur, Hebreos sensim sine sensu adducere, ut cognitione unius Dei Creatoris, tanquam certo quodam lumine purgarentur, falsaque Egyptio-

priorum de multiplicitate Deorum , deque Mundi aeternitate opiniones , quibus erant imbuti , protinus ex animis deponerent. Præterea , rerum creationem recensuit Moyses , quod inter externa Adamo , primo omnium hominum parenti , collata beneficia , principem ac summum locum obtineat , ipsa Hœistoriaæ series exigeret , ut ab hoc ingenio nostro generi concessio beneficio narrationem suam auspicaretur , & ad ea protraheret , quæ spæstant Adami formationem , ejus felicitatem in statu innocentiaz , ejus miseras post peccatum , quod ad omnes illius posteros via ordinaria transfunditur , ac denique promissionem de venturo Messia , seu Salvatore , qui damnæ generi humano per Adami peccatum illata resarciret . Hunc siquidem Messiam , seu Liberatorem , a Deo promissum esse testatur Moyses capi 3. libri Genesis , ubi postquam Adami , & Heyæ , ejus conjugis , lapsum descripsit , e vestigio inducit Deum Serpenti , a quo seducta fuerat Heya , his verbis imprecantem : *Ipsa conteret caput tuum , id est Messias , ex muliere aliquando nasciturus , conteret caput tuum .* Hanc autem Liberatores , seu Messias a Deo factam promissionem Moyses in libro Genesis ostendit tam alte insedisse animis Patriarcharum , qui ante illum vixerant , ut nihil tam in votis haberent , quam ut in sua familia completeretur . Hinc liberis procreandis operam dabant , plures uxores ducebant , de jure primogenitura decertabant . Solemne etiam erat Hebreis Deum appellare *Deum Abrahæmi , Deum I'aaici , Deum Jacobi* , quod persuasum haberent , hanc promissionem de mittendo Liberatore , seu Messia , a Deo factam , completum iri in familia Abrahæmi , cui Deus capit . 22. lib. Genesis dixit : *Benedicentur in semine tuo omnes gentes .* Denique , tempus , quo hæc divina promissio adimpleri debebat , noverant Hebrei e vaticinio Patriarchæ Jacob , qui propediem in Ægypto moritus , prædictis , hanc divinam de mittendo Liberatore promissionem suum habituram exitum , post ablatum de Juda , id est , de gente Judaica , Sceptrum : *Non auferetur Sceptrum de Juda , & Dux de femore ejus , donec veniat , qui mittendus est , & ipse erit expætatio gentium .* Ut posset igitur Moyses hanc promissionem a Deo factam de mittendo Liberatore in apertum ponere , consultissime totam narrationem suam a creatione Mundi exorsus est , & inde ad formationem Adami , ejusque peccatum progrediens , liquido ostendit , causam , cur Deus promiserit , hunc a se missum iri Liberatorem , non aliam esse , quam peccatum Adami .

D. Jam vero & facile nunc intelligo perillustre Moysis ingenium in explicando proposito sibi argumento , & in aperienda causa ruinæ humani generis ac proinde necessitatibus nostræ instauracionis . Ex eadem etiam narratione Moyses pleraque elucescunt , quæ alioqui nullo pacto comprehendi possent , sicut , Ex. Gr. peccati originalis , seu peccati Adami in omnes ejus posteros propagatio , & causa cur nunc omnis homo nascatur cum ignorantia in intellectu , cum malitia in voluntate , cum propensione ad malum , cum lucta passionum , totque calamiti-

tibus obnoxius vivat . Quæ difficultas , sicut nuperime legebam apud Cl. Blasium Pajohalem in suis *Cogitationis* titulo 3. plerosque ex Gentilibus cordatos vires vehementer olim torquebat , eorumque ingenia quantumvis acutissima penitus absorbebat . Nec immen , cum illi nec de primo homine cum præclaris dotibus ac perfectionibus naturæ & gratia in statu innocentia a Deo condito , nec de ejus peccato , per quod sibi , sūisque posteris omnium malorum agmen importavit , vel minimam notitiam habuerint , nec ad causam , unde tot profluxerunt miseriae , quibus nuptæ exagitatur homo , præente luminis naturalis face pervenire unquam potuerint . Sed dicas , amabo , quo pacto Moyses , qui , post multas a creatione Mundi saeculorum myriades , prodit in lucem , potuerit tam accurate describere creationem Mundi , eaque narrare Facta histotica , quæ de formatione Adami , de ejus lapsu , de Patriarcharum ante & post Diluvium Genealogia , Gestis & annis leguntur in libro Genes , cum perfectum omnibus ac exploratum sit , nullum temporibus Moysis extitisse hominem , creationi Mundi coævum , a quo Moyses ejusmodi rerum gestarum notitiam audire , vel accipere potuerit ? recurrentum itaque erit ad aliquam specialem Dei revelationem , cuius beneficio Moyses hanc a Deo notitiam acceperit . Verum , quia Athæ , virique increduli divinas revelationes non admittunt , optarem , ut , ad eos facilius convincendos , rationem assignares , quæ evinceret , Moysen , etiam citra revelationem sibi factam a Deo , habuisse certam & indubitatam notitiam rerum , quas de creatione Mundi , de formatione Adami , de ejus lapsu , & de aliis id genus Factis historicis narrat in libro Genes .

M. Ex continua certaque Traditione Moyses notitiam habuit rerum , quas de creatione Mundi , de formatione Adami , de ejus lapsu , & de aliis Factis historicis ipsem narrat in libro Genesis . Quod quidem ne gratis a me dictum esse putes , suppeditabo tibi demonstrationem Chronologicam , ad Codicis Hebrei calculum exactam , ex qua liquido constabit , Moysen ex certa , & ad sua usque tempora traditione propagata habuisse notitiam rerum , quas in libro Genesis literis consignavit . At enim , Adamus , primus omnium hominum parens , qui sexta die a creatione Mundi a Deo conditus est , vixit annos 930. Mathusale vero natus est anno Mundi 687. vixit ergo , juxta hunc calculum , Mathusale cum Adamo Annos 244. ac subinde potuit facile Mathusale discere ab Adamo ea , quæ spectant creationem Mundi , formationem Adami , ejus lapsum &c. Deinde , Mathusale , qui vixit cum Adamo annos 244. vixit etiam cum Semo , filio Noemi , annos centum . Semus quippe natus erat annos centum , quando contigit Diluvium , & Mathusale , postquam vixisset annos 969. obiit eodem anno , quo accidit Diluvium , hoc est , anno a creatione Mundi millesimo , sexcentesimo quinquagesimo sexto . Semus itaque , filius Noemi , qui centum annis vixit cum Mathusale , potuit ab ipso accipere notitiam creationis Mundi , formationis Adami , ejus lapsus &c. Tertio , Isaac , filius Adami , vixit

vixit cum Semo, filio Noemi, quinquaginta annis, ac proinde ab eo habere potuit notitiam rerum, quæ Mundi creationem, formationem Adami, & ejus lapsum spectant. Semus siquidem, filius Noemi, vixit post Diluvium quingentis annis & vita functus est anno Mundi 2158. Isaac vero, filius Abrahami, natus est anno Mundi 2108. ex quo consequitur, Isaacum, filium Abrahami, vixisse cum Semo annos quinquaginta. Quarto, Jacob, filius Isaaci, Historiam de creatione Mundi, de formatione Adami, de illius lapsu &c. sibi a Patre suo *Isaco* audire potuit. Quin, & Patriarcha Jacob, filius *Isaci*, videt filios Patriarchæ Josephi, quibus propediem moriturus benedixit, iisque tradidit notitiam de creatione Mundi, de formatione Adami, ejus lapsu & de mittendo Liberatore, eis dicens, sicut legitur c. 49. libri Genesi: *Non auferetur Sceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat qui mutantus est, & ipse erit expectatio gentium.* Denique filii Patriarchæ Josephi, quibus benedixit Patriarcha Jacob, quoque omnia, quæ pertinent ad creationem Mundi, formationem Adami, ejus lapsum, & adventum Liberatoris edocuit: filii, inquam, Patriarchæ Josephi viderunt Moysen, quia a morte Patriarchæ Josephi usque ad ortum Moysis intercessere dumtaxat anni sexaginta quatuor. Quo fit, ut Moyses, Judæorum Legislator, & Author Pentateuchi, plenam ac integrum a filiis Patriarchæ Josephi notitiam habuerit rerum omnium, quas scripsit in libr. Genesis de creatione Mundi, de formatione Adami, de ejus lapsu, de mittendi Liberatoris promissione divina, de Patriarcharum ante & post Diluvium annis, Gestis &c. Moyses itaque ab hac perpetua, sibique semper constanti traditione, ab Adamo primo omnium hominum parente, ad suam usque ætatem, velut de aure in aurem, & per manus traducta, & juciter conservata, potuit nullo negotio compertam habere rerum Historiam, quam in libro Genesis exaratam nobis reliquit, quamque in tanta sæculorum serie interire non permisit divina providentia, cum tamen alii libri, qui olim ab Ægyptis, a Romanis, aliisque Ethniciis Nationibus ut sacri ac divini æstimabantur, omnino perierint, ut paulo ante observavi, quod sane maximum veritatis istius Historiæ, & divinæ, quam præ se fert, authoritatis argumentum apud omnes esse debet.

D. Multum quidem mihi arridet hæc tua demonstratio Chronologica, sed, ut candide fatetur, vereor, pace tua dixerim, ne Atheis, virisque incredulis sublesta nimis, & elumbis videatur. Supponit quippe hæc tua Demonstratio Chronologica, Mundum non extitisse ante illud tempus, quo eum a Deo conditum esse narrat Moyses. Supponit itidem, Adamum esse primum omnium parentem, sicut assertit idem Scriptor. At, id viri increduli religionisque olores, sicut superrime audi vi a viris eruditis, praefacte negant. Volunt quippe primo, Mundum longe antiquorem esse, quam referat Moyses. Deinde, dicitur, Adamum non esse primum omnium parentem, sed multo ante Adamum extitisse homines, quos *Preadamitas* appellant, quod ante Adamum extiterint. Hoc autem se

posse probare putant tum ex Ethniciis Scriptoribus, quorum calculi ostendunt, Mundum longe antea extitisse, quam referat Moyses, tum etiam ex Ægyptiorum, Assyriorum, Chaldaeorum, & Sinarum Historiis, quæ referunt, institutas fuisse in his nationibus Orientalibus Monarchias multo ante tempus, quo Mundum conditum esse scribit Moyses. Tua igitur Demonstratio Chronologica, si viri increduli pronuncient judicium, nullius ponderis erit.

M. Futilia & plane indigna sunt, quæ confutent isthæ argumenta, quibus nituntur viri increduli ad probandum, Mundum longe antea extitisse, quam referat sacer Scriptor Moyses. Illa nihilominus ponamus in trutinam, & Ethnicon Scriptorum circa existentiam Mundi nanias & deliria ingrediamur, quamvis me vehementer piceat in id genus nugis male locare tempus. Sed collocaabo tamen, ne instituto meo defuisse videri possim. Dico igitur primo, nihil esse insulfus his, quæ circa existentiam Mundi commenti sunt Ethnici Scriptores. Alii quippe, ut observat S. Augustinus lib. 18. de Civit. Dei cap. 40. vanissima presumptione dixerunt, plusquam centum annorum milia numerari, ex quo Ægyptus rationes Syderum comprehendit. Alii, seu Chaldaei, jaſtant, se comprehensa monumentis habere quadrageinta septuaginta milia annorum. Alii postremo effutunt, Mundum esse æternum. In hos crassos errores circa existentiam Mundi impegiſſe illos Scriptores Ethnici, mirari profecto non subit, cum enim ignoraret originem rerum, simul quoque ignorarent originem rerum, supremumque illud tempus, quo Mundus esset effectus, certi quidpiam assequi haud potuerunt, quamobrem & digitis, ut proverbio dicitur, mabant in tenebris. Id certe agnovit, & ulro fassus est unus ex Ethniciis Scriptoribus *Marcus Varro*, Romanorum doctissimus, qui referente *Censorino* lib. *De Natali die* cap. 17. tria Mundi intervalla statuit, quorum primum a pri *cipio hominum* usque ad *Cataclysmum*, seu Diluvium protrahebat, atque quot annorum extiterit, comprehendi posse negabat. Secundum a Cataclysmo ad primam usque Olympiadem, quod & *Mythicum*, hoc est, fabulosum, prudenter vocabat; de eo enim fabulosa permulta a Scriptoribus narrantur. Tertium ducebat a prima Olympiade ad sua illius tempora. Hoc autem ideo *Historicum* nuncupabat, quia veris narrationibus res gestas Scriptores bene multi literis confignassent. Juxta igitur illud locupletissimum *Varronis*, Scriptoris Gentilis, testimonium, post primam dumtaxat Olympiadem (quæ, ut fatentur omnes ad unum Chronologi, septingentis & septuaginta sex tantum annis Natale vulgare Christi Domini antevertit) cooperunt Scriptores Ethnici vera & Historiæ consentanea narrare; Cetera vero, quæ ante primam Olympiadem memoria prodiderunt, anilibus fabulis jure optimo accenseri debent. Dico præterea, ad aniles itidem fabulas ablegari debere Historias Ægyptiorum, Assyriorum, Chaldaeorum, & aliarum Nationum Orientalium, tum quia densissimis tenebris involvuntur, naniis, antilogiis, & ineptiis scatent: tum quia etiam ne minimam qui-

quidem veri speciem habet quidquid de fabulosa antiquitate sua jaſtant Ægyptii, Aslyrii, Chaldei, & Sinæ, qui, ut gentis suæ primordia auguftiora redderent, splendida mendacia certatim adornarunt, & putidissima obtruferunt commen-ta, quæ hic, ne plus nimium conterere tempus videar, non confutabo, sed potius alto silentio prætermittam, utpote indignissima, quæ a te, tuique similibus, Christianæ Religionis cultoribus, audiantur, sicut merito observat *Ludovicus Vives*, qui mirari se scribit bonas horas a quibusdam in talibus collocari nugis. Non immorabor etiam in refellendo Praedamitarum, seu Chymericorum hominum, qui ante Adamum extiterint, insulso Systemate, tum quia istud male confarcinatum Systema, statim ac publicam lucem adspexit, na-talitiis tenebris damnatum, dirisque execrationibus fuit ab omnibus proscriptum; tum quia etiam hujus Systematis Auctor, seu *Iaacus Perierius*, na-tione Gallus, e Calvinistarum Secta, facti tan-dem penitens, Romæ anno 1657. coram *Alexan-dro VII.* Pontifice Maximo, palinodiam decanta-vit, suumque haec tenus inauditum Systema, una cum Calviniana hæresi, quam cum lacte fuxerat & haec tenus professus fuerat, ejuravit, atque in fini Ecclesiæ Catholice constanter perseverans ex hac vita migravit.

D. Putabam sane, hujuscem Praedamitarum Sy-tematis Auctorem fuisse aliquem virum incredu-lum, & ab omni Religione extorrem, nec un-quam suspicatus fuisset, illum esse Christianum, cum quilibet Christianus a teneris annis profiteri teneatur tria præcipua dogmata, quæ hoc infi-stissimo Praedamitarum Systemate penitus conve-luntur. In primis, qui semel Christianæ Religio-nis rudimentis imbutus est, credit, ideo omnes omnino homines via ordinaria contrahere pecca-tum originale, quia omnes homines per genera-tionem propagantur ab Adamo, primo omnium parente, in quo, tanquam in capite morali, erant omnes inclusi; quo fit, ut peccatum Adami non solum ipse nocuerit, sed ad omnes & singu-los homines ab eo descendentes transfundatur. At, hæc Christianæ Religionis doctrina oppi-do falsa esset, si revera fuissent Praedamitae, idest, si extitissent homines ante Adamum, hi siquidem Praedamitæ non contraxissent pecca-tum originale, utpote qui nec per generationem ab Adamo descendissent, nec in eo, cœi in capite morali, fuissent inclusi. Fallo itaque doceret Christiana Religio, omnes omnino homines contrahere peccatum originale, si reapse extitissent homines ante Adamum. Præterea, ob-stringitur quilibet Christianus credere, Verbum Divinum fuisse incarnatum pro omnibus homini-bus, qui, peccato originali cum sint infecti, non aliter, quam per incarnationem Verbi Divini sa-nari ac reparari poterant. Hæc autem Christianæ Religionis doctrina falsa itidem esset, si extitissent homines ante Adamum; pro illis siquidem homi-nibus, qui fuissent expertes peccati origi-nalis, Verbum Divinum non esset incarnatum, proindeque falso doceret Christiana Religio, Verbum Divinum pro omnibus omnino homini-

bus esse incarnatum. Denique, Christiana Reli-gio docet, Jesum Christum mortuum esse pro o-mnibus & singulis hominibus, quia omnes & sin-guli homines erant mortui in Adamo, indeque Jesum Christum proponit tanquam Redemptorem, Mediatorem & Salvatorem omnium homi-num. Hæc autem Christianæ Religionis doctrina vera esse non posset, si ante Adamum homines extitissent; pro illis quippe hominibus, qui in A-damo non fuissent mortui, Christus mortuus non esset; subindeq; dici haud posset eorum Redem-ptor, Mediator, ac Salvator; falso itaque doceret Christiana Religio, Christum mortuum esse pro omnibus omnino hominibus, eumque Redemptorem, Mediatorem, & Salvatorem omnium homi-num. His rationibus permotus, exstinximabam, hoc Praedamitarum Systema, quo præcipua Christianæ Religionis profligantur dogmata, procusum fuisse non ab homine Christiano, sed a quodam Atheo, omnisque Religionis expertise. Verum, mittamus, si placet, istud Praedamitarum Systema, quod aperte adversatur Scripturæ Sacrae, quæ purum pu-tumque Dei verbum est; atque nunc diligenter expendamus omnia, quæ spectant naturam & do-tes Adami, primi omnium hominum parentis, in statu innocentiae constituti. Primo itaque scire velim, quo pacto Adamus fuerit formatus a Deo, & quale corpus habuerit.

M. Adamus, in quo & natura & pacto conti-nebamur omnes, qui ab eo deinceps progeniti fuimus, ex humo formatus est, indeque a Latinis dictus homo; vel (sicut refert Josephus lib. 1. Antiq. Jud. cap. 2.) a terra rubra dictus est *Ad-anus*, ex qua, ut ajunt, Adami corpus compa-cium fuit, quod hoc genus glebae mixtum aqua facilius compingatur, fortiusque conglutinetur. Voluit autem Deus, ut Adami corpus esset eximie robustum, elegans, procerum, & præclare compa-cium, ita ut Adami corporis constitutio & tem-peratura reliquorum omnium corpora aequalitate quadam, ac perfectione, & elegantia prorsus tran-scenderit. Porro, ex ejusdem Adami dormientis latere detractam costam Deus formavit in fœmina-nam, dictam *Evam*, quam ei sociam, & adju-tricem dedit, quamque ideo ex Adami costa for-mavit, ut omnium hominum parentis esset Ad-a-mus, sive jugis, ac perpetua cognatio & nec-es-situdo inter homines esset, quippe qui ex uno, seu Adamo prodirent omnes, ac propterea & se se mutuo & ardentius quoque amarent, & ad eam-dem consequendam beatitudinem genitos se esse omnes inteligerent, ad quam Adamus & Eva certo certius ab opifice Deo creati fuerant. Unam autem dumtaxat conjugem uni viro, seu Adamo, junxit Deus, ut quid Reipublicæ, quid alendis li-beris, quid unitati, ac paci domus magnopere ex-pediret, palam doceret; agre enim admodum ser-vantur hæc, ubi unus vir plures conjuges habet. Sed hic occurruunt due ab Hebrais conficta rejicienda fabula. In primis, ajunt nonnulli Rabbi-ni, corpora Adami, & Evæ tanta proceritatis fuisse, ut vadofsum Mare pedibus transiverint. Quæ quidem fabula adeo illepida & invenuta est, ut eam retulisse, abunde confutasse sit. Quidam vero

vero alii Rabbini inepte fabulantur, Adami corpus bisiforme a Deo conditum esse, voluntque, Adamum, & Evam creatos esse sicut unum, a tergis, vel dorso conjunctos, postea divisos esse a Deo, qui dimidiā partem accepit, & fuit Eva. Huic fabula, quam de suo cerebro finixerunt Rabbini, ut aliquam veri speciem conciliare possint, adducunt Scripturā locum Genesis cap. 1. ver. 27. ubi hæc legantur: *Ad similitudinem Dei creavit illum, seu Adamum, masculum & feminam creavit eos.* Ex quo inferunt, Adamum fuisse conditum a Deo Androgynum, seu, ut vulgo ajunt, Hermaphroditum. Verum, ut obiter dicam, hæc fabula crassio non solum filo contexta est, sed etiam aperte repugnat Scripturæ Sacrae, quæ disertis verbis docet, solum Adamum creatum esse, cumque non inveniretur ipsi adjutor similis, Deum ex ejus latere costam tulisse, & in mulierem compiegisse; *Non est bonum, inquit Scriptura Sacra, hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile sibi . . . . Aedificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem, & adduxit eam ad Adam.* Quin & ille Scripturæ Sacrae locus, quem in sui absurdi commenti confirmationem adducunt isti Rabbini, ipsis minime favet, sed potius contra illos evidenter facit. Si enim Deus Adamum creasset Androgynum, certe Moyses non diceret de Adamo: *Ad similitudinem Dei creavit illum, masculum & feminam creavit eos.* Sed dicere debuisset: *Masculum & feminam creavit eum, seu Adamum.* Apage ergo ridiculas ejusmodi fabulas, quibus dum indulgent Rabbini, qui vento & chymeris pascuntur, omnibus se se plenis buccis deridendo propinuant. (a)

(a) Inter monstruosa hæc de conditione primi hominis commenta, vel ut honestius dixerim, systemata, illud accenso, quod præsenti hoc sæculo nondum adulto invexit Philosophus quidam, cuius liber proclusus est Lucæ anno 1713. hoc inscriptus titulo: *Sacra universale Philosophia dell' Immacolata Concezione di Maria, del Conte Gian Battista Diana Paleologo Consigliero di S.M. Cesarea.* Statuit illa sibi hominem, qua animal est, ex humore, terra, & ignea quadam re compingi, ut terra humore aquo subacta materiam conditori Deo præbuerit: igneum vero illud quidquid est materiam intime penetrans motum nitus ejus particulis indidisse, ut in singula membra atque organa disponerentur, aptamque secundum animæ rationali, a Deo statim infundenda, pararet. Porro cum terrarum varia sit natura, aliæ enim corruptioni magis, aliæ minus obnoxia, que rubra est incorruptibili multo prius accedit, quam & aurum igne dissolutum reddit, eademque antimonii & plumbi vim, cui reliquæ omnes terræ, & metalla cedunt, impavida sustinet. Huic proxime succedit alba, qualis in argento regnat, qua examen quidem plumbi intacta superat, antimonio tamen cedit. In Adamo rubra regnabit, hinc primi hominis immortalis status; in Eva alba superabat, unde gracilior primæ mulieris status. Pometum vetitum humoris corruptentis, & aridi comburentis plurimum continens, in Adamum noxias illas qualitates invexit, quibus infarta terra ejus infi-

, mior effecta est, neque tortius compagis dissolutioni impedienda amplius valuit. Una supererat arbor vitæ noxiæ humoris expellendo, reparansque viribus rubentis terræ aptissima. Sed ne eo remedio Adam uteretur obstat Deus, Adamo e paradise expulso, atque in ejus custodiā Angelo substituto, ut regressum tentantem arceret. Quæ dein hoc stabilito fundamento Philosophus noster prosequitur, & qua tandem ratione evincat immaculatam Deiparae conceptionem, ne longius sim, prætero. Viderint docti, num in his meditationibus monstri aliquid appareat, ex quo inter Rabbinica commenta referri merito possit.

D. Ex his, que mox dixisti, subiit animum scrupulus, quem mihi eximas velim. *Ebam* fuisse a Deo datum conjugem Adamo insinuasti, sed nunc dubius hæreo, utrum Adamus, si in statu innocentia perficitisset, carnalem copulam cum sua conjugi habiturus esset? & utrum in eodem statu futuræ essent nuptiæ, quæ carnalem hominum propagationem per maris cum foemina congressum facerent? Cum enim ejusmodi nuptiæ inhonestum libidinis ardorem, & nimium concupiscentia astum importent, videatur mihi, eas in hoc felicissimo innocentia statu locum habere minime potuisse. Explica itaque, si placet, quo pacto in statu innocentia (si ex eo per peccatum non excidisset Adamus) fuisse genus humanum sive per Adamum, sive per ejus posteros multiplicatum.

M. Adamum in statu innocentia (si in eo perseverasset) congressum ad procreandos filios cum sua conjugi habiturum, futurasque in eodem innocentia statu nuptias, quæ carnalem hominum propagationem maris cum foemina consortium facerent, sententia est Sancti Augustini lib. 9. in Genesim cap. 2. 6. & 7. cui S. Thomas primæ Partis sua Summa Tripartita quæst. 98. Art. 1. & 2. omnesque Theologi adharent. At enim, frustra Deus discrimen sexuum ante peccatum fecisset, & utrique parenti organa incassum exhibuisset, quibus generare possent, si in statu innocentia genus humanum aliter quam per generationem, & maris cum foemina coitum multiplicari potuisset. Nec ratio ulla patitur, ut eorum usus ante peccatum possibilis non esset, cum exigat naturæ ordo, ut in quavis genitûra virtus activa & passiva simul existant, simulque coeant, quarum prior in mare, posterior in foemina est. Ad hæc, quorū Moyses cap. 1. Geneeos commemorat, Denū fecisse unum hominem marem, & deinde foemina, ac utrique hanc faustam benedictionem dedisse: *Crescite, & multiplicamini, & replete terram,* nisi ut evidens faceret, utrumque scilicet Adamum & Evam, natura, atque adeo dono Dei, procreationem appetere, ac subinde futuras fuisse in eo statu felicissimo honorabiles nuptias, & torum immaculatum, nullam autem in eo futuram scđitatem, nullam turpitudinem, nullumque genitalium motum non a ratione, & a voluntate hominis præscriptum, nullum dishonestum libidinis ardorem, nullum concupiscentiæ impetum, quia turpitudinem omnem, omnemque intemperianam peccatum invexit, sicut & erubescientiam, quam non fuisse ante peccatum palam facit Moyses cap. 2. lib.

lib. Genesios, v. 25. dicens: *Erat autem uterque nudus, Adam scilicet & uxor eius, & non erubescabant.* Quæ verba explicans S. Augustinus lib. 14. de Civitate Dei cap. 26. hæc habet: *Inter se ( idest Adamum & Eam ) fida ex honesto amore societas.* In tanta facilitate rerum, & felicitate hominum, abit ut *suspiciemur non potuisse prolem fieri sine libidinis morbo, sed eo voluntatis nutu moverentur illa membra, quo cetera : & sine ardoris illecebrosu[m] stimulo, cum tranquillitate animi & corporis, nulla corruptione integratatis infunderetur gremio maritus uxoris.* Non ageret turbidus calor, sed spontanea potestas, sicut opus esset, adhiberet. Ut enim ad parvendum non doloris gemitus, sed maturitatis impulsus feminea viscera relaxaret; sic ad fatigandum, & concipientium, non libidinis appetitus, sed voluntarius usus naturam utramque coniungeret. Procreassent igitur Adamus & Eva filios, si in statu innocentia persistissent, non quidam ad conservandam simpliciter speciem, quoniam filii, quos genuissent, dono iustitiae originalis immortales evasissent, sed ad eam in hoc sensibili Mundo conservandam, quoad parentes in caelestem patriam vivi consenderent; & rursus ad augendam prolem in Dei cultum & multorum salutem; denique, ut primi parentes nostri vitam in terris feliciori ducerent, quæ certe minus suavis, & minus iucunda illis fuisset absque societate & prole. Hinc, si persistisset felicissimus innocentia status, futuræ fuissent in eo urbes, pagi, domus, atque adeo Æconomica, Politica, ceteraque honesta Disciplinae & Artes. Nec solum in eo statu innocentia fuissent geniti mares, verum etiam natæ essent foeminae, tum quia foeminae, non fecus ac mares, ad electos pertinent, quorum numero & integratitudi cum primis consulere voluit Deus, dum dixit primis parentibus: *Crescite, & multiplicamini, & replete terram:* tum quia etiam uterque sexus pertinet ad integratatem & perfectionem speciei humanae. Quamquam enim ( ut docet S. Thomas 1. p. quest. 92. art. 2. ad 1. & quest. 99. art. 2. ad 1. ) foemina dicatur *mas occasionatus*, quia est præter intentionem naturæ particularis, utpote quæ occasione potius ac imbecillitate virtutis feminis, quam ex intentione naturæ particularis, nascatur; non generatur tamen foemina præter intentionem naturæ universalis, quia, ut ibidem ait Doctor Angelicus, *femina est de intentione nature ad opus generationis ordinata; intentio autem nature universalis pendet ex Deo, qui est universalis author naturæ.*

D. Unum circa productionem corporis Adami, & Evæ superest mihi dumtaxat proponendum Dubium, cur scilicet Deus sic corpus Adami, & Evæ formarit ac disposuerit, ut staturam habeat rectam, & os sublime in cælum, dum tamen alia animalia caput habeant in terram primum?

M. Hic corporis hominis status, orisque figura declarat ( teste Laeliantio lib. de ira Dei cap. 7. ) non esse homines cum pecudibus æquales. Illarum quippe natura in humum, pabulumque prostrata est, nec habet quidquam commune cum Cælo, quod non intuetur. Homo autem recto statu, ore sublimi ad contemplationem Mundi excitatus confert cum Deo vultum, & rationem ratio cognoscit. Sed quatuor alias rationes suppeditat Sanctus

Thomas 1. part. quest. 91. artic. 3. ad 3. quibus egregie probat, convenientis esse, ut corpus hominis habeat staturam rectam, quasque, uberioris explicationis ergo, hic inserere non pigebit. Primo, convenientis est, ait Angelicus ille Doctor, ut corpus hominis habeat staturam rectam, quia sensus sunt dati homini non solum ad vite necessaria procuranda, sicut & aliis animalibus, sed etiam ad cognoscendum; unde, cum cetera animalia non delentur in sensibilibus nisi per ordinem ad cibos & veneras, solus homo delectatur in ipsa pulchritudine sensibilium secundum se ipsam: & ideo, quia sensus precipius vigent in facie, alia animalia habent faciem pronam ad terram, quasi ad cibum querendum, & providendum sibi de viatu. Homo vero habet faciem erectam, ut per sensus ( & precipue per visum, qui est subtilior, & plures differentias rerum ostendit ) libere possit ex omni parte sensibilia cognoscere, & celestia & terrena; ut ex omnibus intelligibilem colligat veritatem. Secundo, ut interiores vires liberius suas operationes habeant, dum cerebrum ( in quo quodammodo perficiuntur ) non est depresso, sed super omnes partes corporis elevatum. Tercio, quia oportet, si homo haberet pronam staturam, quod uteretur manibus loco anteriorum pedum, & sic utilitas manuum ad diversa opera perficienda cessaret. Quarto, quia, si haberet pronam staturam & uteretur manibus loco anteriorum pedum, oporteret quod cibum caperet ore, & ita haberet os oblongum, & labia dura, & grossa, & linguam etiam duram, ne ab exterioribus ledederetur, sicut patet in aliis animalibus: Et talis dispositio omnino impediret locutionem, quæ est proprium operationis. Haec sunt cause, ob quas, juxta S. Thomam, homo habet staturam rectam; dum cetera animalia caput habent inclinatum ad terram.

D. A productione corporis Adami transitum nunc faciamus, si placet, ad dotes, quibus Deus ejus animum exornavit, & in primis, exponas velim, quo in sensu intelligenda sit hæc verba, quæ Deus, antequam formaret hominem, protulit, dicens: *Faciamus hominem ad Imaginem & similitudinem nostram?*

M. Hominem factum esse ad imaginem & similitudinem Dei, una est omnium Sanctorum Patrum, & Scripturarum Sacrarum Interpretum sententia. Sed in quo sita sit illa Dei imago homini impressa? variae referuntur interpretationes. Prima est, quod hominis anima incorporea, immaterialis, & spiritualis sit. In hoc imaginem Dei collocat Sanctus Augustinus. Secunda est, quod anima aeterna sit & immaterialis, sicut & ipse Deus. In hoc imaginem Dei, ad quam factus est homo, reponit Origenes. Tertia est, quod anima sit intellectu, voluntate & memoria praedita. Et in eo sensu hominem ad imaginem Dei factum esse censet S. Joannes Damascenus. Quarta est, quod hominis anima sit liberi arbitrii. Et sic ad imaginem Dei formatum esse hominem docet S. Ambrofius. Quinta est, quod sit capax sapientiae, societatis, Religionis, virtutis, gratiae, & beatitudinis. Et in hac capacitate imaginem Dei, ad quam factus est homo, constituit S. Gregorius Nyssenus. Sexta est, quod homo cunctis animantibus sua potestate præsit & dominetur. Sic sentit S. Basilius. Septima est, quod sicuti Deus par-

ter, seipsum cognoscens, producit Verbum Divinum per intellectum, & se amando producit per voluntatem Spiritum Sanctum: ita homo, intelligendo se, producit in mente sua Verbum intelligibile, sui ipsius expressivum, sibiique simile, atque inde procedit in voluntate ejusdem amor. Sic enim homo habet in se imaginem Sanctissimae Trinitatis. Ita imaginem Dei impressam homini explicat S. Augustinus lib. 10. de Trinitate c. 10. & lib. 14. cap. 11. cui subscribit S. Thomas 1. part. quæst. 93. art. 8. Postrema interpretatio est: quod homo factus sit ad imaginem Dei, quia homo conditus est in Gratia sanctificante, per quam divina factus est confors naturæ.

D. Estne Dogma Fidei, Adamum conditum fuisse in Gratia sanctificante?

M. Quamvis probabilius sit, Adamum fuisse conditum in Gratia sanctificante, sicut post Sanctum Augustinum docet Sanctus Thomas in 2. Sent. distinct. 29. quæst. 1. art. 2. perperam tamen Jansenius, Irenensis Episcopus, lib. *De Gratia primi hominis, & Angelorum* cap. 1. asserit, Dogma Fidei esse, Adamum in Gratia sanctificante conditum fuisse, idque in controversiam amplius revocari haud posse, sed tanquam ab Ecclesia definitum, & Fide certum supponit. Id, inquam, falso asserit Jansenius, tum quia nec in sacris literis aperte continetur, nec in sacris Conciliis definitum unquam fuit, nec ex Sanctorum Patrum Operibus evidenter colligi potest, Adamum conditum fuisse in Gratia sanctificante. Id etiam Celeberrimi Theologi, & de Fide optime meriti, non solum in dubium vocarunt, sed etiam negarunt, quos inter censemur Hugo a S. Victore lib. 1. *De Sacramentis* par. 6. c. 17. Magister Sententiæ lib. 2. distinct. 24. S. Bonaventura in 2. Sent. distinct. 29. art. 2. quæst. 2. Quidam addi debent Alexander de Ales in Summa, 2. parte quæst. 96. membro 1. *Scotus* in 2. Sent. distinct. 29. Quæst. unica, & alii, quibus referendis supersedeo. Dogma igitur Fidei non est, Adamum fuisse conditum in Gratia sanctificante, aliqui doctissimis illis Theologis, mox a me laudatis, qui in contrarium abierunt sententiam, hæreseos nota inurenda esset. Quod sane nemo Catholicus dicere audeat. Ab hoc itaque Jansenii, & aliorum, qui ei hac in parte adstipulantur, errore cavere debes, & duo, quæ certissima sunt, & omnibus Theologis probantur, constanter propugnare. Primo, certissimum est, Adamum habuisse, antequam laberetur in peccatum, dona quedam spiritualia, scilicet sanctitatem & justitiam, quæ sunt effectus Gratiae sanctificantis, eumque peccando has dores amisisse, sicut docent omnes ad unum Sancti Patres, idque definitivit Synodus Generalis Tridentina Sessione 1. Can. 1. his verbis: *Si quis non confiteretur, primum hominem Adamum, cum mandatum Dei in Paradiso fuisse transgressor, statim & justitiam, in qua fuerat constitutus, amisisse, anathema sit.* Et sessione 8. cap. 17. statuit eadem Sancta Synodus, Christianos accipere in Baptismo primam stolam, idest, veram & Christianam justitiam, pro illa, quam Adamus sua inobedientia sibi & nobis perdidit, ipsis per Christum donari. Evidens porro est, ju-

stitiam, & dona, quæ in Baptismo accipimus, esse spiritualia & supernaturalia, per quæ ad spiritualem finem, seu ad Vitam æternam consequendam instituimus, & ordinamur. Secundo, apud omnes Theologos in confessio est, Adamum non fuisse conditum in statu naturæ puræ, quia nullum dubium est, quin immortalitas status innocentia fuerit Donum supernaturale; at certum est ex Scripturis, & perpetua Sanctorum Patrum traditione, Adamum, primum omnium parentem, factum esse immortalem: *Creavit Deus hominem inexterminabilem*, Sapientia cap. 2. Quo fit, ut terminarius jure optimo audiret ille, qui diceret, Adamum fuisse conditum in statu naturæ puræ.

D. Quid sibi vult iste status naturæ puræ, in quo ait, Adamum minime conditum fuisse?

M. Quo facilius intelligas, in quo situs fit status naturæ puræ, advertere debes, octo a Theologis distinguuntur naturæ humanæ status. Primus est status naturæ puræ; alter est status naturæ integræ; tertius est status naturæ innocentis; quartus, est status naturæ lapsæ; quintus est status naturæ lapsæ ante Legem Mosaicam; sextus est status naturæ lapsæ sub Lege Mosaica; septimus est status naturæ lapsæ sub Lege Evangelica; octavus est status in pace, seu in æterna Beatiitudine. Nunc breviter exponam, in quo potissimum fiant octo illi naturæ humanæ status. Et primo quidem, status naturæ puræ nihil aliud est, quam conditio naturæ humanae sine peccato & sine gratia. In hoc statu naturæ puræ si homo fuisse a Deo conditus, miseriis omnibus fuisse obnoxius, quas in hac vita mortali experimur, non tamen concupiscentiam rationi perduellere habuisset, quia concupiscentia, quæ non subiacet rationis imperio, inest homini contra naturam, estque homini dumtaxat naturalis, in quantum subditur rationi, sicut luculentissime docet Sanctus Thomas 1. 2. qu. 82. art. 3. ad 1. In statu autem naturæ puræ nihil rationi in suis facultatibus contrarium sensisset homo, cum in illo esset creatus his dotibus instructus universis, quæ naturæ humanae consentaneæ essent. Status naturæ integræ est conditio naturæ humanæ suis dotibus absolutæ & perfectæ, nullisque miseriis obnoxia. In hoc statu homo scientiarum naturalium & virtutum moralium apparatu esset instructus, a morbis vero & moriendo necessitate immunis. Status naturæ innocentis est conditio naturæ humanæ iustitia originali prædictæ, addit autem iustitia originalis ad integratatem naturæ gratiam sanctificantem, uberrimam illam quidem & perfectissimam, cuius beneficio non solum ratio hominis perfecte subdebetur Deo, sed etiam ejus voluntas subjiciebatur rationi, voluntati appetitus sensitivus, & corpus animal. Status naturæ lapsæ est conditio naturæ humanæ peccato Adami, quod in omnes posteriores per generationem propagatum est, inquinata. Status naturæ humanæ lapsæ ante Legem est ille status, qui exordium habuit immediate post peccatum Adami, & perduravit usque ad Legem scriptam, seu Mosaicam. In hoc statu homines vixerunt sine ulla Lege scripta, solam habentes Legem naturalem in eorum cordibus insculptam, sed multum, ob peccata, quibus se fecerant, ob-

obscuratam. Status naturæ lapsæ sub Lege Mosaica est ille status, in quo fuit Respublica Iudeorum a tempore Legis Mosaicæ usque ad adventum Jesu Christi, Servatoris nostri. Status naturæ humanae sub Lege Evangelica, est ille status, qui au- spicatur ab adventu Jesu Christi, & perficit us- que ad finem Mundi. Quamvis autem homo in hoc statu sub Lege Evangelica per gratiam medi- cinalē sit a Christo Domino sanatus, semper tamen dicitur esse in statu naturæ lapsæ, quia licet per Baptismum gratia restituatur, semper tamen manet in homine, etiam justificato, peccati fomes, qui est appendix peccati originalis, & ad peccatum inclinat, ita ut, licet homo in statu Legis Evangelicæ per Gratiam Sanctifican- tem perfecte sanetur quantum ad mentem, remaneat tamen infirmitas quantum ad carnem, per quam propendet ad peccatum, ut docet S. Thomas. Denique status hominis in pace est ille, qui ( ut inquit Sanctus Augustinus in Enchiridio ad Lau- rentium cap. 118. ) post hanc vitam in requie spi- ritus, deinde etiam in resurrectione carnis implebi- tur. Habet nunc compendiosam notitiam status naturæ puræ, & omnium statuum naturæ huma- ne.

D. Ex ea, quam mox tradidisti, notitia status naturæ puræ, facile nunc intelligo, non solum in eo statu Adamum non fuisse conditum, sed nec in eo potuisse a Deo creari. Status quippe natu- ra puræ, ut mox dicebas, ille est, in quo homo fuisset obnoxius miseriis corporis, idest, mor- bis, & morti absque ullo peccato præcedente. At videtur prorsus impossibile, ut Deus, qui ju- stus est, velit hominem condere eo in statu, in quo, absque ullo præcedente peccato, iisdem miseriis, morbis & morti homo esset addictus, quas nunc in statu naturæ lapsæ, ob peccatum originale, quod in Adamo contraximus, justè patimur. Sub justo liquidem Deo nemo innocens miser esse potest.

M. Siste, precor, video enim te a recta via deflectere, ad quam te reducam necesse est. Dum dicis, Adamum in statu naturæ puræ non fuisse conditum, recte sentis. At, dum assertis, prorsus impossibile esse, ut Deus Adamum in statu naturæ puræ crearet; a vero quam longissime recedis. Hic enim ipsissimus est error Cornelii Jansenii, Episcopi Irensis, qui in tribus libris, quos edidit, *De statu naturæ pure*, totus est ut probet, statum naturæ puræ esse prorsus impossibilem, Deumque fore injustum, si hominem in statu naturæ puræ condidisset, in quo (nullo præcedente peccato) iisdem miseriis, morbis, & morti subjaceret, quibus nos in præsenti statu naturæ lapsæ, propter peccatum originale sumus obnoxii. Verum, hunc Jansenii errorem, quem praformaverat Michael Bajus, profigarunt Romani Pontifices Sanctus Pius V. Gregorius XIII. Urbanus VIII. & Innocentius X. dum istas duas Michaelis Baji Propositiones damnarunt, quarum prior, quæ ordine est vigesima secunda, his verbis concepta est: *Humana nature sublimatio, & exal- gratiæ prima conditionis*. Altera vero Proposi-

tio, quæ est in ordine 55. sic habet: *Deus ab initio non potuit talem creare hominem, qualis nunc nascitur*. Has Michaelis Baji Propositiones, quas in tribus libris de Statu naturæ puræ recoxit Jansenius, quæque status naturæ puræ possibi- litatem plane evertunt, dum confixerunt mox a me laudati Summi Pontifices, status naturæ puræ possibilitatem agnoverunt. His Summe- rum Pontificum definitionibus aperte adstruitur doctrina Sancti Thomæ, qui Quodlibeto primo, quæst. 4. art. 3. hæc scribit: *Possibile fuit Deo ut hominem facere in puris naturalibus*, idest, nullis instructum donis gratuitis, seu supernaturalibus, ac subinde in statu naturæ puræ. Et in libro 2. Sent. distinct. 21. quæst. 1. art. 2. ad 3. difficultatem, quæ tibi circa status naturæ puræ possibilitatem facest negotium, plenissime diluit idem Doctor Angelicus his verbis: *Poterat Deus a principio quando hominem condidit, etiam alium hominem ex limo terra formare, quem relinqueret in conditione sue naturæ, ut scilicet mortalis & passibilis esset . . . . in quo nihil huma- ne naturæ derogaretur, quia hoc ex principiis na- ture consequitur; non tamen iste defectus in eo ra- tionem culpa & pœna habuisset, quia non per vo- luntatem iste defectus causatus esset*. Idem inculcat Sanctus Doctor 1. part. quæst. 74. art. 5. ad 1. dicens: *Corpus hominis ante peccatum immortale fuit non per naturam, sed per gratie donum*. Quam doctrinam haulit Sanctus Praeceptor ex S. Augustino, qui libro 2. de Genesi ad litteram cap. 15. ait: *Posse non mori, prestatatur Adamo de ligno vite, non de constitutione nature mortalis ergo erat conditione corporis animalis, immortalis beneficio conditoris*. Homo itaque, juxta illos Sanctos Patres, si in statu naturæ pure con- ditus fuisset, perfensiſſet miserias & mortem, quas nunc patimur in statu naturæ lapsæ, cum hoc tamen discrimine, quod in statu naturæ puræ, si extitisset, miseriae, & mors non habuissent ra- tionem pœnae, cum in eo statu nulla culpa, nali- lum peccatum, propter quod Deus hominibus pœ- nas infligit, fuisse supponatur, sed fuissent meri defectus consequentes hominis in statu naturæ puræ conditionem, cuius natura fuisset passi- bilis & mortalís, non secus ac miseriae & mors, quas patiuntur belluae, sunt naturales de- defectus consequentes earum naturam, quæ passi- bilis ac mortalís est, sed pœna dici haud pos- sunt, cum pœna non infligantur a Deo nisi ob præcedens peccatum, cuius capaces belluae esse non possunt. At vero, in statu naturæ lapsæ, miseriae & mors, quibus sumus obnoxii, sunt pœnae peccati originalis, seu primigenia culpe Adami, primi omnium parentis, qui, exci- dendo e statu innocentiae, immortalitatem, quam a Deo acceperat, perdidit, & peccan- do violavit pactum, quo sanxerat Deus, immortalitatem, ei concessam, in posteros il- lius translatum iri, nisi ipse in peccatum laberetur, & justitiae originalis, sibi, posterisque suis iacturam faceret. Hac autem semel de la- piu Adami e statu innocentiae supposita hypotheti- fi (quæ Scriptura Novi ac Veteris Testamen- ti,

ti, perpetuaque Sanctorum Patrum Traditione confirmant ) liquet, Deum immortalitatis beneficium, immunitatem a miseriis, & justitiae originalis donum subtraxisse Adamo, & posteris eius in peñam peccati, quo se primus ille homo, omnesque alios homines, ex ipsis semine nascituros, reos fecit, ac proinde mizerias, quas nunc patimur, esse peñas peccati originalis. Hinc est, quod S. Augustinus, aliique Patres, qui disputatione contra Pelagianos, peccatum quidem originale negantes, sed tamen ultro admittentes hanc hypothesim de lapsu Adami ex innocentia statu, quam, multis Scripturæ Sacrae cum Veteris, tum Novi Fœderis testimonio stabiliter, iniciari non poterant; contra illos, inquam, Hæreticos Pelagianos disputantes S. Augustinus, aliique Patres invicte probarunt, mortem, mizerias, & calamitates, quibus nunc obnoxii sunt homines, esse peñas peccati originalis, seu culpa Adami, primi omnium hominum parentis, quia cum Deus sit justus, & neminem puniat, nisi ob præcedentem culpam, numquam profecto immortalitatis beneficium, ab omnibus miseriis immunitatem, justitiam originalem, aliaque dona gratuita, quæ testante Scriptura, Adamo concenserat, & in ejus posteros transmitti debebant, si Adamus non peccasset, hæc, inquam, omnia Dona supernaturalia nunquam Deus Adamo, ejusque posteris ademisset, nisi Adamus peccasset, & in peñam peccati, sibi, suisque posteris, omnia illa dona supernaturalia amississet. Quamobrem Apostolus Paulus Epist. ad Romanos cap. 5. ait, *Per unum hominem, idest, Adamum, peccatum in hunc Mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* (a)

" (a) Quamquam, fateor, optimis argumentis fulciri sententiam admittentem in Deo potestatem creandi naturam puram omni Dei gratia destitutam, non est tamen cur censura aliqua notemus opposite sententiae assertores, illustres illos plane, & summa inter Theologos auctoritatis, sicut & dignitate conspicuos, quos inter eminet Cardinalis Norisius, ceteraque, quos longiori ordine percepset Theologus nostra ætate doctissimus P. Joannes Laurentius Berti Eremitani ordinis Lumen in suo opere de Theologicis disciplinistom. I. lib. XII. cap. III. in additamentis, his verbis: *Itaque ab eorum placito, qui pure naturæ statum putant esse impossibilem, non erit penitus recedendum: pugnant enim pro hac sententia Theologi in Augustinum studiosissimi Norisius, Gavardi, Bellelli, Lafosse, Clenarts, Pauwens, Rolliers, Lovanienses Augustiniani, reliqui omnes. Idem tandem clarissimus Theologus hanc sententiam temperamento aliquo lenit ex S. Thoma in IV. contra Gent. cap. 52. inferens: non posse creaturam rationalem sine culpa subjici morti, ceterisque animi, corporisque mizeriis. Quibus ex verbis discas ita hominem condi a Deo posse in statu puræ naturæ, ut animi corporisque ærumnis non submittetur.*

D. Nullam amplius circa possibilitatem status naturæ puræ difficultatem patior. Nam, cum immortalitas, & Gratia sint beneficia homini indebita, nihil dubii est, quin Deus, si voluisset, hominem condere potuisset in statu naturæ puræ, & in eo illum relinquere, juxta naturæ humanæ conditionem, passibilem & mortalem. Sed uberior, quæ te, expone nunc, quid sit illa justitia originalis, qua Adamum, antequam peccaret, fuisse donatum, paulo ante observasti.

M. Per justitiam originalē, quam habuit Adamus ante peccatum, intelligitur rectitudine & ordo totius hominis, & omnium ejus facultatum, tam inter se, quam respectu suorum actuum. Hæc autem justitia dicitur *originalis*, quia homini ab origine a Deo indita est, eamque nisi peccasset, ad omnes posteros transmisisset, non quidem vi seminis, sed beneficio Dei, qui hoc cælestis Donum in generatione simul cum anima infusisset. In tribus autem potissimum sita erat hæc justitia originalis. Primo, in subjectione mentis hominis ad Deum, quæ subjectione perfectissimam Legis ejus notitiam, & plenam cognitio Legis involvebat obedientiam, ita ut hoc in felici statu constitutus homo vere dicere posset: *Mihi adherere Deo bonum est.* Secundo, sita erat justitia originalis in partium animæ inferiorum, videlicet concupiscentis, & irascientis appetitus, perfecta subjectione respectu Reginae rationis, quæ supremo & absoluto imperio potiebatur. Denique, sita erat justitia originalis in obsequio, seu subjectione corporis ad animam, sicut dilucide explicat S. Thomas I. parte quæst. 95. art. 1. Hæc autem triplex subjectione, promanans e justitia originali, efficiebat, ut primi parentes nostri, in statu innocentiae constituti, nullis interioribus superbia tentationibus agitarentur, nulla cupiditate, inordinative motibus moverentur ad violandum Dei præceptum, nullo dolore vel timore afficerentur, sed summa tranquillitate fruerentur, iugi ad Deum amore anhelarent & omne peccatum vitarent, sicut S. Augustinus lib. 14. De Civitate Dei cap. 10. testatur his verbis: *In illo statu erat devitatio tranquilla peccati, qua manente, nullum malum omnino esse poterat.* Docet etiam S. Thomas I. 2. quæst. 89. art. 3. primos parentes nostros in statu innocentiae non potuisse peccare venialiter, antequam peccarent mortaliter per internam elationem. Et I. part. quæst. 94. art. 4. postquam probavit, Adamum in statu innocentiae decipi non potuisse, in responsione ad primum sibi propositum argumentum hæc habet: *Dicendum, quod seductio mulieris, seu Eva, et si præcesserit peccatum operis, subsecuta tamen est peccatum internæ elationis (quod fuit mortale) Dicit enim Augustinus lib. 11. de Genesi ad litteram cap. 30. quod mulier verbis serpentis non crederet, nisi iam inesse meriti ejus amor propria potestatis, & quedam de se superba præsumptio.*

D. Crassiori, si placet, minerva expone, cur primi parentes nostri in statu innocentiae non potuerint venialiter peccare, antequam peccarent mortaliter. Id quippe, ut candide fatetur, nequid satis

satis intelligo. At enim, iustitia originalis in statu naturae innocentis mentem primorum parentum nostrorum non perfectius Deo subjiciebat, quam Gratia sanctificans in statu naturae lapsæ mentem hominum justorum Deo subjiciat; atque tamen Gratia sanctificans in statu naturae lapsæ non impedit, quoniam justi interdum labantur in peccatum veniale: quidni igitur cum iustitia originali, qua primi parentes nostri in statu innocentiae erant instructi, cohædere potuit veniale peccatum? Par enim videtur utrobique ratio.

M. Falleris. Iustitiam originalem in statu naturae innocentis inter & Gratiam sanctificantem in statu naturae lapsæ non est par utrobique ratio. Iustitia quippe originalis in statu innocentiae triplicem habebat effectum. Primarius effectus iustitiae originalis erat mentem primorum parentum nostrorum subjicere Deo, illosque Deo gratos & amicos facere; & hunc primarium effectum, quem iustitia originalis in statu innocentiae producebat, restitutus hominibus in statu naturae lapsæ Gratia Sanctificans, quæ datur in Sacramentis Baptismi & Pœnitentie, homines facit Deo gratos & amicos, eorumque mentes subjicit Deo. At effectum alterum iustitiae originalis, per quem vires inferiores primorum parentum nostrorum perfecte subjiciebantur rationis imperio, & tertium itidem effectum iustitiae originalis, per quem corpus Adami, & Eveæ obsequabantur animæ; utrumque, inquam, secundarium illum iustitiae originalis effectum hominibus in statu naturae lapsæ non restitutus gratia Sanctificans. Quo fit, ut etiam in iustis, qui in statu naturae lapsæ gratia Sanctificante prelati sunt, nonnunquam eorum rationis vigilantiæ antevertant motus inordinati appetitus lentiens, qui, rationi cum subditæ non sint, peccata sunt venialia, quæ in statu innocentiae locum habere haud potuissent, quia iustitia originalis vires inferiores in primis parentibus nostris perfecte rationi, & corporis subjiciebat animæ. Hoc discrimen, quod interest iustitiam originalem in statu innocentiae inter & Gratiam sanctificantem in statu naturae lapsæ recte explicat S. Augustinus lib. de Correptione & Gratia cap. II. his verbis: Ille, seu Adamus, non opus habebat eo adiutorio, quod implorant ipsi ( scilicet homines etiam iusti in statu naturae lapsæ ) cum dicunt: Video aliam Legem in membris meis repugnantem Legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis: infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. Quoniam in eis caro concupisit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem, atque in tali certamine laborantes, ac periclitantes, dari sibi propugnandi, vincendique virtutem, Christi gratiam poscent. Ille vero, seu Adamus, nulla tali rixa a se ipso adversus se ipsum tentacum pace fruebatur. Et lib. de Civitate Dei cap. 14. hec de primis parentibus nostris habet Aquilinus ille Doctor: Quam igitur felices erant primi homines; & nullis agitabantur perturbationibus animbrum, nullis corporis ladebantur incommu-

dis. Idemque repetit cap. 26. ejusdem Libri, dicens: Summa erat in carne ( Adami & Eveæ ) sanitas, in animo tota tranquillitas: sicut in Paradiso nullus erat ætus vel frigus, sic etiam in ejus habitatore nulla ex cupiditate, vel timore accedebat bone voluntatis offendio, nihil omnino triste, nihil evar inaniter letum, gaudium enim perpetuabatur ex Deo, in quem fragrabat charitas ex corde puro, patientia bona, & Fide non ficta. Consule etiam Doctorem Angelicum in 2. libr. Sent. distinct. 32. qu. 1. art. 2. ad 2. ubi ostendit, Gratiam Sanctificantem in statu naturae lapsæ vires inferiores hominis non perfecte subjicere rationi, nec ejus corpus animæ; sicut iustitia originalis in statu innocentiae perfectissime subjiciebat.

D. Propria experientia, heu nimium! agnosco discrimen istud, quod iustitiam originalem in statu innocentiae inter & Gratiam Sanctificantem in statu naturae lapsæ mox indicasti. At, optarem, ut duo Dubia, quæ nonnulli exhibent mili negotii, eadem brevitate dirimeres. Primum est: an ( facta hypothesi, quod Adamus in statu innocentiae perseverasset ) homines nati fuissent cum iustitia originali, & in ea essent confirmati? Alterum Dubium est: utrum ( facta eadem hypothesi ) pueri nati essent in scientia perfecti, & statim, ac produisse ex utero matris, habuissent perfectum rationis usum.

M. Certum est ( si Adamus perseverasset in statu innocentiae ) homines nascituros cum iustitia originali, quæ erat accidens consequens naturam speciei, seu donum, non soli Adamo, sed toti naturæ humanae datum. Nam, cum naturaliter homo generet sibi simile secundum speciem, necessè fuisset, ut in statu innocentiae, in quo non fuisset error in operatione naturæ, pueri, qui nati fuissent, assimilarentur Adamo, primo omnium parenti, in iustitia originali, quæ erat donum toti naturæ humanae a Deo datum. Et hoc apparet, inquit S. Thomas I. part. qu. 100. art. 1. quia opposita sunt unius generis: peccatum aeternum originale, quod opponitur iustitiae originali, dicitur esse peccatum nature. Unde traducitur a parente in posteris: Et propter hoc, etiam filii ( in statu innocentiae ) parentibus assimilati fuissent quantum ad originalem iustitiam, idest, nati fuissent in iustitia originali. Advertit tamen idem S. Doctor in responsione ad secundum argumentum ejusdem articuli, iustitiam originalem non fore in statu innocentiae gratiam naturalem, quia non fuisset transclusa per virtutem feminis, sed fuisset collata homini statim cum habuisset animam rationalem, sicut etiam statim cum corpus est dispositum infunditur a Deo anima rationalis, que tamen non est ex traduce. Puero igitur in statu innocentiae nati quidem fuissent in iustitia originali, sed in ea non essent confirmati, quia homines, ut docet Angelicus Doctor I. part. qu. 100. art. 2. non possunt in iustitia & gratia confirmari nisi per claram & intuitivam divinæ essentiae visionem, quæ dumtaxat post hanc vitam haberet potest. Porro, nec Adamus in statu innocentiae potitus est visione essentiae Dei, nec, si in eo perseverasset, ipsius posteri, quamdiu vixisset, apertam Dei visionem habuissent: non fuissent ergo pueri in statu in-

nocentia confirmati in iustitia originali. Si itaque Adamus non peccasset, non generasset quidem ex se filios gehennæ, ita scilicet, quod ab ipso contraherent peccatum, quod est causa gehennæ, possent tamen fieri filii gehennæ per liberum arbitrium peccando: vel si filii gehennæ non fierent per peccatum, hoc non esset propter hoc, quia essent in iustitia confirmati, sed propter divinam providentiam, per quam a peccato conservarentur immunes. Sunt verba S. Thome in responsione ad primam objectionem sibi propositam in art. 2. quæst. mox citatae. Quod spectat alterum, quod proposuisti, Dubium, utrum videlicet pueri in statu naturæ innocentis fuissent in scientia perfecti? Respondeo cum eodem Sanctissimo Praeceptore 1. part. quæst. 101. art. 1. quod pueri in statu innocentie non nascerentur perfecti in scientia, sed eam progressu temporis absque difficultate acquisivissent inventiendo, vel addiscendo. Habuissent tamen pueri in statu innocentia, ut ibidem ait S. Thomas, scientiam, quæ eis conveniens fuisset secundum tempus illud, quæque fuisset sufficiens ad dirigidum eos in operibus iustitiae, in quibus homines diriguntur per principia juris naturalis, quorum, & aliorum universalium principiorum notitiam multo plenius tunc habuissent, quam nunc naturaliter habemus. Similiter etiam, pueri, qui nati fuissent in statu innocentia, non habuissent statim perfectum usum rationis, sicut habitu erant in ætate perfecta; habuissent tamen perfectiorem quam nunc, quantum ad opera puerilia, quæ ad eos pertinebant, & quantum ad statum illum, sicut explicat S. Thomas 1. p. q. 102. art. 2. Denique in statu innocentia pueri, secens nati, non habuissent sufficientem virtutem ad movendum membra ad quoslibet actus, propter cerebri humiditatem, sed ad actus, dumtaxat pueriæ convenientes, puta ad fugendum ubera, & ad alia huiusmodi. Qua de re legesis sapientia jam a me laudatum Doctorem Angelicum 1. part. q. 99. art. 1.

D. Doctrinam S. Thome summa, qua par est, veneratione profequor, eique, seu sacræ anchoræ, induvulse adhæreo. Non ægre tamen, opinor, feres, si quasdam difficultates, uberioris explicationis ergo, hic proponam, quas contra hanc Doctrinam S. Thome de statu naturæ innocentis nuper mihi ingesserunt viri quidam eruditæ. In primis juxta Doctrinam S. Thome, ideo Adamus non fuit confirmatus in iustitia originali, quia Adamus in statu innocentia clara & intuitiva essentia divinae visione non fruebatur; at, id falsum esse pertendebant viri illi eruditæ, multaque laudabant testimonia Sanctorum Patrum, præterim S. Augustini, quibus probabant, Adamum in statu innocentia aperta & intuitiva Dei visione potitum fuisse, ejusdemque claræ & intuitivæ visionis divinae essentiaæ participes fore homines, si Adamus non peccasset. Præterea, juxta doctrinam S. Thome, si Adamus non peccasset, pueri, qui nati fuissent in statu innocentia, habuissent quidem iustitiam originalem, in ea nihilominus non fuissent confirmati, sed per liberum arbitrium in peccatum prolabi, & iustitiae originalis jactu-

ram facere potuissent. Quod quidem creditu difficile est, quia, ut inquietabant viri illi eruditæ, cum in statu naturæ innocentis nulla prorsus fuissent instituta Sacraenta, homines eo in statu innocentia, qui in peccata lethalia prorupissent, & iustitiam originalem amississent, caruissent omni medio, quo posset a peccato resurgere, & deperditam iustitiam originalem recuperare. Id autem conditionem hominum in statu naturæ innocentis ( si perseverasset ) nimis durans reddere videtur, immo eam deteriorem efficieret conditione hominum in statu naturæ lapsæ, quibus tot suppeditunt remedia, seu Sacraenta, a Christo Domino instituta, quibus homines, in peccatum mortale lapsi, posseunt facili negotio e peccato emergere, & amissam Gratiam sanctificantem denuo adipisci. Denique, juxta Doctrinam S. Thome, si Adamus non peccasset, pueri, qui in statu innocentia nati fuissent, iustitiam quidem originalem habuissent, sed non nati essent in scientia perfecti, nec statim habuissent perfectum rationis usum, nec sufficientem virtutem ad movendum membra ad quoslibet actus. Hæc autem S. Thome doctrina minus veritati videtur consentanea, quia sicut Adamus, statim ac creatus est a Deo, non solum habuit iustitiam originalem, sed etiam in omni scientia fuit perfectus, rationis usum omni ex parte absolutum, & completam habuit virtutem movendi membra ad quoslibet actus; ita Adamus, si in statu innocentia perseverasset, genuisset filios sibi similes, qui subinde nasci debuerent non tantum cum iustitia originali, sed etiam in omni scientia perfecti, & pollentes statim a nativitate perfecto rationis usum, & sufficienti virtute movendi membra ad quoslibet actus. Omne siquidem agens generat sibi simile, juxta vulgare Effatum, omnium Philosophorum calculo in Scholis consecratum. Hæ sunt in summa difficultates, quas contra doctrinam Sancti Thomæ circa statum innocentia paucis abhinc diebus proponebant viri quidam eruditæ, quibus diluendis cum me imparem esse ultro agnoscam, tunc nunc auxilium imploro.

M. Si Opera Sancti Thomæ, quibus ejus doctrina continetur, frequenter, ut par est, lectores, facile profecto te ab istis difficultatibus expedire potuisses, quibus Sanctus ille Doctor abunde fecit satis. Verum enim vero, ut incipiam a prima difficultate: Quod ajebant viri illi eruditæ, Adamum in statu innocentia potitum fuisse clara & intuitiva Dei visione, & homines, si in eo innocentia statu perfittisset Adamus, ejusdem pariter avertæ visionis divinae essentiaæ participes fore, tam falsum est, quam quod maxime, & a Sancto Thoma invictis argumentis confutatum. Si enim Adamus in statu innocentia fructus fuisset visione clara, & intuitiva Divinae essentiaæ, non fuisset ad diligendum Deum liber, nec subinde mereri potuisset. Certum quippe est apud omnes Theologos, eum, qui fruatur visione beatifica, non libere, sed necessario diligere Deum, nec amplius illum mereri posse, quia jam non est in via, sed in patria, seu

seu in celo, ubi non est amplius merendi locus. Porro Adamus, quando erat in statu innocentiae, erat adhuc in via, & non in patria: non poterat igitur Adamus in statu innocentiae frui clara & intuitiva Dei visione, qua homines non in via, sed dumtaxat in patria gaudere debent. Præterea tantum abest, ut Adamus in statu innocentiae mereri haud potuerit, ut potius (sicut docet S. Thomas 1. part. qu. 95. art. 4.) efficaciora fuisse hominis opera ad merendum in statu innocentiae quam post peccatum, si attendatur quantitas moriti ex parte gratiae, que tunc copiosior fuisset, nullo obstatculo in natura humana invento: similiter si consideretur absoluta quantitas operis, quia cum homo esset majoris virtutis, majora opera fecisset. Sunt ipsissima verba S. Thomæ, ex quibus manifesto colligitur, Adamum, in statu innocentiae constitutam, mereri potuisse, quia erat in statu viae, in quo non datur clara & intuitiva Dei visio, sed solum in patria, ubi, post emensum hujus vite curriculum, hoc præmio beati dominantur in Cœlis. Præterea Fides, cum sit obscura, stare minime potest cum clara & intuitiva divinae essentiae visione, ut concors est omnium Theologorum sententia, at perfectio primi flatus, seu innocentiae (sicut docet idem Doctor Angelicus 1. part. qnaest. 95. art. 3. & post ipsum omnes fatentur Theologi) non se extendebat ad hoc, quod Adamus videret Deum per essentiam, & ut haberet eum fruitione finalis beatitudinis, unde fides & spes esse poterant in primo statu & quantum ad habitum & quantum ad actum. Cum igitur, juxta S. Thomæ, & omnium Theologorum doctrinam, Adamus in statu innocentiae habuerit Fidem & quantum ab habitum, & quantum ad actum, nulla ratione dici potest, Adamum in statu innocentiae clara & intuitiva divinae essentiae visione fuisse potitum. Sed accedit ultima ratio, quæ peremptoria videatur: nullus videns Deum per essentiam (inquit S. Thomas 1. part. qu. 94. art. 1.) potest voluntate averti a Deo, quod est peccare: & propter hoc omnes videntes Deum per essentiam, sic in amore Dei stabiliuntur, quod in eternum peccare non possunt. Cum ergo Adamus peccaverit, manifestum est, quod Deum per essentiam non videbat. Verum, quamvis Adamus in statu innocentiae non frueretur clara & intuitiva divinae essentiae visione, nec subinde perfecta beatitudine, quæ in clara Dei visione consistit, habuit tamen in statu innocentiae, juxta statum viae, in quo adhuc erat, beatitudinem longe perfectiorem, & cognitionem de Deo multo altiorem, quam habent homines post peccatum, quia, ut docet S. Thomas articulo mox citato, homines, post peccatum, cognoscunt Deum per sensibiles & corporeos effectus, atque a consideratione plena & lucida intelligibilium effectuum impediuntur per hoc quod distrahitur a sensibilibus, & circa ea occupantur; sed Adamus in statu innocentiae non impediebatur per res exteriiores a clara & firma contemplatione intelligibilium effectuum, quos ex irradiatione primæ veritatis percipiebat, sive naturali cognitione,

sive gratuita. Sic igitur Adamus in statu innocentiae per hujusmodi intelligibiles effectus Dei, clarius Deum cognoscebat, quam modo cognoscimus, planeque liber erat ab illa obscuritate, quæ ex peccato consecuta est, & qua homo in statu naturæ lapsæ impeditur a consideratione effectuum intelligibilium Dei per sensibilium effectuum occupationem. Hoc pacto Doctor Angelicus explicat mentem S. Augustini, & aliorum Sanctorum Patrum, qui per illam claram cognitionem Dei, quam Adamo in statu innocentiae tribuunt, non intellexerunt claram & intuitivam Dei visionem, quæ habetur dumtaxat in patria, queque non conveniebat statui viæ, in quo erat Adamus in statu innocentiae constitutus, sed intellexerunt plenam, claram, & firmam contemplationem Dei, quam Adamus in statu innocentiae hauriebat ex cognitione intelligibilium effectuum Dei. Repudiari igitur iure optimo debet sententia doctissimi aliqui viri, Ien. Ludevici Thomassini, Congregationis Oratorii Jesu Presbyteri, tomo 1. Theologorum Dogmatum, & aliorum modernorum Scriptorum, qui docent, & Adamum in statu innocentiae potuisse fuisse clara & intuitiva divinae essentiae visione. Sed nunc manet sat superque eliquata prima difficultas.

De altera difficultate propter altum Scripturarum & Sanctorum Patrum silentium, pauca dicam. Docet quidem S. Thomas, quod, si Adamus non peccasset, homines, qui in statu innocentiae nati fuissent, habuissent justitiam originalem, sed in ea tamen non fuissent confirmati, quia per liberum arbitrium peccando eam amittere potuissent. Sed medium, quo illi homines derperditam justitiam recuperarent, nullibi indicat Doctor Angelicus. Sunt quidam Theologi qui docent, Adamo non peccante, homines, qui in statu innocentiae justitiam originalem per peccatum amisissent, eam recuperaturos per actus charitatis & contritionis, quos, ob excellentiorem, quam de Deo cognitionem habuissent, facilius elicere potuissent, quam nos Alii Theologi existimant, Deum in statu innocentiae pro brevi illo, quo duravit, tempore, instituisse Sacraenta, &, Adamo non peccante, fore Sacraenta, quorum beneficio homines, qui excidissent e justitia originali, eam recuperare, vel conservatam augere potuissent. Ipse vero, licet cum Sancto Thoma ultra fatear, nulla in statu innocentiae, pro brevissimo illo tempore, quo Adamus in eo vixit, instituta fuisse Sacraenta, cum de iis nec in Scriptura Sacra, nec in Traditione Sanctorum Patrum vel minimâ mentio fiat; crediderim tamen, quod, Adamo non peccante, & perdurante innocentiae statu, instituta fuissent a Deo Sacraenta, non que producerent Gratiam medicinalem, seu Gratiam Salvatoris Christi Domini, sicut producunt Sacraenta Nova Legis (cum juxta Thomistarum doctrinam, Scriptura Sacra, & constanti Sanctorum Patrum Traditione fuitam, Adamo non peccante, Christus non venisset, seu Verbum Divinum non fuisset incarnationum)

tum) sed quæ producerent gratiam Creatoris, qualem habuit Adamus in statu innocentia, & quorum ope posteri Adami, si justi fuissent augmentum gratiæ confequi potuissent, vel, si gratiam peccando amisissent, eam recuperassem. Addo etiam, quod posteri Adami, si perdurasset innocentia status, veram Ecclesiam essent constituturi, atque ita habituri Sacraenta, quia in nullum nomen Religionis seu verum, seu falsum, coadunari homines possunt, nisi aliquo signaculorum, aut Sacramentorum confortio. Sunt verba S. Augustini lib. 19. contra Faustum, Hereticum Manichæum, cap. 11.

Postremam difficultatem, cur, durante innocentia statu, pueri pati fuissent cum justitia originali, sed tamen non statim in omni scientia essent perfecti, nec pleno rationis usu prædicti, nec sufficienti pollentes virtute movendi membra ad quoslibet actus? hanc, inquam, difficultatem luculentissime diluit S. Thomas 1. part. qu. 100. art. 1. his verbis: *Dicendum*, inquit, *quod naturaliter homo generat sibi simile secundum speciem*; unde quacumque accidentia consequuntur naturam speciei, in his necesse est quod filii parentibus similentur, nisi sit error in operatione naturae, qui in statu innocentia non fuisset, in accidentibus autem individualibus non est necesse quod filii parentibus similentur, justitia autem originalis, in qua primus homo conditus fuit, fuit accidens naturae speciei, seu donum gratitutina a Deo datum toti naturæ... & propter hoc, etiam filii parentibus assimilati fuissent quantum ad originalem justitiam. At vero, esse statim perfectum in omni scientia, confessim habere plenum rationis usum, & sufficientem virtutem movendi membra ad singulos actus, hæc, inquam, accidentia, data Adamo statim post ejus creationem, non confequebantur naturam speciei, sed erant accidentia dumtaxat individualia Adami, qui, ut, docet S. Thomas 1. part. qu. 94. art. 3. sicut institutus est in statu perfecto quantum ad corpus, ut statim posset generare, ita etiam institutus est in statu perfecto quantum ad animam, ut statim posset alios instruere, & gubernare. Non potest autem quis instruere, nisi habeat scientiam; & ideo primus homo sic institutus est a Deo ut haberet omnium scientiam. Quapropter, in his accidentibus individualibus Adami, pueri, qui in statu innocentia essent nati, Adamo, primo omnium parenti, non fuissent assimilati, quia, sicut diserte docet idem S. Præceptor, 1. part. quæst. 101. art. 1. ad primam sibi propositam objectionem: *esse perfectum in scientia*, fuit individualis accidentis primi parentis, in quantum scilicet ipse instituebatur ut pater & instructor totius humani generis; & ideo quantum ad hoc non generasset filios similes sibi, sed solum quantum ad accidentia naturalia, vel gratuita totius nature.

D. Difficile adducor ut credam, pueros, durante innocentia statu, nascituros absque sufficienti virtute movendi corporis membra ad quoslibet actus, eosque nascendo similes fore pueris, qui nunc nascuntur in statu naturæ lapsa, qui que magis imbecilles, & fragiles nascuntur, quam cætera animalia nasci solent, quæ, ut

funt edita ex utero, protinus in suos pedes eriguntur, statimque aeri tolerando idonea sunt. Homines contra nudi, & inermes, tanquam ex naufragio in hujus vitæ miseras projiciuntur, & expelluntur, qui neque mouere se loco, ubi esti sunt, possint, nec alimentum lactis appetere, nec injuriam temporis ferre, sive inopes, & infirmi, & omni auxilio indigentes, nihil aliud moliri queant, quam fragilitatis suæ conditionem ploratu, ac fletibus ominari. Hanc sane conditionem, cui in statu naturæ lapsæ obnoxii sunt pueri recens nati, facile crediderim esse poenam peccati Adami, quam subinde, Adamo non peccante, pueri, qui in statu innocentia nati sunt, non essent experti.

M. Quod quedam animalia, statim ac in lucem edita sunt, habeant usum membrorum, id eorum nobilitati adscribi minime debet ( inquit S. Thomas 1. part. qu. 109. art. 1. ad primum ) cum quedam animalia perfectiora non habeant: sed hoc eis contingit ex siccitate cerebri, & quia aëlis proprii talium animalium sunt imperfecti, ad quos etiam parva virtus sufficere potest. Homo autem naturaliter habet cerebrum majus in quantitate secundum proportionem sui corporis, quam cætera animalia; unde naturale est, quod propter maximam humiditatem cerebri, in pueris nervi, qui sunt instrumenta motus, non sunt idonei ad movendum membra, sicut in eodem articulo docet S. Thomas. Quamvis autem pueri, in statu innocentia recens nati, caruissent sufficienti virtute movendi membra ad quoslibet actus, habuissent tamen sufficientem virtutem movendi membra ad actus pueritiae convenientes, videlicet ad fugendum ubera, & ad alia hujusmodi, adeoque liberi fuissent ab illa infirmitate, quæ pueris in statu naturæ lapsæ apparet, etiam quantum ad actus eorum pueritiae convenientes, quippe qui, ut ait S. Augustinus in lib. de Baptismo parvolorum, *juxta se jacentibus mammis, magis possunt esurientes flere, quam sugere*.

D. Pueri, qui in statu innocentia nati sunt, nullum persensissent senectutis defectum, quia, ut antea dicebas, nati essent cum justitia originali, cuius beneficio immortales evasissent. Vero igitur similius esse videtur, pueros, qui in statu innocentia nati essent, immunes itidem fore ab omni pueritiae defectu, subindeque illos, recens natos habituros sufficientem virtutem movendi pro arbitrio suo membra ad quoslibet actus.

M. Constans Fidei dogma est, Adamo non peccante, homines in statu innocentia nec morti, nec ulli senectutis defectui fore obnoxios. Mors siquidem, cui omnes omnino homines, ve- lint nolint, in statu naturæ lapsæ subjacent, est poena peccati Adami, sicut Apostolus Paulus Epistola ad Romanos cap. 5. diserte docet his verbis: *Propterea*, sicut per unum hominem ( id est Adamum ) peccatum in hunc Mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt. Dicitur etiam cap. 2. libri Sapientie: *Deus creavit hominem inextirpabilem ... invictum*

*dia autem Diaboli mors introivit in Orbem terrarum.* Ex peccato itaque Adami concupiscentia mala, morbi, labores, calamitates, mors ipsa tanquam ex mala radice oriuntur, &, sicut ait S. Augustinus Serm. 240. alias 139. de tempore, malorum omnium nostrorum causa peccatum est. Non enim sine causa homines mala ista patiuntur. *Justus est Deus, omnipotens est Deus: nullo modo ista pateremur, si non mereremur.* Cum igitur mors sit pœna hominibus inflata propter peccatum Adami, eo non peccante, posteri illius in statu innocentiae a morte, & ab omni senectutis defectu immunes extitissent, utpote immortalitatis dono prædicti, non fuissent tamen liberi a quibusdam pueritiae defectibus, qui ex peccato originem non habent, sed consequuntur generationem, & divelli haud possunt a principiis nature humanae, & a naturali corporis humani conformatio[n]e. Quo sit ut, quemadmodum mox dicebamus, si Adamus non peccasset, pueri, in florentissimo innocentiae statu nati, nec in omni scientia statim perfecti fuissent, ne plenum & absolutum rationis ulam habuissent, ne sufficientem virtutem movendi membra ad quolibet actus.

D. Expone, quæso, clarius, quo pacto Adamus in statu innocentiae esset immortalis? & quo pacto, Adamo non peccante, idem immortalitatis donum confecuti fuissent homines, qui in statu innocentiae extitissent?

M. Adamum non fuisse natura sua immortalem concors est omnium Theologorum, & Scriptura Sacra Interpretum sententia. Quamvis enim Deus voluerit, ut Adami corpus esset eximie robustum, præclare compactum, sicque constitutum ac temperatum, ut reliquorum omnium hominum corpora perfectione, æqualitate, & elegantia transcederent, attamen corpus Adami (ut docet S. Thomas 1. part. qu. 97. art. 1.) non erat indissolubile, per aliquem immortalitatis vigorem in eo existentem, ac subinde non erat natura sua immortale. Corpus itaque Adami in statu innocentiae erat dumtaxat immortale speciali Dei beneficio, quatenus Deus (ut exponit ibidem Doctor Angelicus) impresserat animæ Adami vim quamdam supernaturalem, per quam poterat corpus ab omni corruptione reddere immune, quamdui anima Adami mansisset Deo subiecta. *Eo in sensu Adamus in statu innocentiae & secundum animam, & secundum corpus fuit immortalis, immo fuit impassibilis,* idest, liber ab his passionibus, quæ hominem a sua naturali dispositione removere possunt. Persensisset tamen Adamus in statu innocentiae & secundum animam, & secundum corpus eas passiones, quæ pertinent ad bonum, & perfectionem naturæ, cujusmodi sunt intelligere, sentire, & dormire, sicut explicat S. Thomas 1. part. qu. 97. art. 2. Eodem immortalitatis, & impassibilitatis gratuito dono, quod Adamus in statu innocentiae a Deo accepérat, exornati fuissent ceteri homines, si Adamus, primus omnium hominum parens, iustitiam originalem, in qua conditus erat, culpa sua non amiseret. At, peccante Adamo, non solum ipse, sed & omnes ejus

posteri iustitiae originalis, immortalitatis, & impassibilitatis jacturam fecerunt, seque miseriis, pœnis, & morti obnoxios reddiderunt.

D. Si Adamus fuisset a Deo, ut mox dixisti, ita conditus immortalis, ut istud immortalitatis beneficium, nonnisi peccando, amittere posset, certe non indigisset Adamus ante peccatum cibis ad conservandam vitam suam. Et tamen legimus in Scriptura Sacra, Deum præcepisse primis parentibus nostris, antequam peccarent, ut comedenter de omni ligno, quod erat in Paradiſo: *De omni ligno, quod est in Paradiſo, comedetis*, Genesis cap. 2. *Eva etiam Serpenti dixit: De fructu lignorum, quæ sunt in Paradiſo, vescimur, de fructu vero ligni, quod est in media Paradiſi, præcepit nobis Deus ne comedemus, & ne tangemus illud, nō forte moriamur*, Genesis cap. 3. Cum igitur primi Parentes nostri indigerint, etiam antequam peccassent, cibis ad conservandam vitam suam, argumento est, eos non ita conditos fuisse immortales, ut hoc ipsis concessum immortalitatis beneficium tantummodo per peccatum amittere posset.

M. Etiamsi Adamus in statu innocentiae corpus habuerit immortale eo modo, quo mox expulsi, habuit tamen vitam animalem cibis indigentem, ad discrimen corporum, quæ post resurrectionem non solum erunt immortalia, verum etiam habebunt vitam spiritualem cibis non indigentem. Unde ait Apostolus Paulus Epist. 1. ad Corinth. cap. 15. v. 45. *Fætus est primus homo Adam in animam viventem, novissimus Adam, seu Christus, in spiritu vivificantem.* Quo in loco agit Apostolus Paulus de resurrectione, & ostendit, qualis futura sit corporum post resurrectionem conditio. Talem autem corporum post resurrectionem, conditionem futuram esse docet Apostolus, qualis fuit conditio Corporis Christi a mortuis redivivi. Id autem discrimen est inter corpus Adami, in statu innocentiae constituti, & Corpus Christi post resurrectionem gloriosum; quod Adamus in sua creatione accepit corpus animale, idest, agens vitam animalem, indigneque alimentis more ceterorum animalium. Non enim habebat absolutam, & indissolubilem immortalitatem. Unde se se tueri debebat a senio, & a morte, tum ceterorum ciborum ope, tum maxime fructus ligni vite beneficio. At, novissimus Adam, scilicet Christus, in resurrectione corpus habuit spirituale, hoc est, nullis indigenis alimentis, utpote quod per spiritum ita perfecte regebatur & vivebat, ut absque corporeis alimentis aeternum conservari posset, cujusmodi etiam & nos corpus in resurrectione nanciscemur, quia resurrexio Christi exemplar est, & causa resurrectionis nostræ, & vita spiritualis incepit in Christo, qui est primogenitus ex mortuis, sicut vita corporis animalis incepit in Adamo. Patet, itaque corpus Adami in statu innocentiae fuisse quidem immortale, sed vitam animalem habuisse, ita, cibis indigentem, ut, si Adamus ab alimentis abstinuisset, immortalitatem amisisset, quia abstinentia ab alimentis peccasset, trans-

transgrediendo videlicet praeceptum sibi a Deo datum Genes. cap. 2. his verbis expressum : *De omni ligno, quod est in Paradiſo, comedetis &c.* Quo fit, ut vera sit doctrina Theologorum, & Scriptura Sacra interpretum, qui, post S. Thomam 1. part. qu. 97. art. 3. ad 3. docent, Adamum sic fuisse a Deo creatum immortalem, ut immortalitatem, si non peccasset, sibi, siveque posteris conservasset. Nullum autem Adamo, ejusque filiis, si in statu innocentiae stetissent, documentum edulium afferre potuissent, quia & eorum omnium facultates illi perspectas & exploratas habuissent, adhibitaque ratione semper sumpsiſſent, & juvavent, quæ in promptu illis erant, ubi oportueret, adhibuissent, hoc est, non comedissent præpropere, non laute, non nimis, non ardenter, non studiose, quibus modis vitium gula hoc tempore nos infestat. Quia tamen, ut optime observat S. Thomas in Responsione ad quartam objectionem art. 3. jam citatae questionis, fieri non poterat, quin in cibis, quos Adamus ejusque filii si stetissent in statu innocentiae, suscepſſent, non esset aliqua feculentia residua, ac minime apta, ut convertaretur in eorum nutrimentum, necesse fuisset, ut Adamus, ejusque filii, si status innocentiae perdurasset, ciborum, quos sumpsiſſent, superfluitates, seu excrements, alium purgando, emitterent, citra ullam tamen turpitudinem, quia, ut inquit S. Thomas, *fuisset divinitus prouisum, ut nulla ex hoc indecencia efficeretur.*

D. Si Adamus ejusque filii, perfante innocentiae statu, fuissent immortales, innumeros procreassent liberos, qui terram perpetuo incoluissent, quique cum fuissent æquales, & ab omni servitute immunes, nullius dominio subjacere potuissent, indeque orta esset maxima confusio inter illos homines, qui nunquam mori potuissent, & tamen nullius subjecti essent dominio. Id autem felicissimo innocentiae statui plane repugnare videtur.

M. Etsi homines, durante innocentiae statu, fuissent immortalitate donati, non perpetuo tamen terram incoluissent, sed post diurnam vitam, maxima cum felicitate ac tranquillitate transactam, nulli morti obnoxii, ad Beatitudinem, quæ sita est in clara & intuitiva visione Dei, quoque præmium est eorum qui sunt in patria, essent a Deo translati. Nec fuissent inter se æquales homines, perdurante innocentiae statu, quia (ut ostendit S. Thomas 1. part. qu. 96. art. 3.) fuisset inter illos aliqua disparitas, primo, quantum ad sexum, cum sine diversitate sexus generatio non fuisset. Secundo, quantum ad ætatem. Tertio, quantum ad iustitiam & scientiam. Ex libero quidem arbitrio, & non ex necessitate operati fuissent homines in statu innocentiae, ac subinde potuissent magis vel minus animalium applicare ad aliud faciendum, vel volendum, vel cognoscendum, siveque aliqui magis proficerent in iustitia & scientia, quam alii. Denique, nihil prohibeat dicere, quin inter homines, durante innocentiae statu, esset aliqua disparitas ex parte corporis, & secundum di-

versam dispositionem aeris, & diversum situm stellarum, aliqui robustiores corpore generarentur, quam alii, & majores, & meliores, & vegetiori complexione, seu corporis temperatura prædicti, ita ut tamen haec disparitas nullum profus tam circa animam, quam circa corpus, defecit, vel peccatum importaret. Hinc faciliter negotio explicatur, quo in sensu verum sit, homines, si perseverasset innocentiae status, nullius dominio fore subjectos. Duplex quippe distinguitur dominium, unum vedelicet quod opponitur servituti, & in hoc sensu homines in statu innocentiae constituti nullius dominio subditi fuissent, quia servitus, quæ est poena peccati, ab illo felicissimo statu penitus exulasset. Alterum dominium illud est, quod ad bonum commune referunt, tale est dominium patris, cui incumbit officium gubernandi & regendi liberos, & in hoc sensu fuisset dominium in statu innocentiae, si perseverasset, quia in eo statu, ut mox diximus, fuissent aliqui homines, qui scientia & iustitia præ ceteris aliis hominibus excelluerent, ad illos igitur, supereminenti scientia polentes, pertinueret alios homines regere ac gubernare, eosque tam ad proprium bonum, quam ad bonum commune dirigere; tum quia id postulasset ea communis & socialis vita, quam egissent homines in statu innocentiae, quæ esse non posset, nisi aliquis præcesset & curam boni communis haberet; tum quia etiam non dignior fuisset conditio hominum in statu innocentiae, quam sit conditio Angelorum, inter quos quidam aliis dominantur, & ideo inter Angelos unus est Ordo, qui dicitur *Dominantium*. Ceterum, de Dominio, quod Adamus, ejusque filii in omnia animalia, & in alia, quæ sunt in Mondo, habuissent in statu innocentiae, si diutius perseverasset, nulla est difficultas, cum Scriptura Sacra Genesis cap. 1. v. 28. palam innuat, Deum primis parentibus nostris hoc dominium concessisse, dum eis dixit: *Dominmini piscibus maris, & volatilibus cœli, & universis animalibus, que moventur super terram.* Hoc autem dominium ob duas potissimum rationes homini conveniebat. Primo quia, ut inquit S. Thomas 1. part. qu. 96. art. 1. imperfectiona cedunt in usum perfectorum. Plantæ enim utuntur terra ad sui nutrimentum; animalia vero plantis; & homines plantis, & animalibus: Quo fit, ut homo naturaliter dominetur animalibus. Præterea, juxta ordinem divinæ Providentiae, inferiora per superiora gubernantur, adeoque cum homo ceteris animalibus emineat, ut pote ad imaginem Dei factus, naturale est, ut eius dominio omnia animalia subdantur. Quod si nunc aliqua animalia nolint obedire homini, haec animalium inobedientia, poena est inobedientiae Adami, quæ tamen non impedit, quominus homo, etiam post peccatum Adami, vero portiatur dominio in herbas, animalia, in omnia elementa, sicut ait Vates Regius Psalm. 8. ubi loquens de homine, sic Deum affat: *Constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subjecisti sub pedibus eorum.*

oves & boves universas, insuper & pecora campi, volucres celi, & pisces maris, qui perambulant semitas maris. At enim, ut obiter dicam, homines etiamnum dominium habent in plantas & animalia, quia illis pro arbitrio utuntur ac vescuntur; obtinent quoque dominium in elementa, quia Terram vel invitam cultura sibi faciunt obtemperantem, formantque ex ea lateres, & calcem, extrahunt inde gemmas ad ornamenti & delicias, marmora & lapides ad struendas, ornamenti & domos; mare navigant ejusque aquam in medicamentum exhibent; thuminibus sicut extinguunt, irrigant agros, aerem pariter levi flabello, ad mitigandum aestum, sibi accommodant; odoribus purgant, cum est infectus. Eo utuntur ad extruenda molendina, quae agitata aere & ventis trumenta in farinam redigunt quibus commodius alimur. Denique, homines dominantur igni, quia illo utuntur, ut cibos coquunt, frigus depellant, metallum fundant, & in cineres, atque in aquam per artem Chymicam distillationibus redigant, quibus certissima, & praestissima remedia ad depellendos, vel certe ad leniendo gravissimos quodam & aliquo incurabiles morbos parantur. Quae omnia liquido probant, verum dominium in plantas, animalia, & elementa competere homini etiam in statu naturæ lapsæ constituto, quamvis, ob peccatum Adami, quo infecta est tota natura, non ita facile, prompte, & expedite prædictum dominium exercere possit, sicut illud exercisset in statu innocentiae, si perseverasset.

D. Dominium competit homini secundum rationem, per quam præcipit, & imperat. Porro, plantæ, animalia, elementa, & corpora inanima, cum ratione careant, nata non sunt obtemperare rationi hominis; nullum igitur in ea dominium homo sibi vindicare potest. Præterea, nullam in statu innocentiae ex animalibus utilitate percipere poterant primi Parentes nostri. Illis siquidem non indigebant ad necessitatem corporalem, neque ad tegumentum, quia, ut inquit Scriptura Sacra, nudí erant, & non erubescabant, nullo stimulante inordinata concupiscentia morti. Neque animalibus egebant ad cibum, quia fructibus arborum Paradisi vescebantur; neque ad vehiculum, propter corporis robur. Ufus itaque dominii in animalia primis parentibus nostris in statu innocentiae non convenierat.

M. Nec primi parentes nostri in statu innocentiae, nec homines in statu naturæ lapsæ dominuntur animalibus ratione destitutis, & plantis, aliisque rebus inanimatis, imperando illis; sed eorum utendo auxilio; cum hoc tamen discrimine, quod in statu innocentiae homo absque ullo impedimento omnium animalium auxilio facile uti potuisset; tum quia, ob singularem Dei circa hominem curam, singula animalia non solum homini innocentio non nocuissent, sed ipsi etiam facile subiecissent se; tum quia etiam homo innocens, propter accuratissimum, quam habuisset, cognitionem naturarum, propriatum, & propensionum animalium, potuisset.

set cum maxima solertia, atque industria omnia animalia domare, eaque in propriam servitatem redigere. At, homines in statu naturæ lapsæ, difficile, ita permittente Deo ob peccatum Adami, ferocia animalia domare possunt, & servituti mancipare, quo plerumque fit, ut, excusso jugo, contra homines rebellent, eiisque graviter noceant. Similiter, primi Parentes nostri in statu innocentiae cum naturas & proprietates herbarum, atque fructuum apprime noscent, illis citra ullum periculum acnocumentum vescebantur. Sed homines in statu naturæ lapsæ, ob ignorantiam, que appendix est peccati originalis, aliquando herbarum noxiarum esu laeduntur, nec ad manum habent medicinales herbas, que magna ex parte sine culta in montibus, arvis, rupibus, paludibusque sponte sua vel ad foventam, vel ad restaurandam sanitatem, efficaciores nascentur. Scilicet voluit Deus, ut pescati in pœnam cibus nonnisi sudore laboreque nobis proveniret. Sed, ne nobis afflictis adderetur afflictio, ultrona liberalitate, natura, tanquam misericors mater, remedia suppeditare voluit, & cuilibet veneno suum antidotum conjunxit. Quin, experientia notum est, esse noxias herbas, & venenosa quedam animalia, que dum temperantur, inserviunt medicinæ, & vel ad conservandam bonam valetudinem, vel ad resarcendam, quando est deperdita, plurimum prodesse possunt. Denique primi parentes nostri in statu innocentiae neque ad aliquam necessitatem corporalem, neque ad tegumentum, neque ad cibum, neque ad vehiculum animalibus indigescunt, illis tamen equiscent ad habendam experimentalem cognitionem de naturis eorum. Quod (sicut observat S. Thomas i. part. qu. 96. art. 6. ad 3.) significatum est per hoc, quod Deus ad eum, seu Adamum, animalia adduxit, ut eis nomina imponeret, que eorum naturas designant. At vero, homines in statu naturæ lapsæ indigent animalibus, iisque pro jure dominii, quod in illa naturaliter obtinent, utuntur ad cibum, ad tegumentum, ad vehiculum, & alias ejusmodi corporis necessitates.

D. Ex his, quæ hactenus dixisti, facilis negotio intelligo, quam felix, fastusque fuerit innocentiae status, in quo primi parentes nostri justitia originali prædicti, nullis perturbationibus & passionibus agitabantur, nec miseriis & morti erant obnoxii, sed vivebant sine confusione nuditatis, & sine ulla necessitate corporis aut molestia, naturas animalium, caterarumque rerum creatarum, in quas pleno pollebant dominio contemplantes, spiritualibus deliciis delibuti. Verum, nunc a te scire vehementer cupio, an Adams in statu innocentiae constitutus, præter Gratiam sanctificantem, qua fuit exornatus, ubi primum e Divinis manibus prodiit, indigerit five ad operandum, five ad perseverandum in accepta justitia, aliqua Gratia actuali? & quænam fuerit ejusmodi Gratia? an per se efficax, quæ liberum Adami innocentis determinaret arbitrium; an Gratia mere indifferens, & versatilis, quæ libero

libero Adami innocentis subderetur arbitrio? De hac questione nihil haec tenus certi pronunciare auctor sum. Licet enim multa supererrime a viris eruditis, qui eam hinc inde magno animorum aestu ventilabant, arrestis auribus audiverim, attamen, ut candide fatear, libratis omnibus momentis, quae ultra citroque adducta sunt, animus meus, instar bilancis in aequilibrio positae, ac neutro propendens hæsit pendulus, nec in unam, alteramve partem flecti adhuc potuit.

M. Non mediocrem sane proponis difficultatem, in qua dilucidanda etiamnum infundant viri erudit. Certe is ego non sum, qui tantam velim in praesentia componere litem, quæ adhuc sub iudice est; aut longam de illa possim habere Disputationem, quam prescripta non permittit Colloquiorum nostrorum brevitas. Abunde itaque sufficiet, hanc propositam difficultatem dumtaxat delibare, & quasi primoribus labiis attingere, ut saltem quid in ista questione, de qua tantopere inter se digladiantur Theologi, tanquam falsum repudiare, quid vero tanquam probabilius tenere debeas, compertum ac exploratum habere possis. In primis, *Jansenius*, Irenensis Episcopus, cap. 8. & sequentibus libri de *Gratia primi hominis*, & *Angelorum* totis ingenii sui viribus mordicus proponnat, Adamum in statu naturæ innocentis sive ad agendum, sive ad perseverandum in accepta iustitia, opus non habuisse Gratia per se efficaci, seu tantum indiguisse gratia indifferenti & versatile, quæ non ejus voluntatem determinaret, ad operandum, sed cuius efficacitas ex voluntatis Adami assensu, vel dissentu maneret omnino suspenfa. Idem de Angelis in *statu viæ* docet ibidem *Jansenius*, quibus ait adfuisse tantummodo auxilium sufficiens indifferens ac versatile, quo posse agere Angeli, non quo ad agendum applicentur. Potissima ratio, qua *Jansenius* hoc suum suffulcit Systema, in hoc sita est, quod vehit, Gratia per se efficacis necessitatem ex hoc uno dumtaxat capite, videlicet ex naturæ humanae per peccatum originale vulneratae conditione & infirmitate esse petenda. Cum enim inquit *Jansenius*, humana voluntas per peccatum Adami fuerit sciauita, indeque infirma, depravata, & corrupta evalerit; ad Deum, nisi per Gratiam, se ipsa efficacem, adjuta & sublevata, erigi minime potest. Ex quo infert, quod cum in statu innocentiae nulla esset voluntatis creatæ corruptio, depravatio nulla, nulla quoque in felicissimo illo statu necessitas Gratia se ipsa efficacis sit admittenda tam in Adamo, quam in Angelis, qui erant in statu viæ. Hac ratione adeo delectatus est *Jansenius*, ut non dubitarit afferere, eam esse basim, cui doctrina S. Augustini tota incumbit, ac nititur; eam esse clavem, qua sola ad germanam doctrinæ illius Patris intelligentiam patet adiutus; eam esse animalum, qui ceterorum Aquilini hujus Doctoris dogmatum catenam secum trahit; eam denique esse filium Ariadneum, quo nisi regamur, tota istius Sancti Præfatis Hippomensis summa librorum sus deque miscetur, & nobis inexplicabilis redditur labyrinthus. Verum, hac in re gravi-

ter errasse Jansenium, ejusque doctrine principia esse e diametro opposita doctrinæ S. Augustini, multis, iisque invictis argumentis demonstrant Thomistæ, Gratia per se efficacis in utroque statu nature, seu innocentis, seu lapsæ, necessitatis assertores acerrimi. Et in primis, probant Thomistæ contra Jansenium, Gratia per se efficacis necessitatem peti debere non solum ex infirmitate naturæ vulnerata per peccatum, verum etiam ex creature, a Deo necessario pendentis, conditione, subordinatione ac subiectione, que subinde ad operandum debet premoverti a Deo, primo omnium motore; nec non ex liberi arbitrii in partem alterutram indifferenter versatilitate activa, qua tamdiu hæret anceps, ac veluti suspensum ac pendulum, donec prævia Dei motione in partem alteram feratur, determinetur & applicetur; idque præsertim in pietatis operibus, quæ naturæ vires, & ingenitas facultates excedunt. Ex hoc triplici capite accessandam esse Gratia se ipsa efficacis necessitatem Thomistæ locupletissimis Sanctorum Patrum Augustini, & Thomas, multisque argumentis, que hic inferre nimis longum esset, probant contra *Jansenium*, indeque inferunt, Adamum in statu innocentiae ad omnes & singulos actus, præsertim ad actus supernaturales elicendos, opus habuisse Gratia per se efficaci, tum quia Adamus in statu innocentiae liberum arbitrium habebat indifferens ad alterutram partem; tum quia etiam Adamus innocens, propter intimam, quæ inheret omni creature, subordinationem, pendebat a Deo, tanquam a prima Cauâ, primo Motore, primoque principio. Verum, quia *Jansenius* pertendit, se cum S. Augustino, cuius patrocinio perperam gloriatur, admittere dumtaxat Gratia efficacis necessitatem in statu naturæ lapsæ propter, per peccatum Adami lesæ, infirmitatem; Sole clarius ostendunt nos fratres Thomistæ, *Jansenium*, a statu naturæ imicoenatis omnem Gratiam efficacem procul eliminantem sibi non constare, & ab imo suffodiere omnia fundamenta, que jecit Sanctus ille Doctor ad adstringendam in statu naturæ lapsæ Gratia per se efficacis necessitatem. At enim, hi, qui in doctrina S. Augustini de necessitate gratiae per se efficacis in statu naturæ lapsæ sunt versati, apprime callent principia, quibus Sanctus ille Doctor probat Gratia per se efficacis necessitatem in praesenti statu, ista esse: *Quod videlicet in ordine supernaturali nihil a se ipso habeat homo, de quo in semetipso gloriari possit: Nihil a semetipso habeat, ratione cuius possit se esse ab altero quacunque discernere: Quod stet penes Deum omnipotentissima potestas, qua in nullius creature adversa voluntate vincit ac superari potest, cui volenti salvum facere, nullum humanum resistit arbitrium. Quod omnis homo ad obtinenda beneficia debet orare Deum, & de perceptis beneficiis gratias agere Deo: Quod denique Mysterium inscrutabile sit, cur unus pre altero divine vocationi consenserit; cur unus in accepta iustitia perseveret.*

non item alter? Hæc principia ad stabiliendam in statu naturæ lapsæ Gratia per se efficacis necessitatem sexcentis plus minus locis adducit & inculcat S. Augustinus, quibus referendis super-fedeo, tum ne longior sim, tum quia etiam ipsem Jansenius, quicum mihi in praefentia res est, apertissime docet, S. Augustinum ex his, quæ mox assignavimus, principiis, jure optimo, collegisse & adversus Hereticos Pelagianos & Semipelagianos, luculentissime probasse necessitatem Gratia per se efficacis in statu naturæ lapsæ. At, proprio mucrone seipsum confudit Jansenius, dumque negavit Gratia per se efficacis in statu naturæ innocentis necessitatem, destruxit una manu principia S. Augustini, quæ altera manu adstruebat. Certum quippe est, hæc principia quibus S. Augustinus probavit Gratia per se efficacis in statu naturæ lapsæ necessitatem, nullo negotio posse statui naturæ innocentis accommodari, ac subinde iisdem S. Augustini principiis admitti debere Gratia per se efficacis in statu naturæ innocentis necessitatem, quam nemo negare potest, nisi vim omnem adimat principiis, quibus Sanctus Augustinus probavit gratia per se efficacis in statu naturæ lapsæ necessitatem. Quod autem principia, quibus Sanctus Augustinus evincit, Gratiam se ipsa efficacem in statu naturæ lapsæ esse profusa necessariam, facili negotio possint & debeant accommodari statui innocentiae, proclive est contra Jansenium demonstrare. Primum principium, fatente ipsomet Jansenio, quo Sanctus Augustinus probat Gratia per se efficacis in statu naturæ lapsæ necessitatem, in hoc, sicut mox diximus, situm est: *quod in ordine supernaturali nihil habeat homo a se ipso, de quo possit in semperito gloriari: Nihil pariter a semperito habeat, ratione cuius possit se se ab altero quocumque discernere.* Hoc autem principium S. Augustini facile statui naturæ innocentis accommodari posse, ut ejusdem gratia per se efficacis necessitatem colligamus, manifeste ostendit status Angelorum, qui erant in statu viæ, & quibus ( non secus ac Adamo, sicut pertendit Jansenius ) dederat Deus sive ad bene agendum, sive ad perseverandum in accepta justitia gratiam versatillem, quam ipsi voluntatis assensu facerent efficacem, aut dissensu redderent inefficacem. Si enim una eademque Angelis, in accepta justitia perseverantibus, & Angelis cadentibus verfatis dumtaxat gratia, eorumque subdita libero arbitrio a Deo data est, ut censet Jansenius, aperta consecutione inde deducitur, Angelos, qui per voluntatis sua assensu gratiam illam veritatem sibi a Deo concessam reddiderunt efficacem, & in accepta justitia steterunt, sua se voluntate ab aliis Angelis, qui eandem gratiam versatilem qua a Deo donati erant, per voluntatis seu dissensum reddiderunt inefficacem, & ceciderunt, discrevisse; atque ita in se ipsis potuisse; non in Domino gloriari. Quod quidem, ut nemo

non videt, recta fronte pugnat cum hoc principio, quod millies in suis Operibus urget Sanetus Augustinus, illudque ex Apostolo Paulo I. ad Corinth. capit. 4. se deliberasse gloriatur: *Quid habes, quod non acceperisti? Si autem acceperisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Quin, Sanctus Augustinus capit. 9. lib. 12. de Civitate Dei, hanc ex insituto versans quæstionem *eur ex angelis in gratia sanctificante conditis, ceciderint alii, alii steterint?* tantum abest, ut huic dirimenda questioni Sanctus Augustinus, respondeat, quemadmodum Jansenius, & alii, qui ab eius partibus stant, respondere solent, videlicet Deum tam bonis, quam malis Angelis versatilem gratiam dedisse, sed bonos Angelos liberi arbitrii assensu eam efficacem fecisse, malos vero Angelos suæ voluntatis dissensu eam inefficacem reddidisse, eaque de causa stetisse bonos Angelos in accepta justitia, malos autem Angelos cecidisse. Tantum, inquam, abest, ut Sanctus Augustinus propositæ huic questioni trita illa, & familiari apud Jansenium ejusque discipulos, responsione usus fuerit, ut potius dicitissime ibidem afferat, ideo bonos Angelos stetisse, malos autem Angelos cecidisse, quia bonis Angelis datum est a Deo amplius, seu maius & potentius adjutorium, seu auxilium per se efficax, quo deslitiuti mali Angeli sua culpa perierunt: *illis ( seu malis Angelis) mala voluntate cadentibus isti, ( seu boni Angeli) AMPLIUS ADJUTI, ad eam beatitudinem pervenirent, unde se nunquam casuros certissime scirent.* Quæ verba Sancti Augustini Sole meridiano clarissim probant, tam Angelis, qui erant in statu viæ, quam Adamo, in statu innocentiae constituto sive ad bene agendum, sive ad perseverandum in accepta justitia necessariam omnino fuisse gratiam per se efficacem, quo fit, ut, mea quidem sententia, unius instar omnium sit, planeque sufficere debeat hic tam evidens Sancti Augustini locus ad dissipandas omnes nebulas, quas quidam vitilitigatores huic lucidissimæ veritati offundere molierunt. Denique, alia principia, quæ ad gratia per se efficacis in statu naturæ lapsæ necessitatem adstruendam profert Sanctus Augustinus, quæque petuntur ex omnipotencia Dei, ex necessitate orandi, & gratias Deo pro perceptis beneficiis exhibendi, hæc, inquam, & alia S. Augustini principia perinde probant necessitatem gratia per se efficacis ( non quidem medicinalis, qua certe non indigebant Adamus, & Angelis in statu innocentiae constituti ) sed necessitatem gratia per se efficacis, quæ dicitur *gratia sanitatis*, quæ eorum statui omnino conveniebat; cum Deus in statu innocentiae tam æque esset omnipotens ac est in statu naturæ lapsæ, & Adamo atque Angelis, in statu innocentiae degentibus, incumbenter necessitas Deum orandi, gratias pro suscepitis beneficiis ei reddendi, & non in se ipsis, sed in solo Deo de bono opere gloriandi. Addo etiam, nec addidisse pigebit, quod, semel admissa sententia Jansenii de petenda dumtaxat necessitate gratia per se efficacis ex infirmitate naturæ lapsæ per peccatum originale, manifesto sequeretur Christum Domini-

num, qui peccati originalis fuit omnino expers, non indiguisse gratia per se efficaci, ejusque prædestinationem non fuisse gratuitam, cum tamen S. Augustinus lib. de Præd. Sanctorum cap. 15. contrarium definit disertis istis verbis: *Est etiam præclarissimum lumen prædestinationis & gracie ipse mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, qui ut hoc esset, quibus tandem suis vel operibus, vel fidei precedentibus meritis natura humana, que in illo est, comparavit.... Ipsa est igitur prædestinatione Sanctorum, qua in Sancto Sanctorum maxime clavuit: quam negare quis potest recte intelligentium eloquia veritatis?... Sicut ergo prædestinatus est ille unus (id est Christus) ut caput nostrum esset, ita multi prædestinati sumus, ut membra ejus essemus. Humana hic merita contineant. Quisquis in capite nostro precedentia merita singularis illius generationis invenerit, ipse in nobis membris ejus precedentia merita multiplicata generationis inquirat.* (a)

(a) Ultro ego quidem agnosco necessitatem gratiae viæ tricis tam in statu naturæ innocentis, quam pariter in statu naturæ lapsæ. Si quis tamen arbitratur Adamum indiguisse tantum gratiæ, quam voluntate versatilem, qua posset velle bonum, non vero ejus, qua bonum ipsum operaretur, non continuo illum Jansenianæ hæreseos nota inurerem; sunt enim Theologi plures nostra ætate doctissimi, qui hanc sententiam propugnant illud S. Augustini inculcantes de correc. & grat. cap. XI. ille (Adam) non opus habebat eo adjutorio, quod implorant isti, dum dicunt: *video aliam legem in membris meis repugnante legi mentis mee & captivante me in lege peccati.* Tum & illud ejusdem S. Doctoris: *adjutorium Adæ fuisse tale, quod desereret cum vellet, & in quo permaneveret si vellet, non quo fieret ut vellet.*

Vide P. Berti lib. XII. cap. 8.

D. Primos Parentes nostros in statu innocentia omnibus donis tum a natura, tum a Gratia perfectis, exornatos fuisse, & tamen a Deo, qui est supremus rerum omnium dominus, dependisse, sive ut operarentur bonum, sive ut in accepta iustitia perseverarent, nullus dubito, subindeque in tuam sententiam de Gratia per se efficaci sive ad bene agendum, sive ad perseverandum omnino necessaria tum bonis Angelis, qui in accepta iustitia perseverarunt, tum protoparentibus nostris, qui e gratia, in qua conditi fuerant, exciderunt, manibus pedibusque descendendo. Verum, nunc optarem, ut me expedites a quibusdam difficultatibus, quæ mihi, inter legendum caput tertium libri Geneseos, occurserunt, quæque perfectioni, & omnigenæ scientiæ, quam primis parentibus nostris in statu innocentia vindicasti, haud parum officere videntur. At enim, Genesis cap. 3. legitur, Serpentem, qui tentavit Eve, ei, ut facilius succumberet tentationi, dixisse: *Eritis sicut Dii, scientes bonum & malum.* Promittebat itaque Serpens primis parentibus nostris scientiam boni & mali, quam subinde necdum habebant, hisque Serpentis vocibus dum obsecuta est Eva, manifestam suam prodidit igno-

rantiam, quippe quæ putavit serpentem esse natura sua loquacem, & pomum, ad cuius comedionem Serpens illam provocabat, dare posse scientiam boni & mali, immo ambiri perfectam cum Deo similitudinem, *Eritis sicut Dii.* Nec minus imprudenter & incite sele gescit Adamus, qui uxori suæ, falsa promissione Serpentis delusa, eique pomum propinanti, actutum morrem gescit, cum tamen, si revera fuisse scientia prædictus, potuisset nullo negotio intelligere Serpentem, quicum ipsius mulier colloquium misceruerat, non locutum fuisse interventu alicuius boni Angelii, sed mali. Bonus quidem Angelus nunquam solicitasset *Eam* ad violandum præceptum, quo Deus districte primis parentibus nostris inhibuerat, ne fructum ligni vetiti manducarent. Hinc, Scriptura Sacra eodem in capite 3. libri Geneseos observat, primorum parentum, statim post peccatum, oculos, non quidem corporis (alioqui fuissent a Deo creati cæci, quod est tam absurdum, quod maxime) sed oculos mentis fuisse apertos: *Et aperti sunt oculi amborum &c.* quod quidem argumento est, primos parentes nostros nulla ante peccatum prædictos fuisse scientia. Postremo, primi parentes nostri post peccatum non cognoscabant immissitatem Dei, per quam est ubique præsens. Voluerunt siquidem sele abscondere a Deo, sicut testatur Scriptura Sacra c. 3. libri Geneseos, his verbis: *cum audissent (Adamus & Eva) vocem Domini, deambulantis in Paradiſo, abscondit se Adam, & uxor ejus a facie Domini.* Hi sunt scrupuli, qui inter legendum caput 3. libri Geneseos, annum meum circa perfectionem & scientiam, quam primis parentibus nostris in statu innocentia tribuisti, subierunt, quæque ut mihi in præsentia eximas, te etiam atque etiam rogo.

M. Ut his, quas proposuisti, difficultatibus singillatim faciam satis, ordinar a tentatione Eve, quam callidus Serpens hanc vanam spe laetavit atque inescavit; *Eritis sicut Dii, scientes bonum & malum.* Quæ Serpentis verba palam innovere videntur, primos parentes nostros necdum habuisse scientiam boni & mali. Quorsum enim hanc scientiam boni & mali eis promisisset, si illam jam habuissent? Verum, animadvertere debes, Serpentem non promisisse primis parentibus nostris qualemcumque scientiam boni & mali seu naturalem & discursivam (hac quippe jam pollebant primi parentes nostri) sed ipsius promisisse scientiam boni & mali supernaturalem, sublimiorem, extraordinariam, & scientiam Angelicæ similem. Quamvis enim primi parentes nostri certo scirent, se non posse naturaliter & ex debito consequi scientiam, quæ Angelorum propria est, quia nemini scientia supernaturalis & Angelicæ competere potest, nisi ei, qui naturam Angelicam habet, in quam se transformari non posse certissime norant primi parentes nostri; attamen sibi persuaserunt, se ex singulari munificentia Dei Creatoris consequi posse scientiam supernaturalem, extraordinariam, seu Angelicam, per quam haberent cum Deo majorem similitudinem ea similitudine, quam habebant ab initio. Hinc Serpens illi dixit: *Eritis sicut Dii.* Quibus verbis primi parentes nostri

ftri ad edendum fructum ligni veriti fuerunt induciti, non quod putarent, se Dei naturam assecutros, sed quod existimarent, se per eum pomi adepturos maiorem cum Deo similitudinem, seu habituros se scientiam supernaturalem, extraordinariam, seu Angelicam, per quam similiores Deo evaderent, quam erant antehac. Nomine quippe DEI non semper in Scriptura Sacra significatur Ens independens, & infinite perfectum, sed aliquando creatura perfectior ceteris creaturis, ideoque propius ad perfectionem supremi Numinis accedens. Hinc legimus Psalm. 81. *Ego dixi: Dii estis, & filii excelsi omnes.* Hoc autem intelligitur de Prophetis, sicut explicat Christus Dominus, Joannis c. 10. Sed, inquis, ergo saltem *Eva* suam prodidit ignorantiam, dum putavit Serpentem esse loquacem, & pomum posse dare scientiam boni & mali. Non ita est, carissime Discipule. *Eva*, a Serpente sollicitata ad peccandum, non existimavit, Serpentem esse per se, & a principio intrinseco loquacem, & pomum per se, & vi sua naturali dare posse scientiam boni & mali, sed putavit, Serpente per aliud, & ab extrinseco principio esse loquacem, & pomum vi divina & superiori dare posse scientiam boni & mali. Fateor tamen, *Evam*, a Serpente tentatam, sua scientia usam non fuisse, ac subinde actu ignorantem fuisse. Si enim *Eva* voluisset sua scientia uti, facili negotio intelligere potuisset, Angelum, qui loquebatur per Serpentem, non esse Angelum bonum, sed potius Angelum malum, utpote, qui illam ad transgrediendum praeceptum divinum instigabat, sed illa, aetate ambitionis abrepta, ad illas circumstantias non attendit, nec pariter Adamus, uxori sua complacere nimis studiosus. Quo fit, ut primi Parentes nostri quamvis habitu fuerint sapientissimi, prudentissimi, & doctissimi, actu tamen, sive dum peccarunt, sua non utentes scientia, prudentia, & doctrina, cecutierint, juxta illud Scripturæ Sacrae: *Homo cum in honore esset, non intellexit &c.* Sic sunt omnes peccatores, qui, quamvis habitualem Legis, seu precepti, vetantis peccatum, notitiam habeant, illiciente tamen cupiditate, & densas menti tenebras offundente, actu non attendunt ad illam, quam habitu tenent notitiam Legis, eamque transgrediuntur, juxta illud commune Eflatum; *Video meliora, proboque, deteriora sequor.* Habuerunt itaque primi Parentes nostri in statu innocentiae omnigenam scientiam, illosque Deus (ut ait Auctor Libri Sacri Ecclesiastici c. 17.) *Disciplina intellectus replevit illos. Creavit illis scientiam spiritus, sensu implevit cor illorum, & mala & bona ostendit illis;* ea tamen scientia usi non fuerunt primi Parentes nostri, dum Diaboli, per Serpentem loquentis, verbis fidem adhibuerunt, & præceptum Dei, quo nihil prius & antiquius habere debebant, sui, atque posteritatis plane immemores, transgressi sunt. Non inferior tamen, primos Parentes nostros habuisse post peccatum cognitionem experimentalem, quam antehac non habebant. Experientia quippe post peccatum compertum, ac exploratum habere coepérunt, se esse nudos, & erumpentes inordinatos perduellis concupiscentiaz motus persenserunt. Dum vero

essent in statu innocentiae, audi quidem erant, sed non erubescabant, quia eo in statu justitia originalis partem inferiorem perfecte subjeciebat parti superiori, seu rationi. Quo fit, ut cognitio, quam primi Parentes nostri post peccatum de nuditate corporis sui habuerunt, fuerit dumtaxat experimentalis, non secus ac licet homo sanus probe cognoscat, quam magnum sit homini bonum sanitas, si tamen in morbum incidat, siveque sanitatis iacturam faciat, tunc cognitione experimentalis sentit, quantum bonum, seu sanitatem, perdiderit. Sic non absimili ratione, primi Parentes nostri post peccatum variis titillati rebellis concupiscentiaz motibus, & aliunde sentientes ignorantiam in intellectu, malitiam in voluntate, proclivitatem ad malum, & difficultatem operandi bonum, fatali, heu nimium, experientia cognoscere coepérunt, se e felicissimo innocentiae statu, quo fuerant a Deo conditi, propria sua malitia excidisse, seque justitiam originalem, beatissimam Cœlestium donorum copiam, & virtutum omnium supellestilem, qua erant exornati, amississe, adeoque sibi, & toti sua posteritati omnium malorum agmen importasse. Hoc in sensu intelligenda est Scriptura Sacra, dum de primis Parentibus nostris post peccatum ait: *Et aperti sunt oculi amborum.* Denique, non ignorarunt primi Parentes nostri, Deum esse immensus, & ubique praesentem, licet post peccatum voluerint, pudore suffisi, se abscondere a Deo, quemadmodum legitur cap. 3. Libri Geneseos. At enim, noluerunt primi Parentes nostri post peccatum se a Deo abscondere in natura divina existente; Sed voluerunt se abscondere a Deo sub forma humana constituto. Deus enim, postquam peccasset primi Parentes nostri, ut familiarius ageret cum illis, eisque inobedientiaz peccatum exprobaret, formam humanam assumpit, cuius vocem cum audierunt, statim perterrefacti, sibique male conscientia, voluerunt, se a Deo, sub forma humana constituto, abscondere flagitium quippe tenebras amat. Addo etiam, Scripturam Sacram eo loci more humano loqui, sicut dum eodem in capite tertio Libri Geneseos resert, Deum dixisse Adamo: *Adam ubi es?* que Scriptura verba more humano dicta esse nemo non videt, alioquin arguerent in Deo ignorantiam, quasi latuisset Deum locus, in quem se se receperat Adamus. Ex his, quæ haec tenus diximus, manifesto patet, nullam primis Parentibus nostris in statu innocentiae defuisse scientiam, sed illos ideo peccasse, & versipellis Serpentis verbis fidem adhibuisse, quia superbia elati ad circumstantias tentationis, qua illos Diabolus, per organum Serpentis loquens, aggressus est, non attenderunt: *Hujusmodi autem peccatum superbiæ,* inquit S. Thomas 1. part. qu. 63. art. 1. *non præexistit ignorantiam, sed absentiam solum considerationis rerum, que considerari debent, & hoc modo Angelus peccavat convertendo se per liberum arbitrium ad proprium bonum, absque ordine ad regulam divine voluntatis.* Hac autem absentia considerationis eorum, quæ in tentatione Serpentis considerari debebant, locum

cum maxime habuit in *Eva*, quæ ideo multiplici nomine peccavit. Primo, quod Serpentem, de præcepto Dei male differenti, aures præbuerit, cum eo otiosa miscens colloquia. Secundo quod pravum Serpentis consilium non statim respuerit, non exhoruerit. Tertio, quod de re ipsa judicaverit, non ex Lege Dei, quam appri-  
me edicta erat, sed ex his, quæ apparebant, seu e pulchritudine, odore, sapore, & gustu fructus vetiti a Deo. Quarto, quod a Serpente vieta, illius in pervertendo viro, cui socia data erat, ministra fuerit. Vir autem, seu Adamus, præpostera docilitate peccavit, factus uxorius discipulus: uterque autem ex superbia peccavit resistendo Deo, & justissimo præcepto, quod illis ratione supremi in eos dominii imposuerat, morem gerere detrectando.

D. Quid intelligis per illum Paradisum, in quo, sicut ex Scriptura Sacra observasti, primi Parentes nostri, post peccatum, audierunt vocem Dei, in humana forma constituti, & ab eo se abscondere voluerunt, cum eos pudenter nuditatis suæ?

M. Postquam Deus primum hominem, seu Adamum, e limo terræ formasset, posuit illum in Paradiso, idest, in horto foecundissimo, & amoenissimo, ut operaretur & custodiret illum, eumdemque hortum Deus omni genere ligni arborumque conseruit, ut ex earum variis fructibus aleretur homo, Deoque summa devotione serviret. Tum dedit ei mandatum, quod si observaset, immortalis maneret: si transcedisset, morte afficeretur. Id autem præceptum fuit, ut ex arbore intelligentie boni, & malii, quæ erat in medio Paradisi, non gustaret. Deus autem adduxit ad Adamum omnia animantium genera, quibus Adamus nomina indidit; sed cum inter omnia animalia nullum inveniretur adiutorium ei simile, voluit Deus, ne solus viveret Adamus, divini spiritus aura animatus, sociam ei simillimam ad illius auxilium, & solatium, sed presertim ad libero-rum procreationi formare, Quocirca, misit Deus soporem in Adamum, & ex eo, in placidum delapo-  
sonum, costam unam cum adhaerente carne, qualis in homine vivente conspicitur, eripit, & ex ea corpus *Eva* effinxit. Expergesfactus Adamus, & intuens *Evam*, sibi a Deo datam faciam ac conjugem, in hac verba prorupit: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: hoc vocabitur Virago, quoniam de viro sumpta est.* Quamobrem relinques homo patrem suum & matrem, & adhaerebit uxori sue, & erunt duo in carne una. Tam felici priorum Parentum nostrorum sorti invidit Diabolus, & per Serpentis organum loquens, omnes fallacias & calliditates suas ad decipiendum hominem acuit & inten-  
dit, ut ei adimeret immortalitatem. Et primo mulierem, *Evam*, dolo illexit, ut vetitum cibum sumeret, & per eam ipsi quoque homini persuasit, ut violaret Dei Legem. Tunc primos Parentes nostros nuditatis suæ puduit, sed, ut trito fertur adagio, sero sapiunt *Phryges*. Culparam flatim exceptit poena, quam Deus Diabolo, per Serpentem loquenti, *Eve*, & *Adamo* infixit, nihilque moratus frivolas primorum Parentum nostrorum excusationes, illos ex amoenissimo loco,

seu Paradiso terrestri, præcipites ejicit in regio-  
nem spinis, urticisque scatentem, in eos, malorum ac infortunatorum progenitores diram mortis protulit Sententiam, atque ante otium Paradisi collo-  
cavit Cherubim, flammeo gladio atque versa-  
tili munitione, qui custodiret viam ligni vitæ,  
& homines, innumeris obnoxios miseris, ab ejus ingressu in omne ævum arceret, proculque eliminaret. En tibi paucis verbis descripta primorum Parentum no-  
strorum misera, aeternumque deploranda catastrophe,  
quam in Colloquio sequenti accurate perpendemus.

D. Sine, quæso, ut sub finem hujusc Collo-  
quii aliquas circa hanc miseram primorum Parentum nostrarum catastrophen difficultates proponam: Et primo scire velim, ubiā, seu in qua Re-  
gione situs esset ille Paradisus terrestris, e quo pri-  
mi Parentes nostri, postquam peccarunt, fuerunt  
a Deo expulsi? Secundo, quantum temporis in  
hoc Paradiso, seu amoenissimo loco, perfiterint  
primi Parentes nostri?

M. Circa primum, quod proponis, dubium, va-  
riæ clarissimorum Scriptorum circumferuntur senti-  
tiae, quas hic dumtaxat indigitare sufficiet, ut ex ea, circa Paradisi terrestris situm, tot opinio-  
num, que voluntat, varietate, facili negotio di-  
gnoscere possis, nihil certi statui posse de loco in  
quo fuit conditus a Deo Paradisus terrestris. Alii siquidem putant, Paradisum terrestrem fuisse universam Terram. Alii Paradisum terrestrem collocant in tertio Cœlo. Alii in quarto. Alii in Cœlo Lunæ, aliis in ipia Luna, vel in monte Cœlo Lunæ proximo. Alii in media aeris Regione extra tellurem. Alii sub-  
tus terram, vel in loco remoto, & hominibus plane ignoto. Alii Paradisum terrestrem constituant sub Polo Arctico. Alii eum reponunt in Oriente. Alii in America. Alii in Africa sub Äquatore, aliis in Indiis. Alii denique Paradisum terrestrem a Deo conditum esse existimant in Asia, sive in Ar-  
menia majori, sive in Mesopotamia, aut in Assyria, sive in Perside, sive in Babylonia, sive Arabia, sive Syria, aut Palæstina &c. Quam certe tot inter se se discrepantium circa Paradisi terrestris situm varietatem opinionum postquam attenta mente considerarem, & omnes conjecturas, quibus indulgent earum Auctores, accurato examine discussissim, multum, ut ingenue dicam, arrisit milii illud S. Augustini lib. 8. de Genesi ad literam cap. 5. *Melius est*, inquit Aquilinus ille Doctor, *dubitare de occulis, quam litigare de insertis*. Nam ex tanta confusione nihil aliud mea sententia colligi potest, quam verum esse, quod antiquissimus Scriptor *Tertullianus*, similia fortasse de Paradisi loco expertus, prudenter Apologeticæ cap. 47. scripsit: *Paradisum terrestrem esse locum divinae amaritatis a notitia Orbis communis segregatum*. Et Theodoretus Qu. 19. in Genesim ait: *Deum ignotos fecisse meatus flumi-  
num Paradisi, ut amputaret superfluum hominum curiositatem*; & S. Augustinus lib. 8. de Genesi ad literam cap. 7. putat, *Paradisus terrestris locum esse a cognitione hominum remotissimum*. Quoniam igitur in loco situs fuerit Paradisus terrestris, in medio relinquo. Poteris, si tibi per otium liceat, elegantissimum lectitare Opusculum, quod de Pa-  
radiso terrestri edidit illustrissimus Daniel Huetius, Epi-

Episcopus Abrincensis. Hoc unum impræsentiarum de Paradiso terrestri, in quo Deus constituit primos parentes nostros, sufficit ut scias, videlicet Catholica Fide constare, hunc Paradisum fuisse in terra conditum, eumque corporeum extitisse, non spiritualem & figuratum, sicut censuit *Origenes* in *Genesim*, teste *S. Hieronymo*, qui in Epistola 61. ( veteris Editionis ) ad *Pammachium*, inter oculo *Origenis* errores, hunc sexto loco recenset : *Quod sic Origenes Paradisum allegorizet, ut Historie auferat veritatem, pro arboribus Angelos, pro fluminibus virtutes celestes intelligens, tamque Paradisi continentiam tropologica interpretatione subvertat.* Ceterum, ut ad secundum, quod proposuisti, Dubium accedam ; *Quantum scilicet temporis primi Parentes nostri in Paradiso terrestri perstiterint?* non una omnium est sententia. Quidam autem, primos Parentes nostros unica tantum die in illo amœnissimo loco vixisse, & eadem die illos peccasse, & e Paradiso fuisse a Deo itidem expulso. Huic sententiæ haud parum favere videtur Textus Hebraeus, nam, cum nos in Editione nostra Vulgata, sic legamus : *Homo, cum in honore esset, non intellexit : in Textu Hebreo sic legitur : Homo, cum in honore esset, non perniciavit, idest, in Paradiso terrestri, in quo fuerat a Deo collocatus, unde sequitur Adamum per unum dumtaxat diem fuisse Paradisi terrestris colonum.* Alii existimantes, non tam præproperam primorum Parentum nostrorum fuisse culpam, eoruineque et Paradiso terrestri ejectionem, probabilius esse arbitrantur, Adamum, & Evam octavo a sua productione die peccasse, & e Paradiso fuisse extrusos. Alii magis protrahunt tempus, ac volunt, primos Parentes nostros per triginta tres dies in Paradiso terrestri permanisse, eo quod Christus Servator noster, totidem annos ad iuendum Adami peccatum in terris vixerit. Alii postremo statuant, primos Parentes nostros per quadraginta dies in Paradiso terrestri vixisse. Verum, ut ingenue dicam, cum prædicta sententiæ frigidis nitantur conjecturis, nec licet in his, quæ consulto sacra Literæ religioso obtulerint silentio, ariolari, & meras obtrudere conjecturas, nolo hac in re meum interponere judicium. Obiter tantum dicam, primos Parentes nostros, postquam per breve temporis spatium amœnissimi Paradisi delicias delibassent atque prægustassent, sua culpa justo Dei iudicio fuisse illis privatos, ac subinde eorum latitudinem, cum maxime gestiret, excepisse luctum, & summis gaudiis summos pariter intercurrifffe dolores.

D. Extatne etiamnum Paradisus ille terrestris & quantum ad Solum, & quantum ad amœnitatem?

M. Paradisum terrestrem non amplius extare, sed aquis Diluvii, quæ altioribus montibus quindecim cubitis ( ut legitur *Genesim* cap. 7. v. 20. ) eminebant, deletum fuisse, multi opinantur viri eruditæ. Non desunt tamen Scriptores, qui pertendunt, perslare etiamnum Paradisum terrestrem, & in eum, tempore universalis Diluvii divinitus conservatum, translatos esse *Enochum*, se-

ptimum ab Adamo Patriarcham, & Prophetam *Eliam*, qui secundi adventus Christi Domini prodromi ac praecones esse debent, atque in eo adhuc vivere æternæ beatitudinis candidatos. Verum, utraque sententia facile conciliari potest, si dicatur, extare quidem etiamnum Paradisum terrestrem, quantum ad Solum, seu locum, in quo a Deo constitutus erat, sed non quantum ad amœnitatem, venustatem, fecunditatem, & copiam arborum, quibus Deus illum primitus exornaverat. Et sane, cum Scriptura Sacra diserte dicat, aquas universalis Diluvii quindecim cubitis altiores fuisse montibus, quos coopernerunt, & aliunde hanc Paradisi terrestris ab aquis Diluvii conservationem divinitus factam, altissimo silentio prætermittat, vero quam simillimum videtur, Paradisum terrestrem suam, durante Diluvio, venustatem & amœnitatem perdidisse; alioqui, si Deus Paradisum ab aquis Diluvii intactum & illibatum conservasset, non præcepisset *Noemo*, ut Arcam cum tot laboribus fabricaret, quo suæ, & totius familiae saluti, grassante Diluvio, prospiceret, sed *Noemo* jussisset, ut se, tamque familiam suam, una cum speciebus animalium, induceret in Paradisum terrestrem, quo aquæ Diluvii, impediente divina omnipotenti, pertingere minime potuerint; Deus enim & natura, juxta commune effatum, nihil faciunt frustra. Esto igitur Paradisus terrestris etiamnum existat, quantum ad Solum, seu locum & situm, in quo a Deo conditus fuit, non existit tamen amplius quantum ad venustatem, amœnitatem, & concinnam arborum distinctionem, copiam, ordinem, dispositionem, quam ante hac habebat.

D. Dixisti superius, si bene memini, *Ebam* in Paradiso terrestri e costa Adami fuisse a Deo productam. Sed qui hoc fieri potuerit, nequum fatis, ut candide fatear, assequi possum. Enim vero, si Deus, ut formaret *Ebam*, subduxit e corpore Adami costam, sequitur, Adamo defuisse unam costam, ac subinde corpus Adami imperfictum ac mutilum remansisse. Secundo, dixisti, *Ebam*, postquam a Diabolo, per Serpentis organum loquente, delusa comedisset veritum fructum scientiæ boni & mali, recta adiisse Adamum, maritum suum, eique verbis suis persuasisse, ut manducaret itidem fructum prohibitum scientiæ boni & mali. Vellem autem scire, quinam esset veritus ille fructus scientiæ boni & mali, quem in Paradiso terrestri manducarunt primi Parentes nostri? Et deinde, quia lingua Adamus, & Eva in Paradiso terrestri loquerentur, dum inter se miscebant colloquia?

M. Curiosas sane magis, quam utilies, proponeis difficultates, de quibus cum penitus fileat Scriptura Sacra, præstaret ab illis in integrum superpedere. Sed quia, ut video, moleste ferres, eas in præsentiæ intæctas omnino relinquem, curiositatæ tuæ morem geram, ea tamen lege, ut paucis verbis me ab illis expediam, sicut Colloquio nostro, quod longius, quam par sit, protraximus, coronidem tandem imponamus. Prima difficultas faciliter negotio solvitur. Quamvis enim *Eva* fuerit e costa Adami formata, inde tamen haud sequitur, defuisse Adamo unam costam, ejusque corpus mutilum & imperfectum remansisse, quia ( ut

(ut docet S. Thomas 1. part. qu. 92. art. 3. ad 2.) costa Adami, e qua Deus formavit Eam, fuit de perfectione Adae, non prout erat individuum quodam, sed sicut erat principium speciei; sicut semen est de perfectione generantis, quod operatione naturali cum delectatione resolvitur. Unde multo magis virtute divina corpus mulieris potuit de costa viri formari absque dolore. Quibus verbis aperte innuit Doctor Angelicus, quod, sicut semen non est de perfectione hominis, quatenus est natura humanae individuum, sed quatenus est humanae speciei principium per generationem, ita illa costa, ex qua Deus Eam formavit, non erat de perfectione Adami, prout Adamus erat natura humanae individuum, sed prout principium erat totius speciei suae. Voluit enim Deus, ut sicut ipse est principium totius universi, ita Adamus esset principium totius suae speciei; quam in rem Apostolus Paulus Aetorum cap. 17. ait, quod *Deus fecit ex uno omni genere hominum*. Nullam ergo imperfectionem, subducta illa costa, contraxit Adamus, nullumque, singulari Dei beneficio, perfensit dolorem, quando ab eius corpore fuit separata. Cur autem voluerit Deus, ut mulier, seu Eva, fieret ex viro, seu Adamo, & ex illius costa formaretur? plures rationes, quas hic summatum delibabo, profert Angelicus Doctor. Prima est: ut Adamus esset principium totius suae speciei, si autem Eva ex Adamo non fuisset formata, Adamus non extitisset principium totius suae speciei, sicut mox observavimus. Altera ratio est: *Ut vir magis diligenter Mulierem, & ei inseparabiliter inhereret, dum cognoscet eam esse ex se productam, unde dicitur lib. Genesis cap. 2. De viro sumpta est.* Quamobrem relinet homo patrem & matrem, & adhaerabit uxori sua. Et hoc maxime necessarium fuit in specie humana, in qua mas & foemina commarent per totam vitam. Quod non contigit in aliis animalibus. Tertia ratio est: quia mas & foemina conjugantur in hominibus, non solum propter necessitatem generationis, ut in aliis animalibus, sed etiam propter domesticam vitam, in qua sunt aliqua opera viri & foeminae, & in qua vir est caput mulieris. Unde convenienter ex viro formata est foemina sicut ex suo Principio. Quarta ratio est Sacramentalis: Figuratur enim per hanc Eam ex Adamo formationem, quod Ecclesia a Christo sumit Principium. Unde Apostolus dicit Epist. ad Ephesios cap. 5. *Sacramentum hoc magnum est: Ego autem dico in Christo & in Ecclesia: Haec sunt quatuor rationes, quibus S. Thomas 2. part. qu. 92. art. 3. probat, mulierem, seu Eam, debuisse fieri ex viro, seu Adamo.*

D. Valde mihi placent quatuor istae rationes, quibus S. Thomas evincit, Eam ex Adamo fieri debuisse. At, cedo, ni moleustum sit, rationem, cur conveniens fuerit, ut Eva e costa viri sui Adami formaretur?

M. Geminam rationem 1. part. q. 92. art. 3. adducit Doctor Angelicus, quibus ostendit, conveniens fuisse, ut Eva e costa viri sui Adami formaretur. Primo quidem ad significandum quod inter virum & mulierem debet esse socialis conjunctio. Neque enim mulier debet dominari in virum, & ideo non est formata de capite. Neque debet a viro

despici tanquam serviliter subjecta, & ideo non est formata de pedibus. Secundo, propter Sacramentum, quia de latere Christi dormientis in Cruce fluxura erant Sacraenta, idest, sanguis & aqua, quibus est Ecclesia instituta. His duabus luculentis S. Thomas rationibus satis superque diluta manet prima, quam posuisti, difficultas.

D. Necdum explicuisti, quinam esset fructus ille a Deo vetitus scientiae boni & mali, quem in Paradiso terrestri, prava Diaboli, per organum Serpentis loquentis, suggestione, ederunt primi parentes nostri, & qua lingua loquerentur, dum inter se scirent colloqui?

M. Qualis fuerit fructus ille a Deo vetitus scientiae boni & mali, quem primi parentes nostri in Paradiso terrestri comederant, incertum omnino est, idque facile colligitur ex discrepantia sententiatarum, in quas abeunt Scripturarum Sacrae Interpretantes, qui, conjecturis plus aequo hac in re indulgentes, voluerunt pro arbitratru suo definire, & quasi digito monstrare, qualis esset fructus ille a Deo vetitus scientiae boni & mali. In primis, *Moyses Barcaphas* in libro, quem lucubravit, *De Paradiso*, existimat, fructum scientiae boni & mali, a Deo vetitum Adamo & Eam, nihil aliud fuisse, quam usum connubii, quem Deus primis parentibus nostris in Paradiso terrestri inhibuit, donec juberet, ut eo connubii usu invicem fruerentur. Sed hujus sententiae, cum nullum sine in Sacris literis, sine in SS. Patrum Traditione vel minimum extet verum, mirum non est, quod omnium Theologorum calculo rejiciatur. Alii existimarent, fructum vetitum scientiae boni & mali fuisse vel vitem, vel frumentum. Plurimorum fuit opinio fuisse sicum. Alii opinantur fuisse malum, seu pomum. Alii censent fuisse malum araucanicum, aut limonium. Alii dicunt, fuisse cerasum, aut pyrum, vel prunum. Ipse vero, qui in his rebus, quas consulto Scriptura Sacra sapientia silentii obtexit, ariolaris fas non esse arbitror, ejusmodi quæstiōne de vetito fructu scientiae boni & mali, utpote alendæ potius curiositati, quam fovendæ pietati utili, in medio relinquo, & unquamque in suo sensu abundare permitto. Quod spectat linguam, qua primi parentes nostri in Paradiso terrestri loquebantur, quamque in creatione sua, speciali Dei infundentis beneficio, receperunt, opportunius ea de re agemus in colloquisi de secunda Mundi ætate, ubi de confusione linguarum post universale diluvium sermonem instituimus, & quænam fuerit omnium primigenia lingua, investigabimus. Nunc observare sufficiat, linguam, qua primi parentes nostri in Paradiso terrestri utebantur, fuisse hebraam, & ex ea omnes alias linguas, velut totidem dialectos, promanasse, sicut multis argumentis evincit doctissimus, & linguarum Orientalium peritissimus *Ludovicus Thomassinus*, Congregationis Oratorii Presbyter, in suo *Glossario Hebraico*. Sed tempus est ut nostro colloquio finem imponamus.

D. Siste, precor, fidem tuam nondum omnino liberasti. Promisisti quippe, te sub finem hujuscemus colloquii producturum in lucem fabulas & errores, quos

quos prophani Scriptores, Poetæ videlicet, & gentiles Philosophi, circa primi hominis, Mundi, & animalium creationem commenti sunt. Has itaque fabulas & gentilium errores debes nunc in lucem proferre, & eadem opera breviter confutare.

M. Fabulas & errores, quos circa primi hominis, Mundi, & animalium creationem, exco-gitarunt Ethnici Scriptores, ad quatuor potissimum capita, ne longior sim, reducam. In primis, finixerunt Poetæ, primum hominem de luto a Prometheus factum esse. Quia in re, ut optime observat *Lactantius lib. 2. Institutionum Divinarum cap. 11.* res non fecerit Poetas, sed nomen artificis. Nullas enim veritatis literas attigerant: sed quæ Prophetarum vaticinio tradita in Sacratio Dei continebantur, ea de fabulis & obscura opinione collecta & depravata, ut veritas a vulgo solet, variis sermonibus dissipata, corrumpi, nullo non addente aliquid ad id, quod audierant, carminibus suis comprehenderunt. Et hoc quidem inepte, quod tam mirabile tamque divinum opificium homini dederunt. Quid enim opus fuit, hominem de luto fangi, cum posset eadem ratione generali, qua ipse Prometheus ex Japero natus est? Qui si fuit homo, generare hominem potuit, facere non potuit. De Diis autem illum non fuisse, poena ejus in caucaso monte declarat. Apparet ergo fallsum esse, quod finixerunt Poetæ, primum scilicet hominem de luto a Prometheus conditum fuisse. Credibile tamen est, ut ibidem advertit *Lactantius*, Poetas, qui figuris involvere solent, & obscurare quæ dicunt, innuere dumtaxat voluisse, primum omnium Prometheus simulacrum hominis formasse de pingui & molli luto ab eoque natam primo artem & Statuas, & simulacula fingendi. Siquidem Prometheus Jovis temporibus fuit, quibus primum templo constitui, & novi Deorum cultus esse coepérunt. Sic veritas fucata mendacio est, & illud, quod a Deo factum ferebatur, homini, qui opus divinum imitatus est, etiam coepit adscribi. Ceterum fictio vera ac vivi hominis e lomo, Dei est & non Promethei.

Secundo, erravit Philosophus *Aristoteles*, dicens, Mundum non esse a Deo creatum, sed semper fuisse, & humanum genus, & cetera, quæ in eo sunt, initium non habere, sed semper fuisse ac fore. Quem errorem *Moyses* in historica narratione de creatione Mundi praefocat, librum Geneeos aufpicans his verbis: *In principio Deus creavit Cælum & terram.* Et sane, cum videamus singula quæque animalia, quæ ante non fuerant, incipere esse, & esse desinere; necesse est totum genus aliquando esse cœpisse, & aliquando desiturnum esse, quia coepit.

Tertio, errarunt Philosophi *Democritus*, & *Epicurus*, qui docuerunt, hominem, ceteraque animalia, sua sponte e terra esse nata, &, ut divinam providentiam, qua regitur mundus, de medio tollere possent, corpuscula, seu semina per inane voluntaria, admiserunt, quibus inter se temere congregatis, universa gigni atque concrescere stulte affeberabant. Sed horum stultitia facile refellitur. Nam primo, quo foedere inter se hac corpuscula, per inane voluntaria, & qua mente

conveniunt, ut ex his aliquid constituant? quo pacto tam disposite & ordinate coire possunt, cum sensu & ratione careant? Cum igitur Mundum, omnesque partes eius, ut videmus, mirabilis ratio gubernet, cum cali temperatio, concors elementorum discordia, & aequalis in ipsa varietate cursus astrorum lumineque cælestium, temporum constans ac mira descriptio, terrarum varia secunditas, plana camporum munimenta, & ageres montium, viriditas ubertasque sylvarum, fontium saluberrima eruptio, fluminum opportuna inundatio, maris opulentia & copiosa interfusio, ventorum diversa, & utilis aspiratio, ceteraque omnia ratione summa constant: quis, amabo, tam cæcus est, ut existimet, sine suprema mente esse facta, in quibus mira dispositio providentissima rationis eluet? Deum itaque rerum omnium, quæ in mundo sunt, conditorem ac rectorem esse, solus ille, qui mente captus est, inficiari, aut in dubium revocare potest.

Postremo, pessimus omnium error, quem tu, carissime Discipule, maxime detestari debes, est error Epicuri, turpissimæ voluptatis assertoris, qui, ut suis, & aliorum vitiis impunitatem spondet, eo impietatis prorupit, ut diceret, Deum nihil omnino de rebus, quæ sunt in hoc Mundo, curare, non ira, non gratia tangi: Inferorum portas non esse metuendas, quod animæ post mortem occidunt, nec ulli omnino sint Inferi; Voluptatem esse maximum bonum, cuius captandæ causa nascitur homo. Hoc portentosum Epicuri dogma, quod ad omnium vitiorum genera latissimum aperit ostium, expendens *Lactantius lib. 3. Divinarum Institutionum cap. 17.* hæc habet: *Quis, cum hoc affirmari audiat, vitiis & sceleribus abstineat?* Nam si peritura sunt animæ, appetamus divitias, ut omnes suavitates capere possumus; que si nobis de-sunt, ab iis, qui habent, auferamus clam, dolo, vi: eo magis, si humanas res Deus nullus curat, quandcumque spes impunitatis arriserit, arripiamus, necemus. Sapientis enim male facere, si & utile sit & tutum: quoniam si quis in celo Deus est, non irascitur cuquam. Æque stulti est & benefacere: quia sicut ira non commovetur, ita nec gratia tangitur. Voluptatibus igitur, quomodo possumus, serviamus. Brevi enim tempore nulli erimus omnino. Ergo nullum diem, nullum denique temporis punctum fluere nobis sine voluptate patiamur, ne, quia ipsi quandoque perituri sumus, id ipsum quod viximus, pereat. Et, paucis interjectis, subdit idem elegans Auctor: *Est plane cur quisquam putet, hanc vocem viri esse sapientis, quæ potest latronibus apertissime commodari?* Viden, carissime discipule, quo tendat infestissimum istud dogma Epicuri, qui negavit esse Deum, qui hunc mundum negavit ab illo conditum, qui animæ immortalitatem, & Inferorum existentiam mordicus negavit? Hoc igitur scelestissimum dogma omni execratione prosequi debes, & velis remisque fugere confortia quorumdam impiorum, qui e schola Epicuri prodentes, jam vieta prorsus & obruta conscientia, ex turpibus factis laudem etiam sibi quadrunt, inque summis malis, perinde ut summis bonis acquiescent; de Deo, de Religione, de animæ

immortalitate pessime sentiunt, atque undique contaminata vita, pestilentibus exemplis, pestilenti oratione, proximum quemque, velut contagio morbi, inficiunt. Hi nimurum sunt Epicurei nostri sacculi, quos adeo non pudet impia vita, ut glorientur in malitia potentes iniquitate. Denique, eo rediguntur infelices, ut non vereantur Sacratissima Religionis Mysteria irridere, piorum hominum simplicitatem ludibriis incessere, nec a conviciis interim in Christum, nec ab impiis sermonibus abstinentes. Horum itaque improborum hominum, qui sunt deploratae malitia, & immedicabilis pravitatis, convictum, consuetudinem & colloquia omnino fuge, quia non perinde inficit corpora vicina pestis agrotantium, ut oratio istorum flagitiosorum hominum corrumptit familiares. (a)

„ (a) Bona verba quæso. In Epicureos quidem „ hæc convicia rejicienda merito sunt; sed cum „ Epicuro, ejusque dogmate in voluptate summum „ hominis bonum constitente, mitius agendum „ existimo. Quanquam enim falsus est, cum me- „ dium pro fine constituit, nunquam tamen vo- „ luptatem a virtute Philosophus ille sejunxit; „ docuit enim statuendam quidem esse pro fine „ ultimo summam voluptatem, at simul negavit „ dari summam voluptatem posse, quæ non esset „ virtutum exercitatione quærita. Id ex ejus frag- „ mentis, & gravissimorum authorum testimoniis „ evicit Petrus Gassendus in dissert. de vita, mo- „ ribus, & doctrina Epicuri. Hoc tamen, fa- „ teor, de voluptate dogma Epicureos egit in trans- „ versum; voluptatem enim pro fine ultimo sibi „ præstítuentes, alio, quam ubi a magistro suo „ erat constituta, illam quærebant.

D. Nihil mihi unquam commercii, negotii ac societatis erit cum ipsis impiis hominibus, qui Deum esse negant, Sacras Scripturas rident, nullam Religionem admittunt, ut hoc pacto in suis vitiis securitatem sibi quærentes atque licentiam impune faciendi quidquid lubet, subintret tandem impetas inverecunda, impavida circa illicitum regnet audacia, & timor omnis penitus excutiatur, dum nec pena post mortem timetur, nec a Deo ullum commodum speratur. Horum, inquam, pestilentissima colloquia semper devitabo, quia, ut prudenter monet Poeta: *corrumpt bonos mores colloquia mala.*

## COLLOQUIUM II.

*In quo disciuntur ac dirimuntur difficultates, quas de statu Adami post peccatum proponere solent Theologi.*

M. **S**tatus Adami post peccatum, de quo in præsenti Colloquio sermonem habituri sumus, nihil aliud est, quam conditio naturæ humanae, Adami peccato, quod in omnes ejus posteros via ordinaria per seminalem propagationem traducitur, inquinata. Quamvis enim homo gratia medicinalis beneficio sit a Christo, Salvatore nostro sanatus, semper tamen dicitur in statu

naturæ lapsæ, tum quia gratia illa medicinalis naturam universam reapse non sanat, sed naturæ dumtaxat individua quædam; quibus per baptismum confortur; Tum quia etiam, restituta in sacro Baptismatis fonte gratia sanctificante, semper in homine baptizato infixus manet peccati fomes, qui est mala peccati Adami appendix, & ad peccatum inclinat, quo fit, ut, licet homo per gratiam sanctificantem perfecte sanetur quantum ad mentem, remaneat tamen infirmitas quantum ad carnem, p. e. quam servit legi peccati, ut docet S. Thomas. Hic autem status hominis post peccatum Adami quadruplex distinguitur. Primus est ante Legem scriptam, seu Molaicanæ, & ille dicitur *status legis nature*. Secundus est sub lege scripta, & ille appellatur *status legis Mosaiæ*. Tertius est sub gratia, & illa nuncupatur *status legis Evangelice*. Quartus est in pace, quæ (ut ait Sanctus Augustinus in Enchiridio ad Laurentium cap. 118.) post hanc vitam in requis spiritus, deinde in resurrectione etiam carnis implebitur. Et hic postremus status vocatur *status æterne Beatiitudinis*. Porro, hic agemus de statu hominis post peccatum sub lege naturæ usque ad universale Diluvium.

D. Cur, quæso, præcepit Deus primis parentibus nostris, ne comedenter fructum ligni scientiæ boni & mali, & quodnam fuit in illo transgredivi divino præcepto eorum peccatum?

M. Deus ratione supremi dominii, quod obtinet in omnes creaturas, ac subinde in primos parentes nostros, eis præcepit, ut non ederent fructum arboris scientiæ boni & mali, quo suæ erga ipsum, creatorem, & supremum rerum omnium Dominum, promptam obedientiam demonstrarent: *Bona est arbor, nolo tangas. Quare? Quia Dominus sum & servus es. Hæc tota causa est. Si parva est, dedituris esse servus. Quid autem tibi expedit nisi esse sub Domino? Quomodo eris sub Domino, nisi fueris sub præcepto?* Sunt verba S. Augustini in Psalmum 70. Concione 2. post medium. Et ibidem ait Aquilinus ille Doctor: *Non poterat Deus perfectius demonstrare quantum sit bonum obedientiæ, nisi cum prohibuit ab ea re, que non erat mala. Obiter tamen advertere debes cum eodem S. Doctore loco mox a me laudato, arborem illam appellatam esse Scientiam boni & mali, non quia inde talia quasi poma penderent: sed quia homo, qui nollet bonum a malo discernere per præceptum, discreturus erat per experimentum, ut tangendo vetitum, inveniret supplicium.* Quale autem in transgressione divini illius præcepti fuerit primorum parentum peccatum, constans est Sanctorum Patrum Augustini & Thomæ doctrina, fuisse peccatum superbie. Sic enim S. Augustinus cap. 13. lib. 14. De civitate Dei docet: *In occulto autem mali (seu primi parentes nostri) esse cœperunt, ut in apertam inobedientiam laberentur. Non enim ad malum opus perveniretur, nisi precessisset mala voluntas. Porro male voluntatis initium quid potuit esse nisi superbia?* Initium enim omnis peccati superbia est. *Quid est autem superbia nisi perverse celstudinis appetitus?* Perversa enim cel-

celistudo est, deserto eo, ut debet animus inhabere principio, sibi quodammodo fieri atque esse principium. Hoc sit, cum sibi nimis placet &c. Non ergo malum opus factum est, idest, illa trasgressio, ut cibo prohibito vescerentur, nisi ab eis, qui jam mali erant. Sancto Augustino succinat Sanctus Thomas 2. 2. qu. 163. art. 1. ubi haec habet: *Mafestum est, quod prius irvenitur inordinatio in motu interiori anime, quam in actu exteriori corporis..... Inter motus autem interiores prius moverunt appetitus in finem, quam in id quod queritur propter finem..... Unde relinquitur, quod primum peccatum hominis fuit in hoc quod appetit quodam spirituale bonum supra suam mensuram, quod pertinet ad superbiam.* Verum, quamvis peccatum primorum parentum nostrorum proprie fuerit peccatum superbiae, haud incongrue tamen appellari potest peccatum universale, seu seminarium peccatorum, praesertim inobedientiae, gulae, intemperantiae, perfidiae, ingratitudinis post hominum memoriam maxime, & scelestissimi parricidii, quo sibi omnibusque posteris temporalem mortem conciverunt, & aeternam mortem intulissent, nisi filius Dei unigenitus, factus homo, nos ab aeterna morte per pretiosum sanguinem, quem in ara crucis effudit, misericorditer liberasset. Peccato autem Adami occasionem dedit nimius & inordinatus amor, quem habuit erga uxorem suam, sicut Sanctus Augustinus lib. 2. de Genesi ad litteram explicat his verbis: *Ita Salomon, vir tante sapientiae, numquid credendum est quod in simulacrorum cultu creditit aliquid esse utilitatis? Sed mulierum amori ad hoc malum trahenti resistere non valuit, faciens quod sciebat non esse faciendum, ne suos, quibus desperabat, atque diffuebat, moriferas delicias contristaret.* Ita & Adam, posteaquam de prohibito ligno seducta mulier manducavit, eique dedit, ut simul ederent, noluit eum contristari, quam credebat posse sine suo solatio contabescere, si ab eis alienaretur animo, & omnino illa interire discordia. Non quidem carnis vicius concupiscentia, quam nondum senserat in resistente lege membrorum legi mentis sue, sed amicali quadam benevolentia, qua plerunque fit, ut offendatur Deus, ne homo ex amico fiat inimicus. Hinc est, quod idem Sanctus Doctor cap. 11. libri 14. de civitate Dei ait, *Quod Adamus sciens prudensque peccavit juxta illud Apostoli Pauli: Et Adam non est seductus, mulier autem seducta in prævaricatione fuit.* 1. ad Timoth. cap. 2.

D. Quam grave, nobisque fatale ac funestum fuerit primorum parentum nostrorum peccatum, facile intelligo. Sed dicas velim, an Deus statim ac peccarunt primi parentes nostri, Sententiam mortis in illos protulerit, eosque suppliciis, quæ commibebantur, addixerit?

M. Certe, digni erant primi parentes nostri, qui post peccatum, nulla interposita mora, non solum iustitiam originalem, in qua conditi fuerant, vitamque temporalem amitterent, sed etiam aeternis inferorum penitibus sub potestate dæmonum cruciarentur. Sic enim Deus, justus iudex, & præpotens scelerum ultor, animadverxit in reprobos Angelos, quos cum primum peccassent, da-

mnavit, & absque ulla salutis spe, ad infernum actutum præcipitavit. At, vide, si placet, quam misericorditer cum primis parentibus nostris, post illorum peccatum, egerit clementissimus Dominus. Potuisse quippe Deus primis parentibus nostris, postquam peccarunt, non tantum adimere, sicut merebantur, vitam temporalem, verum etiam illos e vestigio ad infernum detrudere, & tamen Deus illis vitam temporalem indulget, &, ut eximerentur ab aeterna, quam incurserant, morte, jam misericordia motus, preparat illis efficacissimum remedium, conferendum per mortem filii sui unigeniti, quem missurus erat in Mundum, ut naturam humanam induens, totum genus humanum, primigenia protoparentis labore perditum, profuso in ara crucis sanguine, repararet, illataque damna cum fenore resarciret. Quin, teste Scriptura Sacra, Deus erga primos parentes nostros, postquam peccassent, ad misericordiam propensissimum sese exhibuit, atque paratum, ut illos venia donaret, si voluisserent peccatum ultro confiteri, divinamque ejus opem implorare. At enim, quid aliud sibi volunt haec verba Dei, Adamum, post illius peccatum, compellantis: *Adam ubi es? ... Quis enim indicavit tibi quod nudus essem, nisi quod ex ligno, de quo precepferam tibi ne comederes, comedisti?* Quid etiam ille pudor, quo Deus primos parentes nostros, statim postquam peccassent, perfudit, ut agnoscerent, se esse nudos, & foliis siccum consutis suam nuditatem obtegerent? Quid denique illa repentina fuga, qua primi parentes nostri post peccatum tentarunt se abscondere a facie Dei? Quid, inquam, hic primorum parentum nostrorum post peccatum pudor, eorum fuga ac timor aliud indicant, quam stimulos, quibus Deus eorum conscientiam pungi, & quasi tacito verbere cœdi voluit, ut tandem aliquando, facti poenitentes, resipiscerent, peccatum suum ea, qua parerat, humilitate confraterentur, & ab eo veniam consequerentur? Verum, primi parentes nostri voci Dei, illos ad poenitentiam invitantis, omnino obsurduerunt, & vanas excusationes, ut peccatum a se amolirentur, obtenderunt. Quo factum est, ut Deus illos rebelles, snaque obstinatione omnem Divina misericordia aditum præchidente, debitissimam tandem multaverit.

D. Ecur, quæso, Deus erga lapsos primos parentes nostros tam misericordem, & versa vice, erga Angelos reprobos tam severum sese ostendit judicem?

M. Quamvis hujus discriminis ratio potissimum petenda sit ex suprema voluntate Dei, qui (ut ait Apostolus Paulus Epist. ad Romanos cap 9.) *cujus vult miseretur & quem vult induratur;* duce tamen haud incongrue possunt assignari rationes, cur Deus tam severe cum Angelis reprobis, & ex adverso ergo lapsos primos parentes nostros tam misericorditer egerit. Prima est, quia Angeli, qui postea reprobri fuerunt, ampliorem scientiam, & dona cum naturalia, tum supernaturalia accepterunt a Deo excellentiora, his gratias ac donis, quæ primi parentes nostri in creatione receperunt a Deo. Peccatum igitur Angelorum, qui *Luciferum*

rum secuti, rebellarunt contra Deum, gravius fuit peccato primorum parentum nostrorum, ac subinde severius a Deo puniri debuit, quam peccatum primorum parentum nostrorum, quia, ut inquit Sanctus Gregorius Magnus Homil. 9. in Evangelia, *cum augentur dona, & rationes etiam crescunt donorum.* Tanto ergo esse humilior atque ad serviendum promptior quisque debet ex munere, quanto se obligatiorem esse conspicitur in reddenda ratione. Altera ratio est, quia omnes Angeli simul creati sunt, nec per successivam generationem produci debebant. Actu igitur existebant Angeli reprobri, qui, una cum Lucifero, eorum Antesignano, rebellionis vexillum contra Deum erexerunt, & propria, actuali & personali voluntate peccarunt. Consentaneum itaque erat iustitiae divinae, ut Angelos reprobos, qui actu existebant, quique non aliena voluntate, sed propria & personali voluntate peccaverant, confessim, & citra ullam dilationem penitentia aeternis inferni pleceret. At vero, Deus decreverat, ut mortalem hominum genus ab Adamo & Eva, ejus conjugi, per generationem successivam propagaretur. Si igitur Deus Adamum, & Ewan, statim ac peccarunt, morte non solum corporis, sed etiam aeterna animae morte penitus inferni traditos punivisset, non fuisset propagatum genus humanum, sed mansisset penitus extinctum. Non congruebat etiam iustitiae divinae, ut filios Adami ( si quos, antequam peccaret, procreasset ) aeterna morte statim puniret, quia illi filii non propria & personali voluntate peccassent, sed aliena, seu voluntate eorum patris Adami, ad discrimen reproborum Angelorum, quos ideo Deus, statim ac peccarunt, aeternis inferni suppliciis cruciandos edixit, quia ipsi reprobri Angelii non aliena, sed propria, libera, actuali, & personali voluntate peccarunt, seque volentes ac scientes, Deo perduelles constituerunt. Haec sunt in summa rationes, quibus nuncquam explicari potest, cur Deus erga lapsos primos parentes nostros tam misericordem, erga vero reprobos Angelos tam severum judicem fese ostenderit. Promerebantur primi parentes nostri, non secus ac Angelii reprobri, statim ac peccarunt, mortem corporis & animae. Utramque portam, ipsis debitam, ultra distulit misericors Deus, immo, certam spem ac fiduciam fecit, se aliquando missurum filium suum unigenitum, Iesum Christum, verum Messiam, qui eos, illorumque posteros a poena aeternae mortis, quam per peccatum incurserant, liberaret, & eorum maius presentissimum afferret remedium. Quis Christianus, haec audient, non exclamet cum Propheteta Regio: *Misericordias Domini in eternum cantabo;* vel cum Propheteta Habacuch cap. 3. *Domine, cum iratus fueris, misericordia recordaberis.*

D. Quod Deus summe misericors primos parentes nostros, postquam peccarunt, non statim vita temporali privaverit, nec aeternis, prout merebantur, afficerit cruciatibus, certe mirari non subiicit, cum nunc etiam videamus, Deum, in tanta impietate hominum, tantisque peccatis patientissimum esse, & iram suam continere. Si e-

nim statim vindicaret, & pro merito quemque statim puniret, nemo supereret. Nullus est enim, qui nihil peccet, & multa sunt, quae ad peccandum irritant, aetas, violentia, egestas, occasio, praemium. Adeo subiecta est peccato fragilitas carnis, qua induit fumus, ut misericors Deus non ad praesens noxiun quenque puniat, sed ei penitentiae tempus concedat, & relipescendi facultatem. Summam igitur agnosco misericordiam Dei, qui primos parentes nostros non statim post illorum peccatum morte temporali & aeterna, ut merebantur, punivit; Sed tamen, ut candide fatear, nequum capio, quo in sensu intelligenda sit haec comminatio, qua Deus prohibuit Adamo, ne fructum ederet scientiae boni & mali, dicens: *De ligno scientiae boni, & mali ne comedas; in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Genesis cap. 2. v. 17. Quibus verbis Deus comminatur Adamo, ipsum moritum eodem die, quo fructum scientiae boni & mali comedet, & tamen constat, Adamum non eodem die, quo fructum scientiae boni & mali comedidit, mortuum esse, sed multis postea annos una cum sua conjugi Eva vixisse. Expone igitur, quaequo, quo in sensu intelligenda sit divina ista comminatio? & quo pacto in primis parentibus nostris fuerit completa?

M. Quamvis Adamus & Eva non mortui sint eo die, quo comederunt fructum ligni scientiae boni & mali, in eo tamen sensu, juxta S. Augustinum lib. 1. de peccatorum Meritis & Remissione, in illis implera est divina illa comminatio: *Qua die ederitis, morte moriemini,* quod Adamus & Eva eo die, quo comederunt fructum ligni scientiae boni & mali, mori cœperunt, seu mortis legem, qua in senium veterascerent, accepérunt. Non enim stat vel temporis puncto, sed sine intermissione labitur quidquid continua immutatio sensim currit in finem, non perficiem, sed consumentem. Sic itaque impletum est, quod dixerat Deus: *Qua die comederitis, morte moriemini,* idest, moriendo Legi ac necessitate eritis obnoxii.

D. Cum igitur Deus summe bonus Adamum & Ewan, statim ac peccarunt, nec mortis, nec damnationis aeternae poena punierit, scire velim, quam poenam illis primis Parentibus nostris confessim post ipsorum peccatum inflixerit Deus? & quam Sententiam in ipsis protulerit?

M. Quia Eva, pravum Serpentis consilium sequendo, prius peccaverat, in eam Deus protulit Sententiam, per quam non solum Eva, sed & omnes mulieres sub Eva persona ( si tamen Beatis. Virginem Mariam exceptis, in qua de Spiritu Sancto sine carnis concupiscentia conceptus est Filius Dei Iesus Christus Dominus noster ) ad partus doloris plenos, ad aruminas multas, & ad Viri subjectionem damnantur his verbis: *Multiplicabo aruminas tuas, & conceptus tuos, in dolore paries filios, & sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.* Gen. c. 3. v. 16. In Adamum vero, qui audierat vocem uxoris suæ, & in omnes viros sub persona Adami, Deus hanc protulit Sententiam, per quam ad perpetuos labores damnantur his verbis: *Quia audisti vocem uxoris tuae, & comedisti de ligno, ex quo preceperam tibi ne*

comedes, maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vite tuae. Genes. cap. 3. v. 17. Sed, ut clarius intelligas, quot poenæ, miseria, & calamitates peccatum Adami securæ sint, primum tibi ob oculos ponam felicitatem ac delicias, quibus Adamus gaudebat in statu innocentiae. Dein, recensabo miseras, poenas, & calamitates, quas Adamus, post peccatum, ejusque posteri experti sunt, & etiamnam experientur. In primis, felicitatem ac delicias, quibus fruebatur Adamus in statu innocentiae Sanctus Augustinus lib. 14. de Civit. Dei cap. 26. luculenter describit his verbis: *Vivebat, inquit, homo in Paradiso sicut volebat, quamdiu hoc volebat, quod Deus iusserat.* *Vivebat fruens Deo, ex quo bono erat bonus, vivebat sine ulla egestate, ita semper habens vivere in potestate. Cibus aderat ne esuriret; lignum vitae, ne illum senecta dissolvet. Nihil corruptio-nis in corpore, vel ex corpore ullas molestias, ullis ejus sensibus ingerebat. Nullus intrinsecus morbus, nullus ictus metuebatur extrinsecus. Summa in carne sanitas, in anima tota tranquillitas. Sicut in Para-diso nullus aestus aut frigus, sic in ejus habitatore nulla ex cupiditate vel timore accedebat bone voluntatis offensio. Nihil omnino triste, nihil inani-ter letum, gaudium vero perpetuabatur ex Deo, in quem flagrabit caritas ex corde puro, & conscientia bona, & fide non facta, atque inter se conjugum fida ex honesto amore societas, concors mentis corporisque vigilia, & mandati sine labore custodia. Non lassitu-do fatigabat otiosum, non somnus premiebat invitum &c. Audisti haec tenus, carissime Discipule, felici-tatem & delicias, quibus Adamus in statu innocentiae perfundebatur; audi nunc miseras & cala-mitates, quibus Adamus, postquam peccasset, se totumque genus humanum reddidit obnoxium. Et primo quidem, Adamus, dum peccavit, se, omnesque suos posteros miseriis, morbis & laboribus subjecit. Secundo, per peccatum Adami mors intravit in Mundum, sicut dicit Apostolus Paulus Epistola ad Romanos cap. 5. v. 12. *Per unum hominem, inquit, peccatum intravit in hunc Mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors perpetravit, in quo omnes peccaverunt:* & Lib. Sa-pientiae cap. 2. v. 23. & 24. dicitur: *Deus creavit hominem inextirpabilem... invidia autem Diaboli mors introivit in Orbem terrarum.* Tertio, Adamus, per peccatum suum, non solum spoliatus est donis gratuitis, & praesertim iustitia originali, in qua fuerat a Deo conditus, sed etiam vulneratus est in suis facultatibus naturalibus, quod Christus Dominus cap. 10. Lucæ v. 30. innuit ea parabola hominis de-scendentis ab Hierusalem in Jericho, qui incidit in Latrones, a quibus non tantum spoliatus, sed etiam vulneratus & semivivus relictus est. Hinc S. Augustinus lib. de Natura & Gratia cap. 3. ait: *Adam ille est, quem semivivum latrones reliquerunt, qui gravibus sauciis, confusisque vulneribus, non ita potest ad iustitiam culmen ascendere, sicut potuit inde descendere.* Quatuor autem vulnera Adamus, dum peccavit, non tantum sibi, sed & toti naturæ humana inflxit, videlicet effra-nem concupiscentiam, ignorantiam, & infirmitatem, sicut diserte docet S. Thomas 1. 2. quest.*

*Hist. Vet. Test. Tom. I.*

85. art. 3. ubi sic ratiocinatur: per iustitiam ori-ginalē perfecte ratio continebat vires inferiores subditas animæ, & ipsa ratio a Deo perficie-batur ei subjecta. Hæc autem originalis iusti-tia subtrahita est per peccatum primi Parentis, & ideo omnes vires animæ manent quodammodo destitutas proprio ordine: & ista destitutio dici-tur vulnus naturæ. Sunt autem quatuor poten-tia animæ, quæ possunt esse subjecta virtutum, scilicet *Ratio*: in qua est prudentia; *Voluntas*, in qua est iustitia; *Irascibilis*, in qua est fortitudo; *Concupiscibilis*, in qua est temperantia. In quantum ergo *Ratio* destruitur suo ordine ad verum, est vulnus ignorantiæ: in quantum *Voluntas* de-stituitur ordine suo ad bonum, est vulnus malitiæ; in quantum *Irascibilis* destruitur suo ordine ad arduum, est vulnus infirmitatis; in quantum *Concupiscibilis* destruitur suo ordine ad delectabile mo-deratum ac temperatum ratione, est vulnus con-cupiscentiæ. Ex hoc S. Thomas ratiocinio pater, qua-tuor vulnera per peccatum Adami fuisse totidem potentissimæ animæ inficta, nimis ignorantiam in intellectu, malitiam in voluntate, infirmitatem in appetitu irascibili, & perdulem concupiscentiam in appetitu concupisibili. Denique, per peccatum Adami singulis hominibus omnium malorum cohors incubuit: *Malorum omnium nostrorum causa peccatum est.* Non enim sine causa homines mala ista patiuntur. *Justus est Deus, omnipotens est Deus, nullo modo ista pateremur, si non mereremur,* inquit Sanctus Augustinus Sermone 240. alias 139. de tempore.

D. Hominem multis malis & innumeris miseriis obnoxium esse agnoverunt etiam Philosophi, sed tot malorum & miseriaram primordialem causam, quam indicat S. Augustinus, videlicet peccatum Adami, nullo pacto penetrare potuerunt, utpote qui lumine Fidei erant plane destituti. Cicero squidem, quem nuper legebam, in Libro 3. de Republica, ait, *hominem, non ut a matre, sed ut a noverca natura editum in vitam, corpore nu-do, fragili & infirmo, animo autem anxio ad molestias, humili ad timores, molli ad labores, prono ad libidines: in quo tamen inesse tanquam obrutus quidam deivinus ignis ingenii & mentis.* Hæc Ethni-corum Philosophorum, qui alioqui magno & ex-cellenti ingenio prædicti erant, de conditione homini-sis ignorantia sat superque probat, quam densas tenebras intellectui humano offuderit Adami peccatum, in quibus tenebris nos adhuc immersi ja-ceremus, nisi Deus in sacris Literis nobis revela-set veram omnium malorum nostrorum causam esse peccatum Adami, qui primum fuit conditus rectus, & ab omnibus miseriis immunis, sed per pecca-tum excidendo a felicissimo illo statu, in quo era-t, se, omnesque suos posteros in voraginem miseriaram, quibus nunc, velimus nolimus subjacemos, miserum in modum præcipitavimus.

M. Reete dicis. Agnoverunt quidem Ethnici Philosophi nasci homines ærumnis, miseriis, & di-ris doloribus obnoxios, eosque in hoc deterioris esse conditionis, quam sint ipsæmet bellæ, sed tam-en causam harumque miseriaram, quibus tantum non homines opprimuntur, nescierunt: *Rem vidis*

(Tullius Cicero) causam nescivit .... quia sa-  
cris Literis non eruditus, ignorabat originale pe-  
ccatum, inquit S. Augustinus lib. 4. contra Julianum, Pelagianum, num. 60. alias cap. 12. In hac  
peccati originalis, quod fuit omnium malorum no-  
strorum causa, ignoratione veriantes Ethnici, sive  
Poetae, sive Philosophi, in varios impegerunt er-  
rores, quos hic referre non abs se erit, ut inde intelligas, illos lumine Fidei destitutos, Sacrarum Litterarum notitia privatos, veram hominum condicio-  
nem intelligere non potuisse. Alii quippe, sicut  
Poetae, cum viderent, homines tot miseris, pœ-  
nis ac calamitatibus ab ipso vita exordio cruciari,  
finixerunt, ut videre est apud *Lactantium* li-  
bro 6. *Divin. Institut.* cap. 10. *homines non a Deo*  
*factos, sed ex terra primitus natos esse, tanquam*  
*ex draconis alicuius dentibus præseminatos, qui,*  
*cum per sylvas, & campos erraticam degerent vi-  
tam, nec ullo inter se sermonis aut juris vinculo cohære-  
rent, sed frondes & herbas pro cubilibus, speluncas*  
*& autra pro domibus haberent, bestias & fortioribus ani-  
malibus preda fuerunt. Tum eos, qui aut laniati effu-  
gerant, aut laniari proximos viderant, admonitos periculi  
i sui, ad alios homines decurriſſe, præsidium implo-  
rassæ, & primo nutribus voluntatem suam significas-  
ſe, deinde sermonis initia tentasse, ac singulis quibusque  
rebus nomina imponenda, paulatim loquendi perfe-  
cisse rationem. Cum autem nec multitudinem ipsam  
viderent contra bestias esse tutam, oppida etiam cœpiſſe  
se munire, vel ut quietem noctis tutam sibi facerent, vel ut  
incursions atque impetus bestiarum non pugnando, sed  
objectis aggeribus arcerent. Hæc Poetarum figura  
postquam retulit *Lactantius*, exclamat: *O ingenia ho-  
minibus indigna, quæ has ineptias protulerunt, miseri-  
nos atque miserabilis, qui stultitium suam literis me-  
morjæ mandaverunt! Qui, cum viderent mutis quo-  
que animalibus ingenitam esse inclinationem vel con-  
veniendi, vel invicem appetendi, vel periculi fu-  
giandi, vel mali cavendi, vel cubicula sibi & lati-  
bula parandi, homines autem ipsos existimaverint non-  
niſi exemplis admoneri, ac discere posuisse quid metue-  
re sibi, quid cavere, quid facere deberent, aut nun-  
quam conventuros inter se fuisse, nec loquendi rationem  
reperturos, niſi eos bestie comedissent. Sed mittamus,  
quæſo, hæc commenta ac deliria Poetarum, &  
veniamus ad antiquos superflitos Gentilitatis  
Philosophos, quibus etiam plane ignota fuit vera  
hominis conditio. Pythagoræ Philosophi (sicut  
observat S. Thomas i. p. quæſi. 48. art. 1. ad 1.) censem-  
bant, *malum esse quamdam naturam subsistentem, non*  
*secus ac bonum, ideoque bonum & malum quasi*  
*duo genera, aut duas categorias constituebant,*  
*quam Pythagoræorum doctrinam amplexi sunt*  
*Magi Perseorum, ut videre est apud Diogenem Laer-  
tium in Procemio ad vitas Philosophorum, & apud*  
*Plutarchum lib. de Iside, & Oſtride. Hoc jacto*  
*femel fundamento, admirabant illi Philosophi*  
*duo prima principia, quorum unum esset *bonum*,*  
*& alterum *malum*, ita ut omnia, quæ in*  
*Mundo & in homine essent mala, a malo prin-  
cipio, seu e causa effectrice prodirent. Hanc pessi-  
mam Gentilium Philosophorum doctrinam obviis*  
*ulnis etiam amplexi sunt hæresiarca *Manes*, ejusque*  
*discipuli, dicti *Manichæi*. Nam, cum in-***

credibile putarent, Deum bonum & justum au-  
torem esse pravae & effrenis illius concupiscentiæ,  
qua ad omnium scelerum atrocitatem, puta ad ho-  
micidia, adulteria, libidinem immaniaque inter-  
dum contra naturam rationalem crimina feran-  
tur, & incitantur homines, duos confinxerunt  
Deos, alterum *bonum*, a quo, ceu a causa  
effectrice omnia promanarent bona, alterum *ma-  
lum*, a quo, ceu a causa itidem effectrice, eaque  
potentissima, orirentur mala, ac subinde prava  
& perduellis illa concupiscentia, qua homines  
ad nefanda impelluntur flagitia, quamque Deo  
bono, justo & sancto, tanquam auctori at-  
tribuere nefas esse ducebant. In tam crastum er-  
orem ideo antiqui gentiles Philosophi, & hæ-  
retici Manichæi prolapsi sunt, quod veram  
hominis conditionem perspectam minime habue-  
rint. Causa enim malorum, quæ nunc patitur  
homo, & præsertim rebellionis concupiscentiæ,  
alia non est, quam peccatum Adami, quod ad  
omnes homines per generationem traducitur. Si  
enim Adamus non peccasset, omnes ejus posteri  
ab omnibus malis, & a rebellione concupiscentiæ  
fuerint plane liberi, sicut in primo nostro col-  
loquio ostendimus. Absurdissime igitur hæretici  
Manichæi, antiquorum gentilium Philosophorum  
deliramenta fecuti, duos admirerunt Deos, unum  
bonum, qui esset causa effectrix omnium bonorum,  
& alterum *malum*, qui esset causa effectrix omnium malorum. Quasi vero, mala  
positivam quamdam ac physicam naturam habe-  
rent, & causa effectrice indigerent; cum potius  
nihil aliud sint, quam defectus, & privatip-  
boni.

D. Erorem antiquorum illorum Philosophorum,  
nec non hæreticorum Manichæorum, qui  
dictabant, rebellionem concupiscentiæ, quam  
experiuntur homines, esse malam, & ab aliquo  
malo Deo, tanquam a causa effectrice, produ-  
ctam fuisse, lubentissime detegor. Tantum enim  
abest, ut concupiscentiam, quam nunc homines  
sentiunt, malam esse putem, & ab aliquo malo  
Deo, tanquam a causa efficiente, productam, ut  
potius ( si mihi hac in re liceret meum inter-  
ponere iudicium ) dicerem, hanc concupiscenti-  
am esse bonam, & natura hominum consen-  
taneam; tum quia videamus, eos motus, quos  
concupiscentiæ tribuimus, fieri in bellus secundum  
earum naturam; tum quia etiam, si homo  
conditus fuisset in statu naturæ puræ, sensisset na-  
turaliter concupiscentiæ motus; quod autem fit  
secundum ordinem naturæ puræ, non potest esse  
malum, alioqui transfundetur in Deum, qui est  
Auctor naturæ. Verum, quia timeo, ne meum  
hac in re me fallat iudicium, edoce me, quæſo,  
quid juxta Fidem Catholicam, tenere ac credere,  
quosve errores repudiare debeam.

M. Absit, ut unquam tibi probetur tam pesti-  
lens doctrina, quæ nihil aliud est, quam pura  
putaque hæresis *Pelagii*, ejusque *Sectatorum*, qui  
concupiscentiam carnis *bonum* esse naturæ præ-  
dicabant. At enim, si hæc concupiscentia, quæ  
importat pugnam carnis adversus spiritum, esset  
bona, & natura hominis conveniens, esset Deo,  
tan-

tanquam auctori naturæ, adscribenda. Quid autem absurdius, quam dicere, Deum auctorem esse illius effrænis concupiscentiæ, qua feruntur homines in ea, quæ tanto studio vetuit ipsem Deus, videlicet in adulteria, furta, cædes, beneficia, & in omne scelerum genus, quæ rationem humanam tam graviter offendunt? Hæc certe concupiscentia, quæ contra hominis rationem colluctatur, quatenus inordinata est, & extra limites rationis effunditur, sicut eam experuntur homines in statu naturæ lapsæ, non potest esse bona, nec a Deo profecta, sed est vulnus relictum ex peccato primi Parentis, qui a Deo fuerat factus rectus, sed ipse vias suas malas fecit, nec sibi dumtaxat inflixit prævæ concupiscentiæ vulnus, sed illud quoque ad posteros transmisit. Hinc *S. Augustinus*, quoties adversus *Julianum*, Pelagianum, probat, in aliam esse concupiscentiam, luculentissimum deponit argumentum ex illa tumultuantium contra rationem cupiditatum pugna, quam in statu naturæ lapsæ excitat inordinata concupiscentia, quæ subinde nec est bona, nec a Deo profecta: *Hec* ( inquit Aquilinus ille Doctor lib. 4. contra Julianum cap. 13. ) *concupiscentia, quam laudas, non est a Patre. Duo enim bona, quæ a Patre sunt, inter se pugnare non possunt: pugnant autem inter se continentia, & concupiscentia. Quid autem horum a Patre magis esse velis? Responde. Video quas patiaris angustias; faves quidem concupiscentiæ, sed erubescis continentia.* Fateor quidem, in belluis, quæ rationis sunt expertes, motus illos, quos concupiscentiæ tribuimus, secundum eam naturam fieri, at certum est, motus illos concupiscentiæ, qui bellui, ratione parentibus, naturales sunt, & ordini non adversantur, in homine esse defectus, & vitia. Ratio est, quia ordo in homine postulat, ut pars superior, seu Mens, dominetur inferiori, seu carni. Quo fit, ut si caro adversus spiritum, seu mentem, infurgat, id non opus Dei sit, sed ipsius hominis, qui adversus conditorem suum rebellavit. Unde *S. Augustinus* lib. 2. contra *Pelagium & Cælestium*, de Gratia & peccato originali cap. 40. ait: *Tante namque excellente est in comparatione pecoris homo, ut vitium hominis sit natura pecoris. Et lib. 4 contra Julianum cap. 5. hec autem libido, inquit, ideo malum non est in belluis, quoniam non repugnat rationi, quæ parent. Hinc bellus non pudet libidinis sue, homines autem erubescunt de libidine sua; nullum quippe est peccatum, teste Tertulliano, quod natura pudore, aut horrore non perfuderit. Denique, duplex distingui debet concupiscentia, una videlicet, quæ bona est, quatenus est affectio appetitus sensitivi rationi subdita: Altera, quæ prava est, & inducit rebellionem passionum, & pugnam contra spiritum, & rationem, hæc vocatur perduellis concupiscentia, quæ originem habet ex peccato Adami, ac subinde locum non habuit in Adamo innocentem, nec extitisset etiam prædicta concupiscentia in statu naturæ puræ, si eo in statu homo fuisset a Deo conditus, sed in eo statu naturæ puræ, ( facta hypothesi quod extitisset ) homo habuisset concupiscentiam, in priori sensu acceptam, videlicet quæ bona est, rationi subdita, abique inordinatione, absque ulla pugna*

contra spiritum, & cujus Deus auctor fuisset. Ratio est, quia in statu naturæ puræ ( si revera extitisset ) pars superior, seu mens, partem inferiorem, seu appetitum sensitivum rexisset, quia mens, seu anima, appetitus sensitivi domina est a natura præposita, adeoque appetitus sensitivus in statu naturæ puræ fuisset subditus rationi, nam, ut docet *S. Thomas* 1. 2. qu. 82. art. 3. ad 1. in hominæ appetitus concupisibilis naturaliter regitur ratione, & in tantum concupiscere est homini naturale, in quantum est secundum rationis ordinem; concupiscentia autem, que transcendit limites rationis, inest homini contra naturam; & talis est concupiscentia originalis peccati. Idem docet Angelicus Doctor 1. 2. quæst. 85. art. 3. ad 3. nec non in 3. p. qu. 15. art. 2. & in libro 2. sent. distinct. 31. qu. 1. art. 2. ad 3. In statu itaque naturæ puræ ( si reapse extitisset ) homo non habuisset inordinatum & perduellis concupiscentiam, qualem nunc experitur homo in statu naturæ lapsæ, sed habuisset concupiscentiam, citra ullam inordinationem, parti superiori, seu rationi naturaliter subditam: Sed hæc sufficere debent, ut diris devoveas *Pelagium*, ejusque discipulos, qui peccatum originale negantes, concupiscentiam, que cum ratione pugnat, eique parere detrectat, bonum carnis prædicare non erabuerunt, quorum infelitum dogma, sicut & figmentum antiquorum gentilium Philosophorum, necnon hereticorum Manichaorum de duobus rerum principiis, aut Diis, *Sanctus Augustinus* in multis, quos adversus illos edidit, libris diruit ac penitus profligavit.

D. Concupiscentia illa, quæ est pena peccati originalis, remanente in his, qui sunt baptizati?

M. Remanere in baptizatis concupiscentiam, quæ est pena peccati originalis, quæque dicitur fomes peccati, dogma fidei est, a Concilio Tridentino sess. 5. Decreti de peccato originali, his verbis definitum: *Manero autem in baptizatis concupiscentiam vel fomitem hec Sancta Synodus fatur & sentit.* Hæc autem concupiscentia, etiam post susceptum baptismum, ita medullitus infixa inhaeret, ut compesci quidem ac frenari possit, elevi radicibus nequeat. Quo fit plerumque, ut in nobis, propter natura depravationem, excitet passiones, quæ per ignorantiam seruntur in id, quod esset, repudiandum, refugiunt ea, quæ sunt expertæ, nituntur ad turpia, tenebras menti offundunt, obstruunt rationi, cui obtemperare deberent; intestinos, seu domesticos excitant tumultus, & sèpe malis vertuntur in occasionem materiamque peccandi. Manet ergo etiam in baptizatis concupiscentia, quæ est pena peccati originalis, & ideo Apostolus Paulus Epist. ad Roman. c. 7. ait: *Sentio aliam legem in membris meis, repugnante legi mentis mee.* Et Epist. ad Galatas cap. 5. *Caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem.* Quamvis autem in baptizatis remaneat concupiscentia, hæc tamen superites concupiscentia non est peccatum, sed pena peccati originalis, sicut sanctum est in Concilio Tridentino contra Lutheranos, & Calvinistas, qui pertendant, peccatum originali non deleri, non tolli per Baptismum, sed tan-

tum radi, tegi, & non imputari, tametsi in residua concupiscentia post Baptismum adhuc remaneat. Nec solum superstes est post Baptismum concupiscentia, quae est poena peccati originalis, sed etiam in baptizatis remanent ignorantia in intellectu, infirmitas & difficultas operandi bonum, morbi, mors, miseriae, calamitates, quae sunt itidem poena peccati originalis, quibus in hac vita mortali subjiciuntur omnes omnino homines, etiam iusti, qui in originali peccato concepti sunt.

D. Quorsum, amabo, voluit Deus, ut per baptismum, infusa gratia sanctificante, deterretur peccatum originale, & tamen in baptizatis remarent reliquæ, seu poena peccati originalis?

M. Veram hujus voluntatis divinae causam profert S. Augustinus lib. 2. de peccatorum meritis & remissione cap. 31. ubi haec habet: poterat etiam (Deus) hoc donare credentibus, ut nec istius experientur corporis mortem. Sed si hoc fecisset, carni quedam felicitas adderetur, minueretur autem Fidei fortitudo. Sic enim homines mortem istam timent, ut non ob aliud felices dicentes esse Christianos, nisi quod mori omnino non possint, ac per hoc nemo propter illam vitam, qua post istam mortem beata futura est per virtutem etiam contempnendæ ipsius mortis ad Christi gratiam festinaret, sed propter removendam mortis molestiam deliciatus crederetur in Christum. Plus ergo gratia praefixit, plus fidelibus suis donavit Deus. Quid enim magnum erat, videntio non mori eos qui crederent, credere se non moriturum? Quanto est maius, quanto fortius, quanto laudabilius, ita credere, ut se speret moriturus sine fine victurum? Duas etiam egregias rationes 3. part. qu. 69. art. 3. affert Doctor Angelicus, quibus ostendit, cur Baptismus, et si delectat peccatum originale, non tollat tamen poenas peccati originalis, quas ipse vocat *pœnalitates presentis vita*. Primo, quia per Baptismum homo incorporatur Christo & efficitur membrum ejus, & ideo sicut Christus a principio conceptionis sue fuit plenus gratia, & veritate, habuit tamen corpus passibile, quod post passionem & mortem est ad vitam gloriosam resuscitatum; ita Christianus in baptismo gratiam consequitur quantum ad animam, habet tamen corpus passibile, in quo possit pro Christo pati, sed tandem resuscitabitur ad impassibilem vitam. Præterea, Baptismus, etiamsi delectat peccatum originale, non tollit tamen reliquias, seu *pœnalitates peccati originalis*, propter spirituale exercitium, ut videlicet contra concupiscentiam & alias passibilites pugnans homo, victor corona acciperet; in cuius figuram dicitur libri Judicium cap. 3. Ha sunt gentes, quas Dominus dereliquerat, ut erudiret in eis Israel, & postea discerent filii eorum certare cum hostiis & habere consuetudinem preliandi. Ad spirituale itaque exercitium in nobis, etiam post Baptismum, qui culpam genitalem abstergit, haerent adhuc veteris morbi reliquæ, seu poena peccati originalis, tum ad custodiæ humilitatis, tum ad materialia segetemque virtutis. Ex autem sunt ignorantia, caro, & infirmitas. Ignorantia obscurat rationis judicium. Lumen enim illud purissimum divini vultus, quod conditor infuderat super nos,

hanc parum obfuscavit culpa primorum parentum, quo fit plerumque, ut in defectu rerum ferre cæcutiamus, pro optimis pessima sequentes. Caro sollicitat passiones, ut etiam si quid sit optimum intelligamus, diversa tamen amemus. Infirmitas facit, ut virtutem semel arreptam, vel tædio, vel tentatione vieti deseramus. Ignorantia osicit judicio; caro depravat voluntatem; infirmitas frangit constantiam. Ut igitur domesticos illos hostes, quos perpetuo circumferimus, opitulante Dei gratia, vincere valeamus, primum, quæ fugienda sunt dignoscere, ac discerne re sedulo debemus ab his, quæ sunt experenda, sive tollere ignorantiam, ne in rerum defectu hallucinemur. Deinde, malum cognitum odio prosequi, & bonum amare debemus, sive vincere carnem, ne contra mentis iudicium dulcia pro salutaribus amemus. Postremo, curandum est, ut in bene coptis perseveremus, atque idcirco fulciamus infirmitatem, ne turpius viam virtutis deseramus, quam fueramus non ingressuri. Ignorantiae itaque medendum, ut videamus, non quo itur, sed qua eundum est. Caro domanda, ne a cognita via nos seducat in devia. Infirmitas animanda ne viam arctam ingressi, vel vacillemus, vel deflectamus, neve semel arato manum admoliti, ea qua retro sunt, respiciamus, sed potius in ea, quæ sunt ante, nosinetipios exten damus, donec apprehendamus braviuni, & coronam promissam perleverantibus. Hoc pacto superabimus has peccati originalis reliquias, quæ in nobis, etiam post Baptismum, haerent, sine quibus non vivimus, & cum quibus sine assiduo bello vivere haud possumus.

D. Audivi nuperime a quadam perito Theologo, hanc ignorantiam, quæ post Baptismum superpetet est, appellari a Sancto Augustino *peccatum*, cur igitur dicas, eam non esse peccatum, sed dumtaxat penam peccati originalis?

M. Ignorantiam & concupiscentiam, quæ in nobis etiam post Baptismum haerent, aliquando a S. Augustino appellari *peccatum* non inficior. Sed tunc Sanctus ille doctor peccati nomen latiori notione usurpat, non prout peccatum significat, sed prout defectum ex peccato originali consequentem, aut ejusdem peccati poenam significat. Disputabat quippe S. Augustinus contra Pelagianos qui dicebant, ignorantiam, concupiscentiam, & difficultatem, cum quibus nascitur homo, non esse mala, & peccati originalis poenas, sed naturales defec tus, seu esse primordia, non supplicia naturæ. Hinc Julianus, Pelagianus (ut videre est apud S. Augustinum lib. 3. cap. 19. & 20. contra eundem Julianum) multis laudibus exornabat concupiscentiam, ac commendabat ignorantiam. Hæc igitur Pelagianorum deliria ut everteret Sanctus Augustinus, concupiscentiam & ignorantiam esse mala & peccati originalis consecaria pronuntiavit, ita ut proprie sint poena peccati, impropre vero tantummodo, *peccatum*, quia, tanquam ex virulento fonte, scaturiant & peccato originali. Hanc esse germanam nomenclam Sancti illius Doctoris pater ex ipsius verbis lib. 3. de libero arbitrio cap. 19. ubi, postquam dixisset: *Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignor-*

*ignoras, ista tua propria peccata sunt, subdit: Nam illud, quod ignorans quisquis non recte facit, & quod volens recte facere non potest, ideo dicuntur peccata, quia de peccato illo libene voluntatis ( id est peccato Adami ) originem ducunt. Quibus verbis non poterat S. Augustinus suam clarius aperire mentem.*

D. Cum illa ignorantia, quæ non tollitur per Baptismum, sed adhuc hæret in baptizatis, non sit peccatum, sed dumtaxat pœna peccati originalis: gestiret nunc animus scire, quænam ignorantia excusat a peccato?

M. Hæc difficultas, quam proponis, amplissimum suppeditat Theologis disputandi argumentum, quod cum ipse late calamo tractare non possim, breviter tibi indicabo, quid super hac redammare, quid vero tenere debes. In primis, sunt duo errores, a quibus vehementer abhorre debes. Primus error est Pelagianorum, qui, sicut refert S. Augustinus in Libro *De Gestis Pelagii* cap. 18. afferebant, *oblivionem, & ignorantiam* ( sive vincibilem, & voluntariam, sive invincibilem, & involuntariam ) *non subiacere peccato, quoniam non secundum voluntatem eveniunt, sed secundum necessitatem*. Hic autem Pelagianorum error proscriptus est in Synodo Diopolitana, ut refert S. Augustinus in Libro *De Gestis Pelagii* c. 19. Alter error est Cornelii Jansenii, Episcopi Irenensis, qui, libri primi *De statu nature pure* cap. 2. odio erroris Pelagi, in extremam abiit doctrinam, & incidit in Scyllam, volens vitare Charybdis. Docet quippe velut Fidei dogma ab antiquis traditum, ignorantiam, quæ necessitatis est, non voluntatis, hoc est, ignorantiam invincibilem, quæ nullo studio nullo labore, nullo pacto vinci, ac superari potest, non excusat a peccato. Hunc Jansenii errorem, quem antehac præformaverat Michael Bajus, Doctor Lovaniensis, damnarunt Summi Pontifices S. Pius V. & Gregorius XIII. Hi sunt duo errores, a quibus ex æquo cavere debes. At, his duabus erroribus ab Ecclesia proscriptis duas accedunt quorundam recentiorum Teologorum, plus æquo jugum Christi emollientium, peregrinae opiniones, quas velis, remisque fugere debes. Prima opinio illorum est, qui ignorantiae obtentu, innumera atque immannissima peccata excusant, docentes, a perditissimis etiam, atque deplorata conscientiæ hominibus nequaquam peccari, nisi prævia peccati cognitione animus illufretur, ejusque vitandi desiderio extimuletur, atque ita homines sceleratissimos eomagis a sceleribus immunes pronuntiant, quo profundius in vitorum cœno voluntantur. Altera opinio, non minus exitiosa, eos habet patronos, qui, ut facilius homines excusent a peccato, pertendent, dari posse Legis naturalis invincibilem ignorantiam in nonnullis hominibus, quos adeo stupidos esse volunt, ut nullo studio, aut diligentia possint sibi comparare notitiam præceptorum Legis naturalis, etiam eorum, quæ facile fluunt ex principiis Legis naturalis, quæ continentur in Decalogo. Ex his duabus Laxorum Casuistarum opinionibus pullularunt in doctrina morali, quamplurimi errores, qui a Summis Pontificibus Alexandro VII. Innocentio XI. & Alexandro VIII. fuerunt confixi.

D. Quod ignorantia invincibilis excusat a peccato, jure optimo contra Jansenium definitivit Ecclesia. Nemo quippe peccat in eo, quod vitare non potest, porro ille, qui laborat ignorantia invincibili, non potest vitare peccatum, quia, dum invincibiliter ignorat præceptum, aut prohibitionem Legis, non potest id agere, quod præcipitur, aut vitare, quod prohibetur, ac subinde peccatum vitare non potest. Quo fit, ut sit inculpabilis, cum nemo ad impossibile teneatur, & nullum sit peccatum nisi sit voluntarium. Hunc itaque Jansenii errorem, ab Ecclesia proscriptum, diris devovendum esse ultro profiteor. At, ut candide fatear, haec tenus mihi persuaseram, non solum ignorantiam invincibilem, sed etiam quæcumque ignorantiam excusat a peccato. Sic enim discribam: Nullum est peccatum, nisi sit voluntarium, sed quæcumque ignorantia tollit voluntarium: Voluntarium id enim censetur, quod est a principio intrinseco cum cognitione finis; hæc autem cognitionis finis tollitur per quæcumque ignorantiam, sive invincibilis, sive vincibilis sit: igitur quæcumque ignorantia excusat a peccato, quia omnis ignorantia, quantumlibet per negligentiam contracta, tollit cognitionem malitia actus, nihil enim volitum nisi cognitum, adeoque efficit actum illum involuntarium quantum ad malitiam; quod, mea quidem sententia, ad rationem peccari tollendam sufficere mihi videbatur.

M. In magno certe errore versabar, dum tibi perperam suadebas, ignorantiam, quæ est voluntaria, & vincibilis, excusat a peccato. Hæc quippe sententia, statim ac ex fetidis laxiorum Casuistarum Paludibus erupit, multis Censuris a clarissimis Academiis inusta ac profligata est. Academia Parisiensis, omnium celeberrima, die 1. Augosti anni 1641. hunc errorem isto Censorio stigmata perstrinxit: *Hæc propositio falsa est, viamque aperit ad excusandas excusationes in peccatis.* Facultas Lovaniensis eundem errorem his verbis proscriptis: *Est contra communia Christiana Religionis principia, & innunera, etiam immannissima peccata, excusat cum perniciose animarum.* Hanc Censuram in prædictam erroneam opinionem tulit Facultas Lovaniensis die 4. Maii anni 1657. Mitto, brevitas ergo, iudicia eximiorum Parochorum Parisiensium, & Rothomagensium, qui hanc in primis erroneam opinionem in Prae loquio, Excerptis suis præfixo, insectantur. Nec mirari debes, quod tot Censuris protritus fuerit male natus ille error, cum e diametro sit oppositus Scriptura Sacra. At enim, quis dicere audeat, persecutores Apostolorum immunes fuisse a peccato? & tamen Scriptura Sacra afferit, persecutores Apostolorum habuisse ignorantiam, utique vincibilem & voluntariam malitia actus sui

*etiam existimasse, dum persequebantur Apostolos, se obsequium præstare Deo, juxta illud Christi Domini, Discipulos suos alloquenter, Vaticinium: Venit hora, inquit, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur se obsequium præstare Deo, & hoc facient vobis, quia non reverunt Patrem, neque me.* Quis etiam dicere audeat, Apostolum

*Paulum*, dum persequebatur Ecclesiam Christi, non peccasse, cum ipse se peccasse ultra fateatur Epist. 1. ad Timoth. c. 1. dicens: *Prius fui blasphemus, & perfector, & consumeliosus?* & tamen ipse, persequendo Ecclesiam Christi, ignorabat malitiam actus sui, immo (ut ipse ait, in Epist. ad Galatas c. 1.) se hoc in facinore laude dignum existimabat: *Supra modum persequebar Ecclesiam Dei, & expugnabam illam, & proficiebam in Judaismo supra multos coetaneos meos in genere meo, abundantius emulator existens paternarum mearum traditionum.* Quis tandem dicere audeat, eos, qui crucifixerunt Christum Dominum, non peccasse? & nihilominus constat, illos ignorasse malitiam sui actus, immo potius autemabant, se, in Crucem agendo Christum Dominum, adimplere iustitiam. Si enim illum cognovissent, ut inquit Apostolus, *nunquam Dominum gloriae crucifixissent*. Hinc Christus Dominus, orans in Cruce pro crucifixoribus suis, ait, *Pater dimite illis, non enim sciant quid faciunt.* Ex his exemplis, e Sacris Litteris petitis, manifesto colligitur, ignorantiam voluntariam, & vincibilem non excusare a peccato: *Nunquid non ex his satis appetet, in quantis jaceat ignorantiae tenebris, qui ignoras peccari posse interdum per ignorantiam?* verba sunt Sancti Bernardi in Epistola ad Hugonem de Sancto Victore. Hinc primo inferre debes, solam ignorantiam involuntariam, & invincibilem, quæ videlicet nullo labore, studio, ac vigilancia vinci, ac superari potest, excusare a peccato; ignorantiam vero voluntariam, ac vincibilem, quæ nimurum adhibita diligentia, vel semotis passionibus, superari tollique potest, culpabile esse, & neminem reddere a peccato immunem. Secundo, inferas velim, eum qui sequitur opinionem minus probabilem, quæ cupiditatii favet, in concursu probabilioris, quæ flat pro Legi, non posse prætexere ignorantiam invincibilem, ac subinde peccare quando sequitur opinionem minus probabilem, relicta probabiliori. Quocirca, execrari debes vanum istud probabilitatis commentum, a nupermissim laxis Casuistis ad perniciem animarum temere inventum, ex quo tanquam e virulento fonte, innumeri scaturierunt errores, vaticanis protriti fulminibus, & egregiis Episcoporum, præsertim Gallicanæ Ecclesiæ, Censuris jure optimo natalitiis tenebris damnati. (a) Tertio, inferre debes, necessarium non esse ad peccandum, ut quis actu attendat ad malitiam sui operis, vel actu eam cognoscat: alioqui deplorati & consummatæ malitiae homines excusarentur a peccato, quia, dum peccant, non attendunt ad malitiam sui operis, nec actu eam cognoscunt, nec amplius persentient stimulos conscientia, quæ ex in veterata peccandi confutetidine in malo obdurate, tandem circa illicitum intrepida evadit. Fuerunt, fateor, nonnulli laxi Casuistæ, qui ejusmodi flagitiosissimos homines, qui ad malitiam actionum suarum non amplius attendunt, a peccato excusarunt, vel saltē voluerunt, ejusmodi homines non committere peccatum Theologicum (quod est Legi Divinae contrarium, ac subinde dissolvit amicitiam Dei cum homine, & est æterna pena dignum) sed committere dumtaxat peccatum Phi-

losophicum, quod (sicut effutiebant isti Casuistæ) in his, qui Deum ignorant, vel actu de Deo non cogitant, non dissolvit amicitiam Dei, nec est æterna pena dignum. Sed hoc portentosum peccati Philosophici dogma ab *Alexandro VIII.* Pontifice Maximo die 24. mensis Augusti anni 1690. fuit censura percutsum, & a Clero Gallicano in Comitiis Generalibus indictis anno 1700. proscripta est haec propositio, his verbis concepta: *Si peccatoe consummatæ malitiae, cum blasphemant, & flagitiis se immergunt, non habent conscientiae stimulos, nec mali, quod agunt, notitiam, propugno eos hinc actionibus non peccare.* Postremo inferre debes, Legem naturæ invincibiliter ignorari non posse, sed naturaliter nobis insitam esse. Hanc veritatem aperte docet Apostolus *Paulus* in Epist. ad Romanos cap. 1. his verbis: *Gentes, quæ Legem non habent, naturaliter ea, quæ Legis sunt, faciunt, ejusmodi Legem non habentes, ipsi sibi sunt Lex, qui ostendunt opus Legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum.* Non quod velit Apostolus, *Gentes* ea, quæ Legis sunt, citra gratiam Dei, & solis naturæ viribus facere, sicut falso docebant Pelagiani, sed quod Lex naturalis ostendat Gentibus quid sit agendum, & id, ipso præiente lumine rationis, cognoscant, ac ipsa Legis naturæ præcepta in tabulis cordis carnalibus habeant inscripta, atque animis, & sensibus penitus infixa. Quæ veritas ipsos etiam Ethnicos non latuit, quos inter Cicero in Oratione pro Milone de Lege naturali differens, ait: *Est enim hac non scripta, sed nata Lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, verum, ex natura ipsa arripiimus, hauimus, expressimus; ad quam non docti, sed facti; non instituti, sed imbuti sumus.* Obiter tamen advertere debes, Legis naturæ distinguenda esse duplicitis generis præcepta. Alia sunt universalissima, quæ per se ipsa sunt perspicua, & omnibus exploratisima. Alia sunt minus principalia, & veluti secundaria præcepta, quæ non ita sunt manifesta, quia se habent instar conclusionum, & confectionariorum, quæ a principiis universalissimis Legis naturæ remota sunt, & ex illis deducuntur. Circa universalissima Legis naturæ præcepta nullus causari potest ignorantiam involuntariam, & invincibilem. At, secundaria Præcepta, quæ sunt Legis naturæ remotissima confectionaria, posse a quibusdam insuperabiliter, & invincibiliter ignorari, docent bene multi Theologi, quamvis non desint alii Catholici Doctores, qui censem, ignorantiam illam, quam quidam habent circa haec præcepta secundaria Legis naturæ, non esse ignorantiam involuntariam, & invincibilem, sed propria voluntate contractam, videlicet ex vitiis, pravis affectibus, concupiscentia, & cupiditate profectam, sicut innuere videtur S. Thomas I. 2. qu. 94. art. 6. ubi haec habet: *Ad Legem naturalem pertinent primo quidem quedam præcepta communissima, quæ sunt omnibus nota: Secundario autem quedam præcepta magis propria, quæ sunt quasi conclusiones, propinquæ principiis.* Quantum ergo ad illa principia communia, lex naturalis nullo modo potest a corribus

*Sibus hominum deleri in universali: deletur tamen in particulari operabili, secundum quod ratio impeditur applicare commune principium ad particulare operabile propter concupiscentiam, vel aliquam aliam passionem, ut supra dictum ( videlicet i. 2. qu. 77. art. 2.) Quantum vero ad alia praecpta secundaria, potest Lex naturalis deleri de cordibus hominum, vel propter malas persuasions ( eo modo, qui etiam in speculatoriis errores contingunt circa conclusiones necessarias) vel etiam propter pravas consuetudines, & habitus corruptos, sicut apud quosdam non reputabantur latrocinia peccata, vel etiam contra naturam, ut etiam Apostolus dicit ad Romanos cap. 1. Huic tutissimae S. Thomae doctrinae firmiter inhærente debes, quam idem Angelicus Doctor q. 7. de potentia art. 7. ad 3. exprimit his verbis: *Dicendum*, inquit, *quod ignorantia, qua est omnino involuntaria, non est peccatum, & hoc est, quod Augustinus dicit: non tibi deputatum ad culpam, quod invitus ignoras: propter autem hoc addit: Sed si scire neglexeris: dans intelligere, quod ignorantia habet, quod sit peccatum ex negligentiā precedente.* Quæ verba S. Thomæ abunde sufficiunt ad explodium errorem Jan senii, afferentis, dari ignorantiam involuntariam, invincibilem, & insuperabilem Legis naturæ, ex peccato primi Parentis ortam, qua tamen non excusat a peccato. Quem errorem Sacris Litteris, & SS. Patrum Doctrinæ & regione oppositum, jure merito detestantur omnes fideles, eumque Alexander VIII. damnavit in hac propositione expressum: *Tamen si detur ignorantia invincibilis juris naturalis, hæc in statu naturæ lapsæ, operantem ex ipsa non excusat a peccato formalī.**

(a) In probabilistas totum se P. Gravesonius, invehit, hunc esse docens fontem, ex quo plura malorum colluvies mundum inundaverit, ex eo laxatae in vitium habent, ex illo licentia, additi in malum stimuli. Nec ego quidem diffiteor abusum probabilismi funestum esse Ecclesiæ, moribus intensum. At non ideo censor ulla notandam esse arbitror doctrinam, quam multi gravissimi Theologi agnoscent, & defendunt. Profecto si abusi illa sunt nonnulli Theologi ad invehendas laxas noxiæque opiniones suas in gravem morum perniciem, eorum vitio id imputandum centeo, non vero dogmati, quod recte saneque expotitum, innoxium Theologi illi recognoscunt, & admittunt. Non dissimili etiama incommodo doctrina probabilioristarum subjetat, quam tamen assertores ejus Theologi mire prædicant, & ad Cælum usque elevant. Doctrinas quasdam probabilistarum Pontifices Romani damnarunt; æque tamen & probabilioristarum quedam confixerunt, ut est secunda, & tertia ab Alex. VIII. damnata. O quam optarem, ut sententiæ utriusque Catholici assertores intra Christianæ caritatis limites se se continerent, nec alii alteros diris injuriisque se proscinderent, religiose obsequentes lato ab Innocentio XI. præcepto, espresso in decreto S. Inquisitionis Romana, quo propositiones sexaginta quinque, eo jubente Pontifice, anno 1679. die 2. Martii confixa sunt: *Tandem ut ab injuriosis contentionibus Doctores, seu Scholastici aut alii*

*quicunque imposterum se abstineant; & ut paci & caritati consulatur, idem SS. in virtute S. Obedientia eis præcipit, ut tam in libris imprimitur mendis, ac manuscriptis, quam in thesibus, disputationibus, ac prædicationibus caveant ab omni censura, & nota, neconon a quibuscumque cœliis contra eas propositiones, que adhuc inter Catholicos hinc inde controvertuntur, donec a S. Sede recognoscantur.* D. Potestne intellectus humanus ( non obstante illa ignorantia, quam per peccatum primi parentis contraxit ) cognoscere absque auxilio gratia verum speculativum ordinis naturalis?

M. Potest intellectus humanus sine auxilio gratiae aliquas veritates ordinis naturalis cognoscere, ut ajunt, *divisive*; quia Gentiles sine gratia, quæ per Christum datur, multas veritates cum metaphysicas, tum physicas, tum morales cognoverunt, sicut ex eorum libris liquido patet. Non potest tamen intellectus humanus in statu naturæ lapsæ omnes veritates *collective* sumptas absque auxilio gratiae cognoscere, quia ad hoc tolli debent varia impedimenta, seu mentis præoccupationes, pravi habitus, mala educatio, & alia id genus, quæ a sequenda notitia veritatum ordinis naturalis officiunt, quaque homo per se ipsum, moraliter loquendo, superare haud potest, cum ejus intellectus vires per peccatum primi parentis fuerint debilitata. Ceterum, homo in statu naturæ lapsæ non potest naturalibus suis viribus, & absque auxilio gratiae cognoscere verum ordinis supernaturalis, nec elicere actum fidei prout oportet: hoc est, qui ad æternam salutem referatur, & ad justificationem disponat, nec habere etiam imperfictum Fidei desiderium, nec assentiri iis, quæ fides docet.

D. Habetne homo post peccatum Adami æquales vires ad bonum morale operandum, seclusis divinae gratiae auxiliis, quas habuisset in statu naturæ puræ, si a Deo fuisset in eo creatus?

M. Homo post peccatum Adami debiliores habet vires ad bene operandum moraliter, seclusis divinae gratiae auxiliis, quam habuisset in statu naturæ puræ, si in illo fuisset a Deo conditus. Primo, quia homo in statu naturæ puræ ( si in eo conditus esset ) vulneratus non fuisset, homo autem in statu naturæ lapsæ vulneratus est, &, sicut Concilium Tridentinum Ses. 5. de peccato originali decernit, per prævaricationis Adami offendit, tam secundum corpus, quam secundum animam, in deterius commutatus est. Secundo, homo in statu naturæ puræ, si in eo conditus fuisset, Deum, ut auctorem nature, diligere potuisse super omnia cum solo concursu generali, qui ei præsto fuisset; homo vero in statu naturæ lapsæ non potest propriis viribus & solo Dei concursu generali actum dilectionis Dei super omnia elicere; tum quia est aversus a Deo ut ultimo fine tam supernaturali, quam naturali; tum quia, ut inquit Sanctus Augustinus, *liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus.* Minores igitur vires habet homo in statu naturæ lapsæ, quam habuisset in statu naturæ puræ, si in eo fuisset creatus.

D. Ex-

D. Expone mihi , si placet , uberior , quid sibi velit S. *Augustinus* , dum ait , nos granditate peccati Adami liberum arbitrium perdidisse ? Numquid vult S. *Augustinus* , ex peccato Adami inventam esse necessitatem peccandi , adeo ut homo in statu naturæ lapsæ , divina gratia destitutus , necessario peccare debeat ?

M. In hunc errorem certissime S. *Augustinus* nunquam lapsus est . Vult quidem S. *Augustinus* , nos in statu naturæ lapsæ constitutos , per Adami peccatum amississe liberum arbitrium , quantum ad perfectionem status naturæ innocentis , sed non quantum ad substantiam , seu essentiam liberi arbitrii . Quod ut clarius intelligas , sedulo advertere debes , duo in libero arbitrio spectari posse ; primo ipsius substantiam , seu essentiam , qua liberum arbitrium est ingenita facultas , qua voluntas hominis pro libito potest alterutrum e duobus sibi propositis mediis eligere ; & secundo liberi arbitrii perfectionem , qua Adamus gaudebat in statu naturæ innocentis , dum nulla ipso ad recte agendum inerat difficultas , nullus concupiscentia dominatus , nulla peccati servitus , nullum vulnus , sed plenæ & integræ vires ad bonum peragendum , omniaque dona ac præsidia præsto aderant . Liberum itaque arbitrium , juxta hanc perfectionem , soli statui innocentiae debitam , per peccatum Adami perdidimus , ut ait S. *Augustinus* , sed non amissimus liberum arbitrium , secundum substantiam , & rationem sibi essentiale , quæ sita est in potentia ad utrumlibet . Hanc esse germanam S. *Augustini* mentem aperte colligitur ex lib. 1. ad *Bonifacium* cap. 2. ubi haec habet : *Quis dicat , quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de genere humano ? Libertas quidem periret pro peccato , sed illa , que in *Paradiso* fuit .* Et lib. 14. de *Civit. Dei* cap. II. *Arbitrium igitur voluntatis , inquit , tunc est vere liberum , cum vitiis peccatisque non servit . Tale donum est a Deo , quod amissum cum proprio vitio , nisi a quo dari potuit , reddi non potest .* Quibus ex verbis S. *Augustini* colligitur primo , nos per peccatum Adami amississe quidem liberum arbitrium , quantum ad perfectionem , quæ soli statui innocentiae comperebat , sed illud non amississe quo ad substantiam , seu essentiale ejus rationem . Colligitur secundo , nos , per peccatum Adami , perdidisse , juxta S. *Augustinum* , libertatem a peccato , sed non libertatem a necessitate . Farentur siquidem omnes orthodoxi Theologi , hominem in statu naturæ lapsæ gratia divina destitutum , non esse liberum a peccato , eisque voluntatem in tantum esse a peccato liberam , in quantum per gratiam medicinalem Christi , Salvatoris nostri , est liberata & sanata . Sed iidem Theologi docent , hominem in statu naturæ lapsæ retinere absque gratia libertatem a necessitate , ita ut nulla ex peccato Adami inducta sit necessitas peccandi .

Non clam me est , Michaelem Bajum , Doctorem Lovaniensem , docuisse , adveclam esse ex peccato Adami necessitatem peccandi , adeo ut homo in statu naturæ lapsæ , divina gratia privatus , a peccato abstinere non possit . At , Summis Pontifices S. *Pius V.* & *Gregorius XIII.* , damnarunt

hunc Michaelis Baji errorem , ista propositione comprehensum : *Homo peccat etiam damnabiliter in eo quod vitare non potest .* Hunc confixum Michaelis Baji errorem denuo suscitavit Cornelius Jansenius , Episcopus Irenensis , qui in libris , quos editit D<sup>r</sup> *statu naturæ lapsæ* , s<sup>r</sup>ipius inculcat , ex peccato Adami inductam esse necessitatem peccandi , ac subinde hominem in statu naturæ lapsæ peccare etiam damnabiliter in eo , quod vitare non potest .

D. Mirum profecto mihi accidit , quod dicas , Cornelium Jansenium in eodem Bajani erroris luto hæsiisse , quandoquidem paucis abhinc diebus vir quidam , in operibus Jansenii versatissimus , duo loca mihi indicaverit , in quibus Jansenius profitetur , doctrinam suam non esse comprehensam in hac Michaelis Baji propositione a Summis Pontificibus damnata . Ipissima Jansenii verba descripti , eaque nunc cum bona venia tua legam , ut certo a te scire possum quid super hac re senferit Jansenius . *Necessitas peccandi* ( inquit Jansenius lib. 4. de statu naturæ lapsæ cap. 25.) a nobis tradita , solum est necessitas in genere , ex qua fit , ut non possint homines agere ante gratiam nisi male . Hoc autem non impedit , quominus in peccatis singularibus perpetrandis liberam & indifferentem ad faciendum vel abstinentiam habeant voluntatem . Quo autem sensu Jansenius hanc peccandi necessitatem in genere intelligat , aperte explicat cap. 19. ejusdem libri his verbis : *Hoc est necessitas , quam Augustinus peccato ( sc. Adami ) adveclam esse proficitur , quod liberum arbitrium ita rerum terrenarum cupiditate captivum sit , antequam fide creatoris , charitateque liberetur ut quoquo versum se se verterit , in genere necesse sit illud male agere ; sic tamen , ut in singulari nullum peccatum ita necessario perpetret , quin ab eo possit abstine ; sed ab illo abstinentia in aliud incidat , quod similiiter aliud faciendo cavere potuisset .* Hoc necessitas peccandi in genere dumtaxat , non singularia peccata respicit , nec illam libere voluntatis indifferentiam tollit , quam Scholastici recentiores postulant &c. Quibus verbis innuit Jansenius , se homini in statu naturæ lapsæ non admire libere voluntatis ad peccandum indifferentiam , quam recentiores Scholastici postulant . Unde sequitur , Jansenii doctrinam non esse comprehensam in hac Michaelis Baji propositione a Summis Pontificibus damnata : *Homo peccat etiam damnabiliter in eo quod vitare non potest .* Retuli haec tenus verba Jansenii . Nunc ostendas , si placet , an Jansenius in hac confixa propositione cum Michaelis Bajo consentiat , vel aliam ab eo viam inierit ?

M. Ex mutua collatione principiorum Baji & Jansenii in probanda peccandi necessitate investigata ex primigenia Adami labore facilis negotio evinci potest , Cornelium Jansenium in hac damnata propositione consentire cum Bajo , ipsumque Bajum non aliam in statu naturæ lapsæ agnoscisse peccandi necessitatem , præter illam peccandi in genere necessitatem , quam magno animi æstu propugnat Jansenius libris 3. & 4. de statu naturæ lapsæ . Et primo quidem Jansenius ideo propugnat , liberum arbitrium , antequam per gratiam liberetur , peccare in genere , seu semper peccare , quidquid agat , quia cum homo , ante susceptam gratiam , sit servus peccati ,

cati, necesse est, ut quidquid agit peccatum sit. Quam rationem suse prosequitur lib. 3. de statu naturae lapsæ cap. 3. & 4. Atqui eodem fundamento necessitatim peccandi superstruit Michael Bajus. Hanc etenim propositionem ex ejus Scriptis excerptam damnarunt prælaudati Summi Pontifices: *Omne, quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est.* Secundo, peccandi in genere necessitatem probat Jansenius lib. 3. de statu naturae lapsæ cap. 9. 10. 11. & 12. quia liberum arbitrium, antequam per gratiam sanetur, non valet ad ullum peccatum vitandum: Sed idem fundamentum, tanquam immobilem doctrinæ suæ de peccandi necessitate basim, adstruit Michael Bajus. Hinc & ista ex ejus Scriptis deprompta propositio damnata est: *Pelagianus est error, dicere, quod liberum arbitrium valet ad ultimum peccatum vitandum.* Tertio, hanc peccandi in genere necessitatem probat Jansenius eodem in libro 3. de statu naturae lapsæ cap. 15. 16. & 17. quia nullum opus bonum fieri potest absque gratia & charitate. At, id ipsum est Michaelis Baji doctrinæ fundamentum. Qua. de causa hanc inter alias ejusdem Baji propositiones damnavit Ecclesia: *Non est vera legis obedientia, qua sit sine charitate.* Quarto, Jansenius cap. 18. ejusdem lib. 3. de statu naturae lapsæ, errorem suum de peccandi necessitate ex eo confirmat, quod homo, ante gratiam & charitatem, in quocumque actu suo servit dominanti cupiditati. Sed haec est potissima Michaelis Baji propositio, a Summis Pontificibus damnata, quaæ his verbis exprimitur: *Homo in omnibus suis actibus servit dominanti cupiditati.* Quinto, Jansenius, cap. 19. ejusdem libri ideo probat, invectam esse ex peccato Adami peccandi necessitatem, quia cum omnis amor creaturæ in statu naturæ lapsæ sit vel laudabilis charitas, vel culpabilis cupiditas, nullumque inter utramque admittatur medium, necesse est, ut quidquid agit homo, antequam sanetur a gratia sit in genere peccatum. Sed hac eadem ratione ad probandam suam de necessitate peccandi doctrinam nititur Michael Bajus, cuius subinde proscripta est ista propositio: *Omnis amor creature rationalis aut virtuosa est cupiditas, qua mundus diligitur, & quæ a Joanne prohibetur; aut est laudabilis illa charitas, quæ per Spiritum Sanctum in corde diffusa Deus amat.* Sexto, necessitatem in statu naturæ lapsæ in genere peccandi cap. 11. ejusdem libri adstruere nititur Jansenius, quia nulla, quamvis levis, tentatio superari hand potest absque charitate, quam subinde cum homo non habeat ante gratiam, semper tentatione vinceretur, & in genere peccat. Sed hoc Jansenii fundamentum continetur in hac Michaelis Baji damnata propositio: *Li fures sunt & latrones, qui docent, tentationi ulli sine gratia ipsius adjutorio resistere hominem posse, sic ut in eam non inducatur, aut ab ea non superetur.* Septimo, necessitatem peccandi in genere Jansenius cap. 22. & 23. ejusdem libri 3. de statu naturae lapsæ hinc præfertum probare contendit, quod homo in statu naturæ lapsæ, antequam per gratiam sanetur, non habeat de se nisi peccatum: Sed hoc ipsum est argumentum quo Michael Bajus doctrinæ suæ de necessitate peccandi procam pupillique constitutum, indeque

sub ipsius nomine damnata est haec propositio: *Liberum arbitrium sine gracie Dei adjutorio, non nisi ad peccatum valet.* Octavo, Jansenius perversum istud de necessitate peccandi in genere dogma probandum suscipit lib. 4. de statu naturae lapsæ a cap. 1. usque ad 18. hoc uno fretus principio, quo adferit, id omne, quod fit absque Fide, quæ per dilectionem operatur, peccatum esse. Atqui eodem principio munitus Michael Bajus docet peccandi necessitatem, & hac de causa inter alias sub ejus nomine propositiones damnatas, haec habetur: *Omnia opera infidelium sunt peccata, & virtutes Philosophorum sunt vitia.* Nono, hanc peccandi in genere necessitatem probat Jansenius cap. 19. ejusdem libri, quia sufficiens libertas arbitrii in peccando cohærente potest cum peccandi necessitate. Verum, eodem infesto principio in præsidium doctrinæ suæ de necessitate peccandi nititur Michael Bajus, dicitans, *id, quod voluntarie fit, etiamsi necessario fiat, libertatem fieri.* Postremo, Jansenius quatuor ejusdem libri capitibus subsequentibus hanc peccandi in genere necessitatem pro aris ac foci propugnat, quia, inquit, non requiritur ad peccandum libertas a necessitate. Quod virulentum dogma Michael etiam Bajus totis suis viribus propagat, unde & haec ejus propositio damnata est: *In libertatis modis, qui est a necessitate, sub libertatis nomine, non repperitur in scriptura, sed solum nomine libertatis a peccato.*

Ex illa mutua principiorum Michaelis Baji Cornelii Jansenii collatione in probanda necessitate peccandi in statu naturæ lapsæ, sat superque tibi constare debet, eadem esse utrinque, Michaelis Baji videlicet, & Cornelii Jansenii, fundamenta, quibus peccandi necessitatem in statu naturæ lapsæ ambo probare moluntur. Ex quo palam sequitur, utriusque doctrinam in diplomatis Summi Pontificum, quos superius laudavi, censuris suis jure ac merito iniustam. Nullam ergo necessitatem peccandi in statu naturæ lapsæ five absolutam & Physicam, five ex hypothesi peccati Adami, agnovit S. Augustinus. Quapropter, ad omnia testimonia Sancti illius Doctoris, quem obtorto collo Bajus & Jansenius in suum errorem trahere nituntur, hoc unum respondendum est, S. Augustinum his in locis loqui dumtaxat de sola peccandi necessitate morali, quæ fluit ex concupiscentia, a qua unusquisque tentatur abstractus & illectus, non vero de necessitate absoluta & physica. Mens S. Augustini facile eruitur ex cap. 18. libri 3. de libero arbitrio, ubi respondens querelæ quorundam insipientium hominum, qui aiebant, se, renitente carnis concupiscentiae necessitate, præcepta iustitia observare non posse, haec habet: *Quibus breviter respondetur, ut quiescant, & adversus Deum murmurare desistant; recte enim fortasse quererentur, si erroris & libidinis nullus hominum visus existaret, cum vero ubique sit presens, qui per creaturam sibi Domino servientem aversum vocet, doceat credentem, consoletur sperantem, diligenter exhortetur, conantem adjuvet, exaudiat deprecantem, non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras, sed quod negligis querere quod ignoras.* Ista tua propria peccata sunt.

D. Facile quidem capio , nullam ex peccato pri-  
mi parentis induciam esse peccandi necessitatem ,  
quia nullum potest esse peccatum , nisi sit volun-  
tarium & liberum . At , neandum intelligo , qui sie-  
ri possit , ut peccatum primi parentis , seu Adami ,  
omnibus hominibus , qui ex ejus stirpe oriuntur ,  
imputari queat , cum nulla ratione in homini-  
bus voluntarium sit istud Adami peccatum ; nec  
ab actu libero parvolorum , quibus imputantur ,  
& inheret , proficiscatur ? Quæ enim , amabo , in  
parvulis , vel tot sacerulis post prævaricationem A-  
dami natis , esse potest ad illud primi hominis pec-  
catum , unde manavit , voluntas , libertas atque  
consensio ? aut igitur dicendum est , Adami pec-  
catum parvulis non imputari , cum in illis vo-  
luntarium ac liberum non sit ; vel contra publicum  
generis humani sensum agnosceda est in par-  
vulis , ista tæbe originali infectis , voluntas , per  
quam libere fiant rei istius peccati Adami . Huic  
dissolvendo nodo solidum , si placet , adhibe cu-  
neum .

M. Huic , quam proponis , difficultati hoc pa-  
eto responderi debet , dicendo , unum quidem ho-  
minem , seu Adamum , propria , & personali vo-  
luntate peccasse , sed omnium posterorum nomine ,  
quorum ille parens , ac caput erat , prævaricatum  
esse , suo & omnium consensu , quorum voluntates  
sua illigatas , & in eam veluti transfusas ha-  
bebat , vi conventionis , & pacti , quo Deus vo-  
luntates omnium hominum voluntati primi Pa-  
rentis ea Legi adjunxit , ut ejus electio communis  
futura esset omnibus cum in servanda & transmit-  
tenda iustitia originali , tum in ea amittenda eo pec-  
cato , quod unus committeret suo , aliorumque no-  
mine , ac subinde illis imputaretur . Peccatum ita-  
que originale , si illius actum requiras , penes A-  
dam fuit , cum prævaricatus est in præceptum  
divinum suo , & filiorum nomine , quorum perfos-  
nam , & causam agebat . Si vero peccati origina-  
lis statum quæras , ad omnes posteros pertinet ex  
Adami progenie natos , & iustitia originali , quasi  
hæreditaria , jure merito in pœnam communis ino-  
bedientiæ spoliatos . Duo igitur ad hujusmodi peccati  
originalis labem contrahendam sunt omnino ne-  
cessaria : primo quidem tacita propria cuiusque vo-  
luntatis , cum ista capit , seu Adami , voluntate  
consensio , ut illi possit prævaricatio imputa-  
bi . Secundo , privatio , quæ ex illa tacita pro-  
pria cuiuscumque voluntate derivata est , iustitiæ  
originalis , qua Admus in statu innocentia do-  
natus est , quæque in omnes posteros fuisse trans-  
fusa , nisi Adamus , qui erat caput omnium ho-  
minum morale , & cum cuius voluntate singulorū  
hominum voluntates erant colligatae , pec-  
casset . Porro , istud originale peccatum ab Ada-  
mo ad omnes posteros transfundì , docet apertis-  
sime multis in locis Scriptura : *Ecce enim in ini-  
quitatibus conceperis sum , & in peccatis concepit  
mea mater mea* , Psalm . 50 . Et Apostolus Paulus  
in Epist . ad Roman . cap . 5 . ait : *Per unum ho-  
minem peccatum intravit in mundum , & per pec-  
catum mors , & ita in omnes homines mors per-  
transiit , in quo omnes peccaverunt* . Hæc est  
perpetua , sibique semper constans Ecclesia Ca-

tholicæ doctrina , quam omnes Sancti Patres ,  
cum Græci , tum Latini , contra Pelagianos , pec-  
catum originale negantes , invicte propagnarunt ,  
quorum testimonia cum hic inserere nimis lon-  
gum esset , illis referendis consulto supersecedebo , &  
unum dumtaxat proferam argumentum , quod tan-  
quam peremptorium proponit S. Augustinus , lib . 3 .  
Operis imperfecti contra Julianum , Pelagianum ,  
cap . 48 . ubi sic arguit : *Quomodo iustum ostendatis  
Deum , non inventis , si & in nascentibus nulla  
peccata invenit , & eos tamen corruptibili corpore ,  
& tot tantis insuper calamitatibus aggravat . Non  
enim numerari possunt mala , que patiuntur infan-  
tes , febrem , tussim , scabiem , dolores quorūcumque  
membrorum , ventris fluxum , lumbicos , & alia in-  
numerabilia ex ipsa carne , existentia , & ipsarum cu-  
rationum quam morborum plura tormenta , & extrin-  
secus ictus vulnerum , plagas verberum : incursus da-  
monum . Vos autem sapientes hæretici ( Pelagiani ) ne  
fateamini originale peccatum , parati etsi talibus  
floribus implere paradisum . Si enim hec ibi futura  
fuisse non dicitis , quero , cur sint in parvulis , nullum  
habentibus , ut contenditis , omnino peccatum ? Hoc  
S. Augustini argumentum petebat jugulum Pela-  
gianorum , qui afferebant , parvulos nasci sine pec-  
cato , eosque , licet innocentes , acerbis pœnis sub-  
iectos esse affirmabant , quod est a iustitia Dei pe-  
nitius alienum . Neque enim ( ut ait idem Sanctus Doctor ,  
Operis imperfecti contra Julianum cap . 39 . ) sub Deo iusto miser esse quisquam , nisi me-  
reatur , potest .*

D. Sed quo pacto , quæso , peccatum " i-  
stud Adami transfunditur ad omnes ejus posteros ?

M. Istud Adami peccatum , quod dicitur *Or-  
iginale* , transfunditur ad posteros per viam gene-  
rationis . Quo fit , ut illi , qui nati sunt ex Ad-  
amo , & ei , ut capiti , adhaerunt , in primo con-  
ceptionis momento peccatum originale contrahant ,  
& iustitiæ originalis privationem incurvant , nisi  
ad sit speciale Dei privilegium , quo aliquis ab  
hac communi labe originali incurrenda eximatur .  
Hinc evidenterissimum est , Angelos hujus peccati  
immunes esse , quia nec Adamo , ut capiti ad-  
haerunt , nec ab illo nati , nec iustitiæ ja-  
cturam aut privationem ullo instanti passi sunt .  
Hinc etiam apertius patet , Christum Dominum  
peccato originali non fuisse obnoxium , quia nec  
voluntate nec origine Adamo adhaerit , & in pri-  
mo instanti conceptionis suæ Sanctitatem innatam  
habuit juxta illud Angeli , *Mariam Virginem*  
alloquentis : *Quod ex te nasceris Sanctorum , vocabi-  
tur filius Dei* . Pia etiam & probabilis Theologo-  
rum opinio docet , B. *Mariam* Virginem ab  
originali labe ex singulari Deo privilegio fuisse im-  
munem .

D. Suntne aliae peccati originalis pœnae , præter  
eas , quas hæcenus enumerasti , videlicet ignoran-  
tiæ in intellectu , malitiam in voluntate , pro-  
pensionem ad malum in appetitu concupiscibili ,  
& difficultatem operandi bonum iu appetitu ira-  
scibili ?

M. Præter eas peccati originali pœnas , quas  
hæcenus percensui , aliae sunt graviores pœnae ,  
quibus subjacet omnis homo , cui per Baptis-  
mum

mum non est remissum peccatum originale : haec autem poena sunt privatio iustitiae originalis, & gratia sanctificantis, per quam privationem homo, peccati originalis reus, incurrit odium Dei, seu fit filius irae, & mancipatur captivitati Diaboli. Altera peccati originalis poena, est necessitas moriendi, nam, ut inquit Apostolus : *Per peccatum, seu Adami, mors* : sed terribilior peccati originalis poena est aeternus in inferis cruciatus, seu perennis damnatio. Denique, ex peccato originali, etiam in his, quibus per baptismum est condonatum, oritur maxima illa poena, seu continuum bellum, quod in hac vita omnes mortales gerente debent cum Diabolo, mundo, & passionibus, tanquam cum infensissimis hostibus, qui in eorum perniciem peregrines excubant, mille dolis, mille nocendi artibus in nos armati. Diabolus, primus pacis nostrae proditor, aperto marte saeviens non desinit mentes nostras ad mortiferas voluptates illectare. Mundus a dextera lavaque, a fronte, pariterque a tergo nos oppugnat, & ingentibus quidem, sed vanissimis promissis ad proditionem sollicitat. Intus etiam, & in ipsis animi penetralibus hostem ferimus plusquam familiarem, plusquam domesticum, seu concupiscentiam, qua ut nihil interius, ita potest esse periculosius. Hic est *vetus ille & terrenus Adam*, consuetudine plusquam civis, studio plusquam hostis, quem neque arcere vallo licet, neque castris exigere fas est. Vide, si placet, quot plagas nobis inflixerit peccatum originale, quam graves poenas nobis intulerit, quam multos hostes, tam vigilantes, tam armatos, tam perfidos, tam exercitatos & in nostram perniciem juratos atque devotos, excitavit.

D. Fuitne immediate post Adami peccatum a Deo institutum aliquod remedium, seu Sacramentum, quo homines in statu legis naturae consequerentur remissionem peccati originalis, vireque perciperent, quibus posset sepe e tot hostiis, qui hominibus post peccatum Adami dominantur, tyrannide eximere ac liberare?

M. Cum Deus velit omnes homines salvos fieri, nulli dubium esse debet, quin hominibus etiam in statu legis naturae immediate post peccatum Adami, aliquod indulserit remedium, cuius beneficio adipiscerentur remissionem peccati originalis, vireque acquirerent, quarum ope ingruentibus temptationibus resistere possent. Hoc autem remedium nihil aliud erat, quam externum aliquod signum, quod non erat a Deo determinatum, sed in arbitrio hominum, qui in lege naturae vivebant, positum, quique per illud signum externum protestabantur, se habere Fidem in venturum Mediatorem, seu Christum Dominum, & per eam Fidei protestationem non solum adulti in lege naturae amissam per peccatum gratiam recuperabant, sed etiam parvuli obtinebant remissionem peccati originalis, cum eo tamen discrimine, quod in parvulis in statu legis naturae non requireretur propria Fides, seu necessarium non erat, ut parvuli elicerent actum Fidei (cujus eliciendi actus erant omnino incapaci-

ces) sed parvulis sat superque sufficiebat ad habendum remissionem peccati originalis Fides parentum, quae per signum aliquod externum alieno ministerio eis applicata illos a contracta peccati originali labore purgabat ac liberabat. At, adulti in lege naturae non poterant tam a peccato originali, quam a peccatis actualibus mundari, nisi inspiratio divina gratia, per proprium & a se ipsis elicitem actum Fidei, quae per dilectionem operatur, crederent in venturum Mediatorem, quem Deus, statim ac peccavit Adamus, a se missum iri promisit ad liberandum genus humanaum. Hinc docent Theologi, Fidem in Christum mediatorem, seu in Messiam liberatorem fuisse omni aeo, idest, tam in lege naturae, quam in lege scripta, seu Mosaica, & in lege Evangelica necessariam ad salutem, ita ut tamen fides implicita in Christum Mediatorem sufficeret ad salutem in lege naturae, & in Legi scripta, seu Mosaica; sed in lege Evangelica requiratur Fides explicita in Christum mediatorem, qua firmiter credimus, eum non solum esse Messiam promissum a Deo, verum etiam illum Deum esse, natum, passum, mortuum esse pro nobis &c.

D. Habetur in Sacris Litteris aliqua mentio hujus remedii seu alicuius Sacramenti instituti a Deo ad delendum in hominibus, qui erant in lege naturae, peccatum originale?

M. Huic quæstioni S. Augustinus cap. 6. lib. 15. *De Civitate Dei* his verbis respondeat ; *utrum autem aliquod fuerit corporale atque visibile regenerationis signum ante diluvium, sicut Abraham circumcisio postea est imperata, Sacra Historia tacet.* Quibus verbis innuere vult S. Augustinus, signum illud externum, per quod homines ante diluvium protestabantur Fidem in Christum Mediatorem, & peccati originalis remissionem consequebantur. non legi in sacris litteris, quia istiusmodi signum externum non fuit determinatum a Deo, sed erat hominum, qui in lege naturae, ante institutam a Deo circumcisionem vixerunt, voluntati permisum, sicut luculentissime idem Sanctus Doctor lib. 3. contra Julianum, Pelagianum, docet his verbis : *Non ideo tamen credendum est, & ante datam circumcisionem famulos Dei, quandoquidem eis inerat mediatoris fides in carne venturi, nullo Sacramento ejus opitulatos fuisse parvulis suis, quamvis quid illud esset aliqua necessaria causa scriptura latere voluerit. Nam & sacrificia eorum legimus, quibus unique sanguis ille figurabatur, qui solus tollit peccata mundi. Apertius etiam legis iam tempore nascentibus parvulis, offerebantur sacrificia pro peccatis.* Responde, pro quibus peccatis? &c. Denique, idem inculcat S. Doctor. lib. 2. de Nuptiis & Concupis. cap. II. & 12. dicens: *Non quod ante circumcisionem justitia fidei nulla erat. Nam cum adhuc esset in praeputio ex fide justificatus est ipse Abraham, pater gentium, que ipsius fidem erant sectatur, sed superioribus temporibus omnino latuit Sacramentum justificationis ex fide.* Eadem tamen fides Mediatoris salvos justos faciebat antiquos, pusillos cum magnis.

D. Habueruntne homines in Lege naturae aliquem determinatum modum, quo Deum, tanquam

quam rerum omnium creatorem , colerent , & præfixa sacrificia , quibus supremum ipsius agnoscerent dominum?

M. Homines in Lege naturæ Deum coluerunt duplice cultu , quem distinguunt Theologi , interno nimurum , & externo , quamvis cultus externus non esset in Lege naturæ determinatus a Deo quantum ad modum , quem pro suo arbitrio adhibebant homines , qui in Lege naturæ vivebant . Certe , nullus , nisi Atheus , qui inficiatur Dei existentiam , negare audebit , homines , qui erant in Lege naturæ , detulisse Deo , tanquam supremo rerum omnium Domino , debitum cultura , in quo consistit Religio . Semel quippe demonstrata contra Atheos supremi Numinis existentia , ( quæ non solum quinque Doctoris Angelici demonstrationibus , sed & aliis tam Physis , quam Moralibus , & Metaphysicis rationibus invictè adstruitur ) demonstrata , inquam , semel contra Atheos Dei existentia , necessario sequitur , omnium hominum animis , ac sensibus semper insita fuisse a natura religionis semina , quibus confessim integerent , Deum , cui vitam , & cætera , quibus fruuntur , bona , accepta referre tenentur , religioso obsequio ab ipsis esse colendum . Id lìquido patet ex consensu omnium Nationum in hanc veritatem , quam ipsa natura docet , certam conpirantium . Nulla quippe gens tam barbaræ est , cui non insit aliquis Religionis cultus . Nomine autem Religionis nihil aliud intelligitur , quam impressum quoddam lumen , quo Deus agnoscitur , & colitur . Hinc omnis homo , dum ei affulgere incipit rationis aurora , aëlatum , sola præente luminis naturalis face , & absque ullo externo admiriculo , experitur , & percipit impressam suo animo æternæ cujusdam Legis auctoritatem , sibi , & omni homini dominantem , qua honesta sectari , turpia , injustaque fugere jubetur , dunque exter nam illa Legem , quam scit menti suæ dominari , transgreditur , naturaliter timet , anxius est , & perturbatur , quia pertimescit auctoritatem , & potestatem supremi Legislatoris , a quo vim Lex habet . Cum igitur a natura singuli homines , ubi pri mun rationis lumine illustrantur , agnoscant , auctoritatem cujusdam æterna Legis menti suæ dominari , necesse omnino est , ut natura duce , & rationis præfulgenti lumine perspectam habeant Dei existentia notitiam , seque ei cultum , ac reverentiam exhibere debere , suasque omnes fortunas a suprema ipsius voluntate pendere intelligent . Negari itaque haud potest , homines in Lege naturæ cognovisse , se a Deo , præpotenti rerum omnium conditor , fuisse procreatos , ac subinde ei cultum exhibuisse , ut summam ejus excellentiam venerarentur , eique , ob beneficia , quibus illos Deus quotidie afficiebat , perpetuas gratias agerent . Nec enim satis est , Deum , instigante interius conscientia , & exterius clamante natura , hujus universi opificem fateri , sed tota propensione voluntatis continna gratiarum actiones ipsi habenda sunt ; tum quod e nihilo , cum minime essemus , nos eduxerit ; tum quod nos conservare , & ea , quæ ad vitam nostram necessaria sunt , nobis affectum suppeditare non definit . Quocirca ,

Apostolus Paulus cap. i. Epist. ad Rom. iure optimo inexcusabiles pronuntiat eos , qui cum cognovissent Deum , non sicut Deum glorificaverunt , aut gratias egerunt ; sed evanuerunt in cogitationibus suis , & obscuratum est insipiens cor eorum .

D. In quo præcipue situs erat cultus interior , quem Deo reddebat homines , qui in Lege naturæ vixerunt ?

M. In duobus potissimum præceptis situs erat cultus ille interior , videlicet in amore Dei super omnia , & in dilectione proximi propter Deum . Et primo quidem Lex naturalis ita præscribit amorem Dei super omnia , ut nemo adeo stupidus sit , & obtusus , qui id ignoret , si tantisper ad id advertat animum . Nam mediocri mentis attentione agnoscere potest , & se , & alios , quos sibi similes videt , a Deo fuisse creatos (cum nulla dari possit invincibilis ignorantia existentia Dei ) ac subinde , se aliosque homines in cultu interno , quem Deo reddere debent , teneri illum tota mente , & super omnia diligere . Porro , amare Deum super omnia , est ipsum creatis omnibus anteferre , sive in ipsum , tanquam in summum bonum , tota voluntate inclinati , cæteraque creata bona diligere tantum in ordine ad Deum . Quo fit , ut si quis , vel se ipsum , propriamque vitam , vel proximum , puta parentes , fratres , amicos , vel res alias , ut divitias , honores hujus Mundi , lauant vitam , & alia id genus , vel majori quam Deum , vel etiam equali ac ipsum amore prosequeretur , non spectaret Deum , tanquam summum bonum , cuius gratia fuit conditus : sed in creatis bonis hæceret , si que ordinem amoris interverteret , ac contra Legem naturalem peccaret . Secundo , si Deum , ut par est , diligamus , proximum itidem nostrum , seu omnes homines , nobis similes , & ab eodem Auctore , seu Deo , productos pròpter ipsum diligemus , tanquam fratres complectemur , nec modo ullum ipsum damnum inferemus , sed potius omnibus pietatis , ac necessitudinis officiis ipsos nobis devincire conabimur . In his ergo duobus præceptis , sive in amore Dei super omnia , & in dilectione proximi in ordine ad Deum situs erat cultus interior , quem homines justi in Lege naturæ Deo reddiderunt , quos inter potissimum censemur Adamus , & Eva , Abel , Enos , Henoch , Noemus , Melchisedechus , Abramus , Iacobus , & Jacobus , aliisque , quos laudat Scriptura Sacra . Caini vero munera respuit Deus , quia non corde puro , & eo , quo debebat , cultu interiori , Cainus illa Deo offerebat . Hinc intelligere debes , charissime discipule , cultum externum , quem Deo exhibent homines , si cum cultu interno , hoc est , cum vera mentis pietate non sit conjunctus , nec Deo gratum , nec ad salutem prodesse posse , sicut ipsem Deum testatur per Prophetam suum Iosiam cap. i. ubi in Iudeos , qui Templi ritibus ipsum colebant , cum alioquin pollute viverent , hunc in modum invehitur : *Quo mihi multitudinem victimarum vestiarum? plenus sum. Holocausta arietum , & adipem pinguium & sanguinem vitulorum , & agnorum , & hircorum nolui . Cum veniretis ante confpectum meum , quis que-*

parcavit hæc de manibus vestris, ut ambularetis in ariis meis? Ne offeratis sacrificium frustra. Neomeniam, & Sabbatum & Festivitatem alias non feram. Inqui sunt cœsus vestri. Calendas vestras, & solemnitates vestras edit anima mea, facta sunt mihi molesta.

D. Nondum plene capio, cur Deus eo *Isaie* citato cap. i. tantopere detestari videatur Sacrificia, & ceremonias Iudaorum, in quibus situs erat eorum cultus externus, cum tamen ipsem Deus in Lege, quam per Moysem, Iudaorum Legislatorum, promulgavit, omnia Sacrificia, & ceremonias cultus externi Iudaorum tam accurate prescribat, & observantibus promittat ingentia bona, & violentibus comminetur mortem?

M. Non detestatur Deus citato illo primo *Isaie* capite Sacrificia, & ceremonias, in quibus sustinebat externus cultus Iudaorum, hæc enim Sacrificia, & istas ceremonias prescriperat Deus in Lege data per Moysem, sed tantum queritur Deus per Prophetam *Yaham* quod Judæi, inter quos multi erant carnales, non observarent ea, quæ in Lege præceperat, neque enim hæc Sacrificia, & ceremonias illas externi cultus Iudaorum ita prescriperat Deus, ut in eis collocarent summam spem, aut justitiam fiduciam, sed ut partim essent signa, quibus admonerentur, partim administrativa, quibus proveherentur ad internum Dei cultum, seu ad amorem Dei super omnia, & ad dilectionem proximi propter Deum. Hunc cultum internum volebat Deus, ut Judæi conjungerent cum cultu externo, quem illis in Lege prescriperat, quicque in Sacrificiis, & ceremoniis positus erat. At, Judæi carnales in hoc cultu externo justitiam præpostere collocabant, & vera pietatis, interneque cultus expertes, apud homines magis, quam apud Deum pietatis opinionem captabant, indeque fiebat, ut cultus externus, quem absque charitatis officiis exhibebant, Deo, qui præcipue delectatur cultu interno, non probaretur, sed esset ipsi ingratus, ac molestus. Sed de hoc cultu tam externo, quam interno Iudaorum opportunius differemus, dum de Lege Mosaica Sermonem instituemus.

D. Eratne determinatus a Deo cultus ille exterior, quem homines in Lege naturæ exhibebant Deo, sicut postea fuit determinatus in Lege Mosaica, & in Lege Evangelica?

M. Quamvis homines, qui in statu Legis naturæ vixerunt, cultum aliquem externum Deo, omnium conditori, exhibuerint, & simul vita societate, ac religionis vinculo juncti per Sacrificia, & ceremonias externas, supremum Dei Dominium agnoverint, ejus opem imploraverint, pro acceptis beneficiis ei gratias egerint, & imbecilliuna virium suarum post peccatum Adami probe consci, infirmitatem confitentes, a Deo auxilium postulaverint, & deliberationem a miseriis, in quas primi Parentis peccatum illos precipitaverat: non legimus tamen in Scriptura Sacra, cultum illum externum, quem homines in statu Legis naturæ Deo reddebant, fuisse a Deo prescriptum, ac determinatum, sicut postea fuit determinatus in Lege Mosaica, & in Lege Evangelica. Quapropter, cum in Lege naturæ

nona esset determinatus cultus, qui Deo erat exhibendus, alii in Lege naturæ sicut *Abel*, victimas Deo immolabant, ut legitur cap. 4. Libri Genesios. Alii, sicut *Cain*, frater *Abelis*, fructus terræ Deo offerebant, ut eodem in capite Libri Genesios legitur. *Enos*, Patriarcha ante Diluvium, solemnibus institutis precibus, modum implorandi Dei opem homines edocuit. *Noemus*, post Diluvium Deo altare erexit, & holocausta obtulit. *Melchisedechus* panem, & vinum Deo obtulit in Sacrificium. *Abramus* obtulit in Sacrificium Deo arietem, quem suffecit loco filii sui *Isaaci*, quem, jubente Deo, paratus erat immolare. Patientissimus *Jobus* multa Sacrificia pro filiis, & amicis suis Deo obtulit. Ex quibus exemplis patet primo, cultum externum, quem homines in Lege naturæ Deo exhibebant, nulla Lege divina fuisse determinatum, nec quantum ad modum, nec quantum ad locum, nec quantum ad tempus, nec quantum ad alias ejusmodi circumstanrias. Secundo, errasse olim quoddam Ethnicos Græcos, qui asserabant, priores homines obtulisse Diis in Sacrificiis dumtaxat plantas, & fructus terra; Sed posteriores homines cœpisse offerre Diis Sacrificia cœdendo animalia, & effundendo eorum sanguinem, quæ Sacrificia dicebant illi Ethnici Graci, Diis fuisse omnino ingrata, utpote quæ sapiebant impietatem, injustitiam, & crudelitatem. Hunc Græcorum Ethnicorum errorem *Eusebius*, Episcopus Cæsariensis, c. 10. lib. 1. *De Demonstratione Evangelica* refellit his verbis quæ ad præsentem, quam versamus, questionem cum apposite dicta sint, hic exscribere haud pigebit: *De ipso cultu*, inquit ille Scriptor antiquus, quem veteres, & primi homines *Divine naturæ* exhiberent, non idem, quod Grecis visum est, & quod in *Sacris Hebreorum libris* inventur. Nam illi quidem ( seu Greci Ethnici ) putaverunt, primos homines nullum prorsus animalis genus, neque sacrificare, neque incendere solitos Diis, sed eos Soli, & reliquis Celi Sideribus, ut viride gramen, & quasi quasdam fœcundioris nature quisquiliis manibus sustulissent, herbam cum foliis, & radicibus igni comburere. Posteriores autem homines, procul a tam recto instituto aberrantes, fædasse aras animalium cœdibus. Porro, hoc esse impium, & injustum, & nusquam Deo acceptum Sacrificium. Nam brutorum animam nihil ab hominum rationali anima differe: *Quapropter*, cedis accusando esse eos, qui animalia sacrificarent, dicebant, non secus, ac si eadem, similiisque & in homine, & in bruto anima inesse. Et talis quidem de antiquis hominibus opinio Græcorum ( Ethnicon ) extat. *Quæ autem in scriptis Hebreorum legitur, non talis*, ( ideoq; opinio ) illico enim factos primos homines, ut primum in vita constituerint, animalium sacrificiis Deo exhibuisse honorem commemorat. Dicit itaque. Et factum est post multis dies, ut offerret Cain de fructibus terræ sacrificium Deo. Tum *Abel* ipse quoque de primogenitis ovium suarum: Et respexit Deus ad *Abel*, & munera ejus: *Ad Cain* vero, & ad *Sacrificium* ejus non intendit. *Ubi iam illud considerabis, quod Deo acceptior dictus sit*, qui animalia sacrificaverit, quam is, qui ab

agro sacrificium obtulerit. Etiam Noe protinus de cunctis peccatis mundis, & de cunctis volucribus mundis obculis perfecissimam munera super altare; odoratusque est Deus odorem suavitatis. Abraham quoque sacrificans describitur; ut, si Divine Scripturae testimonium sequimur, primum orationem sacrificium priscis Deo amicis viris excogitatum fuisse, nos dicere oporteat. Quam sane ex cogitationem temere extitisse, aut humano more exortam, putandum non est, sed divino potius nata insinuatam. Etecum, cum morum sanctitatem prestarent, Deoque penitus addicti essent, & ob eam rem, quasi divino spiritu illustrati viderent, magno sibi opus esse obsequio, si sua ipsorum humana delicia diluere vellent, pretium pro salute sua ei, qui vitam atque animam praebuisset, se debere putabant: sed, cum nihil praestantius, aut pretiosus anima sua haberent, quod dicerent, pro hac interim brutorum animalium vitam offerebant, ita sue ipsorum anima sacrificium illud comparantes: Neque se in hoc, aut delinqueret, aut iniuste facere arbitrabantur, quippe qui hominum rationalis, atque intelligentia predite anima nequitam similem brutorum animam esse didicissent; neque aliud quidquam, quam illorum sanguinem, vitalemque in eo vim esse eam, edocti esissent, hocque unum præbere se, quasi animam Deo pro anima offerentes. Hoc, longiusculum licet Eusebii, Episcopi Cæsariensis, testimonium hic exscribere necessarium duxi, ut inde intelligeres, homines in Lege naturæ non solum Deo fructus terræ obtulisse, sed etiam victimas ei littasse, & immolasse, animalia videlicet in sacrificium offerendo, & fundendo eorum sanguinem, sive in honorem Dei, totam consumendo, & incendendo hostiam per sacrificia, quæ ideo dicebantur *Holocausta*; sive ad imprecandam Dei opeim, per sacrificia, qua dicebantur *impetratoria*; sive ad expianda peccata sua per sacrificia, quæ erant *propitiatoria*; sive denique ad referandas Deo pro perceptis beneficiis gratiarum actiones per sacrificia, quæ vocabantur *Eucharistica*. His autem sacrificiis homines in Lege naturæ non tantum protestabantur exterius Fidem in Christum venturam, per quam Fidem consequerantur gratiam, & salutem, sed etiam adumbrabant sacrificium, quod Christus Dominus in Arca Crucis ad redimendum genus humanum erat oblaturus, suum pro peccatis nostris pretiosum sanguinem fundens.

D. Fuerintne in Lege naturæ a Deo præscripta aliqua præcepta, quibus homines ea in Lege viventes ad contrahenda inter se Matrimonia obstringerentur?

M. Quando Deus in Paradiſo terrestri Matrimonium instituit Adamum inter & Eam, sicut legitur cap. 2. Libri Genesis, quo ad legitimum contrahendum Matrimonium Præcepta condidit, quorum primum spectat nexus indissolubilem Matrimonii, ita ut vir non possit repudiare uxorem suam, & alteri mulieri nubere. Alterum præceptum in hoc situm erat, quod vir non posset simul cum pluribus mulieribus inire Matrimonium, per quod præceptum inhibitetur dumtaxat Polygamia simultanea, sed non polygamia successiva, quæ licita erat. Hæc duo observanda circa Matrimonium: divina

Præcepta continentur his verbis Scripturae Sacrae Genesis cap. 2. v. 24. *Quoniamobrem reliquæ homo patrem suum, & matrem, & adhærebit uxori sue, & erunt duo in carne una:* Quæ verba explicans Concilium Tridentinum initio Sessionis 24. hæc habet: *Matrimonii perpetuum, indissolubilemque neminem primus humani generis pares, divini spiritus instincta pronuntiavit, cum dixit: Quoniamobrem, relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit uxori sue, & erunt duo in carne una.* Hoc autem vinculo copulari, & conjungi Christus Dominus apertius docuit, cum postrema illa verba, tanquam a Deo prolatæ, referens, dixit: itaque non sunt duo, sed una caro: statimque ejusdem nexus firmatam, ab Adamo tanto ante pronuntiatam, his verbis confirmavit: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separabit.* His diuobus præceptis, videlicet de indissolubilitate Matrimonii, & de unicâ habenda uxore, quæ in Lege naturæ fuerunt observata, tertium præceptum addidit Deus, ne illi, qui ex familia Patriarchæ Seth oriundi erant, quoque Scriptura Sacra nuncupat filios Dei, Matrimonio commisercentur cum filiabus, quæ a familia Caini originem ducebant, quasque eadem Scriptura Sacra appellat filias hominum: *Videntes filii Dei filias hominum, quod essent pulchra, accepérunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant, dixitque Deus; non permanebit spiritus meus in homine in eternum, quia caro est, eruntque dies illius centum viginti annorum,* Genesis cap. 6. v. 3.

D. Impulsusne Deus alia hominibus, qui in Lege naturæ vixerunt, præcepta positiva, quæ simul cum Lege naturæ observare tenerentur?

M. Aliqui existimant, Deum in Lege naturæ prohibuisse hominibus ante Diluvium, ne carnibus animalium vescerentur, & eis tantum concessisse fructuum, & herbarum usum, juxta illud Dei cap. 1. Genesis præceptum, quod Adamo, & Eva dedit, dicens: *Ecce dedi vobis omnem herbam affarentem semen super terram, & universa ligna, ... ut sint vobis in escam.* Verum, ipse cum multis doctissimis Scripturae Sacrae interpretibus probabilius esse censeo, eum carnium in Lege naturæ, ante Diluvium, nec a Deo vetitum fuisse, nec tamen usratum, quia homines tum temporis ita in cibo, & potu erant frugales, ut solis herbis, ac fructibus vescerentur, a carnibus vero æquè ac viño absinerent, non quia Deus prohibuerat, sed ob quādam religionem, inde natam, quod earum eum Deus nedum diserte concessisset. A carnibus etiam homines ante Diluvium abstinebant, quia id temporis herbae, & fructus terræ sapidores erant, ac plus nutriebant, quam nunc nutrire solent. De illa antediluviana præcorum hominum a carnibus abstinentia ita persuasi fuere Ethnici, ut Ovid. lib. 15. Metamorph. Fab. 2. de aurea illa ætate hæc canat:

*At vetus illa ætas, cui fecimus, Aurea non men,  
Faetibus arboreis, & quas humus educat, herbis*

*Fortunata fuit, nec polluit ora crux.  
Tunc & aves tute movere per aera pennas,  
Et lepus impavidus mediis erravit in arvis.*

Nec

*Nec sua credulitas pīscem suspenderat hamo;  
Cuncta sine insidiis, nullaque timentia fraudem,  
Plenaque pacis erant . . . .*

Ab eis itaque carnium abstinuerunt homines antediluviani, non quod Deus illis carnium esum aliquo praecepto inhibueret, sed religionis, & frugalitatis ergo, a carnis edendis sibi temperabant. Ovibus autem, quas pascebant, ceterisque animalibus utebantur ad offerenda Deo sacrificia, ex ovibus etiam fumebant vellera, lac, & caseum, quibus vescebantur cum maxima frugalitate, quæ illorum longævæ virtus præcipua causa fuit. Quamvis enim aliae a Sacra Scriptura interpretibus longævæ hominum antediluvianorum virtus causæ notentur, videlicet bonitas primæva complexionis, seu temperamenti humani; fructuum terra virtus, quæ tunc major erat, frustusque succulentiores, quam nunc; & scientia Adami, & per Adamum aliis communicata, cuius beneficio, cum herbarum, tum terra fructuum vim longe melius noverant antiqui Patres illi primævi, quam hodie peritores Medici nostri: Quamvis, inquam, a Sacra Scriptura interpretibus haec causæ assignentur longævæ hominum antediluvianorum vita, nihil olecius præcipua causa, ob quam homines illi tam longævam duxere vitam, fuit ipsorum frugalitas. Abstinentia siquidem, seu frugalitas, multum sanitati confert, & longævitati, quippe quæ noxios consumit humores, & spiritus vitales purificat, & exacuit, foveatque insuper humidum radicale, seu calorem naturalem, quem sæpius intemperantia & ingluvies, seu nimia ciborum copia suffocat & opprimit, & tandem progressu temporis, simul cum vita minuit & extinguit. Plures enim occidit gula, quam gladius. Obiter hic observare debes, Deum hominibus, post diluvium, adhuc in lege naturæ viventibus, duo dedisse obseruanda præcepta positiva, quorum unum in hoc sūmum erat, ut non comedenter carnem cum sanguine, sicut legitur Genesis cap. 9. Alterum præceptum positivum dedit Deus de circumcisione, quam per abscissionem carnalis pelliculae in membro genitali factam præcepit Abrahamo, omnibusque ejus posteris obseruandam. Sed de utroque illo præcepto positivo, quod hominibus post diluvium in lege naturæ Deus imposuit, opportunius, auxiliante Deo, differemus in primo colloquio in Historiam secundæ mundi ætatis, quæ incipit a diluvio, & protenditur usque ad vocationem Patriarchæ Abramam.

D. Non possum meum inducere in animum, homines antediluvianos tot vixisse annos, quot ipso tribuit Moyses cap. 5. libri Genesis, ubi ait *Adamum vixisse 930. annis, Sethum 912. Eno sum 905. Cainanem 910. Jaredum 962. Mathusalem 969. Noeum 950.* Qui enim credibile est, quod homines, qui ante diluvium vixerunt, solis herbis, & arborum fructibus vescendo tam longævam potuerint ducere vitam? Libentius itaque, si licet, descendere in sententiam illorum, qui, ut nuperrime audivi, asserebant, annos istorum Pa-

triarcharum antediluvianorum, a Moysè numeratos, pares non fuisse annis nostris, qui complectuntur menses duodecim, sed annos fuisse ita breves, ut centum ex illis Patriarcharum annis non superarent decem annos ex nostris.

M. Absit ut descendas in hanc sententiam omnino contrariam Scripturæ Sacrae, quæ annos Patriarcharum antediluvianorum pares facit annis nostris. Si enim anni Patriarcharum antediluvianorum fuissent anni menstrui, hoc est, unius mensis, vel triginta sex dierum, quales olim Ægyptiis in usu fuisse constat, sequeretur, quosdam Patriarchs antediluvianos liberis procreandis operam dedisse anno sexto & septimo ætatis suæ. Enim vero, *Cainan*, cum esset annorum 70. genuit *Malaleem*; *Malaleel* vero cum attigisset annum ætatis suæ 65. genuit *Jaredum*, denique *Henoch*, cum implevisset annum itidem ætatis suæ 65. genuit *Mathusalem*. Si igitur *Moyses* annos Patriarcharum antediluvianorum menstruos intellexisset, sequeretur, *Henochum*, & *Malaleem* statim post annum ætatis suæ sextum, *Cainanem* vero anno ætatis suæ septimo pubertatis tempora ingressos, genuisse filios, quod certe tam ridiculum est, quam quod maxime. Addo etiam, *Historicos prophanos* ultro fateri, annos Patriarcharum antediluvianorum pares fuisse annis nostris, quos inter *Josephus*, *Hebreus*, lib. 1. Antiq. Judaic. cap. 4. numerat *Berosum* in Chaldaicis, *Manethonem*, in Ægyptiacis, *Hieronymum* in Phœnicis, *Hecatbeum* in Græcanicis &c. (a)

“ (a) Inter causas vite hominum antediluvianorum ad multa sacula protractæ cibi, potusque frugalitas hic accensetur. Huic vero ego non multum deferrem; cum enim a primæva frugalitate homines sensim recesserint, prout ad diluvii tempus magis magisque accedebant, ut P. Gravefonius in sequenti interrogatione recte adnotat, vite pariter suæ sensim diuturnitatem imminuiscent; quod secus accidisse ex Scriptura discimus, cum Noeum Patriarcharum antediluvianorum postremus, ceteris diutius, si unum excipias Mathusalem, vixerit. Fortasse quidem Noeum frugalitatem majorum suorum servasse diceretur; sed nullo Scripturæ testimonio docemur ceteros Noemo suppares homines, frugalitatis desertores, longe minus quam Noeum vixisse.

D. Si Patriarcharum antediluvianorum anni pares nostris annis fuerunt, quorsum, amabo, isti Patriarchæ tamdiu vitam cœlibem duxerunt? Legimus quippe in libro Genesis, Patriarcham *Sethum* genuisse *Enosum* anno vite suæ 105. *Enosum* vero, jam nonagenarium genuisse *Cainanem*; *Mathusalem* genuisse *Lamechum* anno ætatis suæ 187. & denique *Noeum* anno ætatis 500. genuisse filios *Senum*, *Chamum*, & *Japhetum*. Credibile autem non est, istos primæ ætatis Patriarchs tamdiu cœlibes vixisse, aut continentiam in matrimonio servasse, & ad seram usque ætatem distulisse liberis procreandis operam dare.

M. Id creditu difficile tibi videri minime de-

bet, tum quia, ut dicit S. Augustinus lib. 15. De Civitate Dei cap. 15. hi primæ ætatis Patriarchæ Pubertatis annos longe tradius attigerunt, quam nos modo attingere solemus, ex proportione longissima vita, quam ducebant: Tum quia etiam illa Patriarcharum primæ ætatis genealogia non fuit a Moysi per familiarium primogenitos contexta, sed per eos dumtaxat, per quos ab Adamo generationum series usque ad Noeum produceretur, & a Noem uique ad Abramum, ex cujus stirpe nasciturus erat Christus, verus Messias a Deo promissus. Cum igitur dicitur, Sethum, annos centum quinque natum, genuisse Henosum, Noeum vero, cum esset quingentorum annorum, genuisse Semum, non sequitur, illos Patriarchs non genuisse antehac, alios filios. Quod si queras cur Deus voluerit, ut primæ ætatis Patriarchæ tam diuturnam vitam ducerent? Respondebo, ejusmodi vita longevitatem fuisse horum Patriarcharum virtutis præmium a Deo concessum, eamque necessariam fuisse, non solum ut facilius propagetur genus humanum, sed etiam ut Patriarchæ Astrologiam, Geometriam, aliasque, quas adinvenerant, artes, longiori usu & experientia excolare ac perficere possent.

D. Deum primæ ætatis hominibus longævitatem vita tanquam ipsorum virtutis præmium, concessisse difficile adducor ut credam, maxime cum Scriptura Sacra diserte dicat quod omnis caro ante diluvium, corasperat viam suam, & cuncta cogitatio hominum ita esset intenta ad malum, ut pœnituerit Deum, quod creasset hominem. Explica igitur, si placet, quo in sensu intelligenda sit Scriptura Sacra, dum dicit cunctam cogitationem hominum ante diluvium ita fuisse intentam ad malum, ut, pœnituerit Deum, quod condidisset hominem.

M. Quando Scriptura Sacra ait, cunctam cogitationem hominum, qui vixerint ante diluvium, ita fuisse intentam ad malum, ut Deum pœnituerit, se fecisse hominem, loquitur solum Scriptura Sacra de his hominibus, qui post mille & quingentos annos a creatione mundi vixerint, & centum quinquaginta circiter annis diluvium precesserunt. Hi quippe homines, a majorum suorum frugalitate ac pietate degenerantes, se se turpissimis foedarunt vitiis, & impietatem ad sumnum perduxerunt, adeo ut tempore Noemi, viri justi, omnis caro viam suam corrupisse dicatur, nec aliter quam perpetuis quadraginta dierum imbris, totiusque terræ eluvione flagrans ubique hominum libido fuerit restincta. Dum vero ait Scriptura Sacra, Deum pœnituisse quod fecisset hominem, loquitur de Deo more humano. Qui enim perficit ac destruit id quod fecerat, eum facti pœnitere videntur. Quando igitur in Scriptura Sacra dicitur, quod Deus pœnitentia duxit sit, vel tactus dolore cordis intrinsecus, id accipendum est de effectu, id est, Deum exterum prodidisse effectum, penitare ac si eum revera pœnituisse, vel tactus dolore cordis fuisse, eo quod produxisset homines, quos per diluvium perdidit.

D. Quando nam contigit illud diluvium, & quamdiu duravit.

M. Anno ab orbe condito millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto, ætatis vero Noemi anno sexcentesimo, Noemus una cum uxore sua, & tribus liberis suis Semo, Chamo, atque Japheto, eorumque uxoribus, in Arcam, quæ longitudine trecenta, latitudine quinquaginta, altitudine triginta cubita habebat, imperante Domino, ingressus est, cumque transiissent septem dies, mense secundo, septuaginta mensis, rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ, & cataractæ Cæli apertæ sunt, & facta est pluvia per quadraginta dies, & quadraginta noctes, eoque assurrexit aquarum inundatio, ut cubitis quindecim supra montium vertices altissimos imminaret. Sed postquam per dies centum & quinquaginta semper excrevisset eluvies, tandem minui coepit est, tumque Arca quievit in monte Armeniæ, cooperuntque apparet montium cacumina. Quo factum est, ut Noemus ex Arca emiserit corvum, qui in eam amplius non rediit, sed vel incubuit cadaveribus, aut Arcæ infedit. Emisit etiam Noemus ex arca columbam, quæ non inveniens solum siccum, ubi pedem figere posset, reversa est in Arcam, sed denouo laxata columba virentem ramum oliva ore retulit, ex quo intellexit Noemus, cessasse omnino diluvium, nec ullas in humilioribus locis, in quibus olea nascuntur, superesse aquas.

D. Audivi nuperime extare quosdam montes ita excelsos, ut superent medianam aeris regionem, in qua imber, nubes, ac venti generantur, quales sunt montes Athos, Caucasus, &c. Qui fieri igitur potuit, ut aqua diluvii quindecim cubitis fuerit excelsis montibus altior.

M. Fabularum loco haberí debent quæcumque de illorum montium altitudine nonnulli communiisci solent, idque eo potissimum demonstratur argumento, quod prædicti montes non sint hominibus habitabiles, essent autem pro�us inhabitable, si medianam aeris, ut nonnulli fingunt, regionem superarent. Explosio itaque illis fabulis, staudum est narrationi Scripturae Sacrae, quæ, dum ait, aquas diluvii prævaluisse nimis super terram, hisque operatos esse excelsos montes, aperte innuit, diluvium non in aliquam dumtaxat particularem regionem grassatum fuisse, sicut fallo fibi aliqui perfuerunt, sed in totum quale patet orbem favisse, ita ut consumpta fuerit, teste eadem Scriptura Sacra, omnis caro, quæ movebatur super terram, volucrum, animalium, bestiarum omniumque reptilium, quæ rephant super terram, universi homines, & cuncta, in quibus est spiraculum vita, in terra mortuæ sint, ac salvi solum remanerent Noemus, & qui cum illo erant in Arca, ceteris vero omnibus ad unum hominibus omnino deletis, quia, ut inquit Scriptura Sacra cap. 6. libr. Genes. v. 12. omnis caro corruperat viam suam, & ibidem vers. 13. dixit Deus ad Noeum: finis universæ carnis venit coram me, repleta est terra iniquitate a facie eorum, & ego disperdam eos cum terra. Hinc est quod omne genus humanum, quod penitus in diluvio perditum fuit, a filiis Noem post diluvium

Iuvium esse reparatum disertis verbis testatur Scriptura Sacra cap. 9. Genesis v. 19. ubi haec habet: *Tres isti filii sunt Noe, & ab his disseminatum est omne genus hominum super universam terram.* Et cap. 10. ejusdem libri Geneseos Scriptura Sacra narrans filiorum Noemi generationes, sic loquitur: *ab his ( seu filiis Noemi post diluvium ) divisae sunt insulae gentium in regionibus suis, unusquisque secundum linguam suam, & familias in nationibus suis.* Quæ Scriptura Sacra verba manifesta probant, diluvium fuisse universale, ac subinde aquas, quibus absorpta est universa terra, quindecim cubitis excelsos omnes montes altitudine superasse. Addo etiam, diluvii universalis notitiam habuisse Historicos prophatos. Testatur enim *Josephus*, *Hebreus*, lib. 1. contra *Apionem* pag. 1044. *Berosum*, rerum Chaldaicarum peritissimum, *de facto diluvio, & hominum in eo corruptione, sicuti Moyses narrat, ita contigisse.* Alexander Polyhistor, apud Georgium Syncellum pag. 30. & apud *Eusebium* in Chronico Greco Scaligeriano pag. 8. narrat ex secundo libro Chaldaicorum jam citati *Berosi*, sub *Sisuthro*, quo *Noenum* nomine exprimit, *ingenus fuisse diluvium*, tuncque Deum Optimum Maximum, qui diem diluvii prædictit *Noemo*, quemque hic Scriptor gentilis ore prophano appellat *Saturnum*, per sonnum *Noemo* dixisse, *homines diluvio perituros.* Vetus etiam Scriptor idipsum prodidit non solum apud *Georgium Syncellum*, pag. 28. verum etiam apud *Eusebium* lib. 9. Preparationis Evangelicae cap. 12. & apud S. *Cyillum* lib. 1. contra *Julianum*, ait enim de *Sisuthro*, seu *Xisuthro*, sicut legit S. *Cyrillus*: *Huc autem Saturnus predixit fore inundationem imbrum.* Ex hoc *Abydeni*, & alio *Alexandri Polyhistoris* fragmento ita concludit S. *Cyrillus*: *Xisuthrum igitur appellant Noe, forte voce *Affyriorum*: quamquam in hoc iterum a vero aberrarunt, Saturnum ipsi oraculum reddidisse dicentes, pro summo omnium Deo.* Habemus igitur ex Chaldaicis antiquitatibus, fidem eis facientibus *Berojo*, *Abydeno*, *Alexandro Polyhistore*, *Eusebio*, *Cyrillo Alexandrino*, & *Georgio Syncello*, Noeticum contigisse diluvium. Sed ex antiquitatibus etiam *Egyptiacis* habemus, diluvium, quod accedit sub *Noemo*, fuisse universale. Haec quippe Antiquitates *Egyptiacæ*, nobis descriptæ a *Diodoro* lib. 1. Biblioth. meminerunt *absumptorum prope omnium in diluvio sub Osiride*, per quem *Egyptii Noemum* designabant. Idem legere est apud *Plutarchum*, in libro de *Iside*, & *Osiride* pag. 356. ubi ait, *Osridem Egyptiorum, seu Noemum nostrum, in Arcam, propter diluvium, fuisse ingressum.* Denique, in antiquitatibus Rhodiorum, quas *Diodorus* excusat lib. 5. Biblioth. factum sub *Cecropie* diluvium memoratur, quod fuit *Noeticum*, sicut & diluvium *Deucalionis*, cuius immensam vastitatem describens Poeta *Ovidius* lib. 1. *Metamorph.* Fab. 5. haec habet.

*Janque mare, & tellus nullum discriminem habebant.*  
*Omnia, pontus erant.*  
haec paulo prolixius differui, ut ostenderem, quam impie *Isaacus Peyerius*, auctor Systematis Praedamitarum, ausus sit universalitatem Noeticum Diluvii negare, &, Scriptura Sacra penitus valere jussit. *Vet. Test. Tom. I.*

sa, fabulosas defendere variarum orbis nationum antiquitates, quæ cum Sacra Chronologia aperte pugnant. Hic temerarius Scriptor erat hæresiarchæ *Calvini* sequax, sed postea coram *Alexandro VII. Pontifice Maximo*, anno 1657. suam ejuravit hærelum, & impium, quod procuderat, Praedamitarum systema damnavit. (a)

(a) Exspectabam, afferendæ universalis diluvii vix exundationi, a Cl. Authore afferri tritum illud de ostreis, aliisque marinis testaceis ac pisibus, quoram spolia lapidesfacta in arduis per orbem montibus nec rara nec infrequentia reperiuntur, quibus indicis marinas aquas eosque que olim pertigisse ad oculum demonstratur; quod nonnisi in universali diluvio contingere potuisse videri posset. Verum prudenter ab hoc urgendo argumento vir doctissimus sese abstinuit; ab ipso enim sui exordio usque nunc tot vices terræ facies sustinuit, tam saepe novi montes ex ipso mari emiserunt, quemadmodum nostra etiam ætate prope insulam Sanctorini in archipelago accidisse scimus, ut merito dubitari possit, num ostrea illa, & pisces marini a mari, montes illos olim occupante, tum sensim recessente, relicta sint: ut multis adductis argumentis, & conjecturis demonstrat vir Cl. Antonius Vallismieri in suo opere *Riflessioni intorno al Diluvio.*

D. Lubenti quidem animo auscultavi ea, quæ de Noetici Diluvii universalitate contra *Isaacum Peyerium* adduxisti momenta; sed ad istud tam infulsum confutandum systema, satis superque, mea sententia, sufficeret Mandatum, quo, sicut nuperime cap. 7. libri Genes legebam, præcepit Deus *Noemo*, ut omnis speciei animalia introduceret in Arcam. Quorsum enim, quæ, necessum fuisse illas animalium species tanta diligentia inducere in Arcam, easque ibidem servare, si diluvium dumtaxat particulare extitisset, & omnia ubique animalia non interissent? Nonne ex aliis terris, diluvio non obrutis, animalia in ea particularia loca, quæ devastaasset diluvium, facilis negotio adduci potuissent? Sed tempus est, ut meos repetam lares, cratina die summo mane ad te reversurus, ut ea, quæ de vita, & rebus, quæ a Patriarchis antediluvianis præclare gestæ sunt, dicturus es, necnon accuratam in eorum subducendis annis Chronologiam addiscere possim.

### COLLOQUIUM III.

*De Vita & Rebus, quæ a Patriarchis antediluvianis gestæ sunt, & de vera in eorum subducendis annis Chronologia.*

M. Cum Adamus sit primus Patriarcha antediluvianus, ex quo uno fecit Deus omnium genus horum inhabitare super universam faciem terre, sicut inquit Apostolus *Paulus Act. cap. 17.* necesse est, ut ab ipso Adamo, & a rebus, quæ ad ipsius vitam spectant, præsentis Colloquii exordium ducamus.

D. De Adami creatione, de ejus felicitate in statu

statu innocentia, de illius lapsu, & e Paradiso terrestri expulsiōne, arque de omnibus miseriis, & vulneribus, quæ sibi, totique generi humano inflixit, abunde in præcedentibus Colloquis disseruisti. Expone nunc, si placet, quid acciderit Adamo, postquam, una cum sua uxore *Eva* fuit e Paradise terrestri expulsus.

M. Postquam Adamus, justo Dei iudicio e Paradise terrestri fuisset a Deo expulsus, funesta, heu nimium! experientia intellexit, quam durum in omnes, qui ab ipso prognati sunt, imperium perduellis concupiscentia exerceret. Hujus rei exemplum inter primos, quos procreavit, filios luculentum apparuit. *Cainus* quippe, filius Adami primogenitus, qui erat agricola, invidia succensus, *Abelem*, fratrem suum, qui erat pastor ovium, quasi universus orbis utique continendo par non esset, interfecit.

D. Dic, quæso, quænam fuerit causa invidiae *Caini* erga fratrem suum *Abelem*, & qua pena Deus in hunc fraticidam animadverterit?

M. Causa, cur *Cainus* invidia in fratrem suum *Abelem* exarserit, profecta est e singulari favore, quo Deus *Abelem* dignatus est, ejusque Sacrificia prætulit Sacrificiis *Caini*. Sic enim Scriptura Sacra Genesis cap. 4 refert: *Factum est autem post multis dies ut offerret Cain de fructibus terra munera Domino. Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, & adipibus eorum, & respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius, ad Cain vero, & ad munera illius non respexit, iratusque est Cain vehementer, & concidit vultus eius.* Cognovit autem *Cain*, munera sua repudiari a Deo, & ex adverso munera fratris sui *Abelis* grata esse Deo, quia, ut inquit periti interpretes, ignis descendebat de Cœlo, & in cineres redigebat oblationes *Abelis*, non autem oblationes *Caini* (a). Quo factum est, ut *Cainus* hoc visibili signo admonitus, facile intellexerit, quod fratris sui munera Deus suscepisset, & sua repudiasset. Hæc fuit origo invidiae, quæ impulit *Cainum* ad occidendum fratrem suum *Abelem*, quem cælibem fuisse, ex silentio Scripturæ Sacrae, quæ nullam *Abelis* generationem narrat, colligunt multi Scripturæ Sacrae interpretes. Poenam autem, quam Deus fraticidæ *Caino* infixit, Scriptura Sacra ex primit his verbis: *Dixitque Deus ad eum (seu Cainum) quid fecisti? vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Nunc igitur maledictus eris super terram, quæ aperuit os tuum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua..... vagus, & profugus eris super terram.* Referunt Hebrei ex antiqua Rabbinorum traditione, quod *Cainus*, jam senio confectus, cum ex urbe *Enochia*, quam considerat, animi gratia fuisse egressus, & interdensissima sylvæ arbusta confedisset, contigit ut *Lamechus* venationi deditus eo tempore in sylva illa vagaretur, & admonitus ab uno e famulis suis, quem *Tubalcainum* esse volunt, sub foliis, & ramis seram latere, jaculum in eum locum distinxerit, & miserum *Cainum* occiderit. Verum, hanc, licet antiquam, Rabbinorum traditionem, ceu puram, putamque fabulam, peritores Scripturæ Sacrae interpretes explodunt, primo, quia

Scriptura Sacra nullibi memorat, *Cainum* fuisse a *Lamecho* occisum, sed potius innuit, *Cainum* non fuisse a *Lamecho* interficatum. Dicenti enim Caino: *Omnis igitur, qui invenerit me, occides me;* respondent Dominus: *Nequaquam ita fiet, sed omnis, qui occiderit Cain, sepulplex punietur,* posuitque Dominus Caino signum, ut non interficeret eum omnis, qui invenisset eum, Genesis cap. 3., frustratum porro Dei promissum, ac verbum videretur, siquumque illud non præstisset, ad quod possum a Deo fuerat, si *Cainus* a *Lamecho*, vel alio quopiam fuisse occisus. Dicere autem, quod casu, non sponte *Lamechus* occiderit *Cainus*, ariolari est, cum ea de re altissimum sit in Sacris Literis silentium. Hinc Theodoreetus, Interrogatione 44. in Genesim, hanc Hebraeorum traditionem, tanquam fabulam, reputat. Major autem fides hac in re Theodoreto adhiberi debet, quam cæteris aliis, quia Theodoreetus hanc Hebraeorum traditionem data opera, loco mox laudato, accurate discussit.

” (a) Quamquam non satis ex Scriptura constat, quo indicio ambo fratres intellexerint a Deo Sacrificium suum approbari, improbarique; probabile quidem esse arbitror, igne de Cœlo missio in Sacrificio *Abelis*, negato vero in Sacrificium *Caini*, illius approbationem, alterius reprobationem indicatam, quod & satis docent verba Theodotionis, qui Dei placitum in Sacrificium *Abelis* reddit *eternū pīas inflammavit Deus.*

D. Iste *Lamechus*, qui juxta Hebraeorum traditionem, occidit *Cainum*, est ne ille *Lamechus*, qui, ut legitur cap. 4. Genesis, ex genere *Caini* ortus, induxit polygamiam, duasque duxit uxores, quarum uni nomen erat *Ada*, & nomen alteri *Sella*, & sic primus fuit, qui violavit legem monogamia, quam Deus tulit cap. 2. vers. 24. libri Genesis his verbis: *Quonobrem, relinquet homo patrem suum, & matrem, & abberebit uxori sue, & erunt duo in carne una?*

M. Hic *Lamechus*, quem Hebrei occidorem *Caini* fuisse dictitant, ille ipsissimus est, qui duas duxit uxores, ac primus ante Diluvium violavit legem monogamia a Deo latam ab exordio mundi. Quo fit, ut ab omnibus jure optimo, cœn legis divine prævaricator, damnetur. At enim, postquam Deus *Evan* ex costa *Adami*, dormientis, formasset, illam adduxit ad Adamum, dixitque Adamus: *hoc nunc os de offibus meis, & caro de carne mea, & vocabitur *Virago*, quia de viro sumpta est &c.* Et cap. 1. Genesis: *Masculum & feminam creavit eos, benedixitque illis Deus, & ait: Crescite, & multiplicamini, & replete terram.* Quibus Scripturæ Sacrae contextibus liquido patet, Deum in exordio mundi non plures condidisse foeminas, sed unam tantum, adeoque matrimonium cum una durataxat uxore ex primaria Dei institutione profluxisse, & sic *Lamechum* contra primariam Matrimonii institutionem, a Deo factam, peccasse. Hinc est primo, quod pravum *Lamechi* exemplum, primævæ Legi Dei contrarium, sequuti haud fuerint Patriarchæ ante Diluvium. Nam nec *Noemus*, nec tres filii ejus, humano licet generi post Diluvium

viam propagando destinati, plures uxores habuerunt, sicut evidenter colligitur ex cap. 7. Libri Genesios, ubi haec leguntur: *Et ingressus est Noe, & filii ejus, & uxor ejus, & uxores filiorum ejus in Arcam propter aquas Diluvii.* Et Epistola S. Petri cap. 3. dicitur: *in diebus Noe, cum fabricaretur Arca, in qua pauci, idest, etio animæ salve factæ sunt per aquam.* Hinc secundo Christus Dominus Matrimonium ad primam institutionem revocans, Matthæi cap. 19. ait: *Non legitis, quia, qui fecit homines ab initio, masculum, & fæminam fecit eos, & divisit: propter hoc relinquet homo Patrem, & Matrem, & adhæredit Uxori, & erunt duo in carne una, itaque jam non sunt duo, sed caro una.* Hæc Christus Dominus; quibus verbis manifeste polygamiam simultaneam, seu pluralitatem uxorum, damnat, non est enim polygama duorum in una carne. Addo denique, omnes Santos Patres, cum Græcos, tum Latinos, *Lamechum* damnare, quod primus contra primariam Matrimonii Legem, a Deo datam, duas uxores duxerit.

D. Necdum, pace tua dixerim, intelligo, qua de causa fuerit *Lamechi*, ante Diluvium, damnata polygamia? Nam primo, Patriarchæ veteresque iusti post Diluvium plures uxores habuerunt, nec eorum tamen damnatur polygamia. Quorsum igitur *Lamechi* ante Diluvium damnatur Polygamia? Præterea, ideo excusat Patriarchum postdiluvianorum polygamia, quia post Diluvium erat multiplicandum genus humanum, a quis Diluvii pene extinctum, & quia etiam post Diluvium nulla Lex erat prohibens polygamiam. Porro, *exdem* concurrebant rationes tempore *Lamechi* ante Diluvium; tunc enim propagandum idem erat genus humanum, nullaque extabat Lex, quæ polygamiam prohibet. Quemadmodum igitur non damnatur in Patriarchis post Diluvium polygamia, ita nec ante Diluvium damnanda est in *Lamecho*. Videtur quippe mihi par utrobius ratio.

M. Longum certe latumqne discrimen in ratione polygamia extat Patriarchas postdiluvianos inter & Patriarchas antediluvianos. Nam primo, polygamia Patriarchis postdiluvianis ideo criminis verti non debet, quia, ut inquit S. Augustinus lib. 22. contra Faustum Manichæum, invalidit post Diluvium mos plures habendi uxores: *Quando mos erat*, inquit Aquilinus ille Doctor, *crimen non erat, & nunc propterea crimen est, quia mos non est.* Ast, in Patriarchis ante Diluvium mos non inoleverat plures ducendi uxores, sed *Lamechus* fuit primus, qui ante Diluvium primam Matrimonii institutionem, a Deo factam, violavit, duas ducens uxores, nullum hac in re habens prævium exemplum. Quapropter, ipse peccavit, sed non peccarunt Patriarchæ postdiluviani, quia post Diluvium obtinuit mos habendi plures uxores, immo, Deus cum Patriarchis postdiluvianis dispensavit, ut plures habere possent uxores, sicut operofius ostendemus in Colloquio tertio in Historiam secundæ Mundi atatis; hujus autem dispensationis concessæ a Deo post Diluvium non

alia causa fuit, nisi necessitas multiplicandi genus humanum, & brevitas vitæ Patriarcharum postdiluvianorum. Cum enim eorum vita brevior esset, quam vita Patriarcharum antediluvianorum, nimis lente multiplicatum fuisset genus humanum, si unam tantum quisque habuisset uxorem, & ideo Deus post diluvium polygamiam indulxit, qua ad propagandum genus humanum opus minime habebant Patriarchæ antediluviani, quia eorum vita longe diuturnior erat. Fatoe tamen, Legem, quæ Patriarchis antediluvianis simultaneam polygamiam prohibebat, non fuisse literis mandatam, sed eorum tantum mentibus impressam a Deo. Docuerat enim Deus Adamum Legem Matrimonii, eique conceptis verbis significaverat, se velle, ut in monogamia se contineret, quam Dei voluntatem Adamus docuit posteros usque ad Diluvium. Post Diluvium vero, Deus speciali inspiratione Patriarchas docuit, se polygamiam illis permettere, maxime cum illis viris sanctis, ut docet S. Augustinus, loco mox a me laudato, misceri multis uxoribus officiosum fuerit, non libidinosum. Sed de *Lamebo*, quem Hebræi occisorem Caini esse putant, & de ejus polygamia haec tenus satis. Nunc ad Historiam Patriarcharum, qui ante Diluvium vixerunt, ex isto diverticulo redeamus.

D. Potestne certo affirmari, Adamum, & ejus filium *Abelam*, a fratre suo *Caino* occisum, salutem æternam fuisse consecutos.

M. Æterna salus *Adami*, & uxoris illius *Eva*, necon filii ejus *Abelis*, a fratre suo *Caino* occisi, extra omnem dubitationis aleam posita esse debet. De salute Adami lucupletissimum habemus in Sacris Literis testimonium, petitum e capite 10. Libri Sapientæ, ubi haec habentur. *Hæc, seu sapientia, illum, idest, Adamum, qui primus formatus est a Deo Pater Orbis terrarum, cum solus esset creatus, custodivit, & eduxit illum a delicto suo, & dedit illi virtutem continendi omnia.* Præterea, viguit semper in Ecclesia confitans Sanctorum Patrum traditio de salute Adami, huic que traditioni aperte suffragantur S. Ireneus lib. 3. aduersus Heret. cap. 34. Tertullianus, lib. 2. contra Marcionem cap. 25. Epiphanius Hæres 46. & Augustinus pluribus in locis. Hinc est, quod *Tatianum*, qui fuit discipulus S. Justini Martyris, sed postea evasit auctor Sectæ Encratistarum, damnavit Ecclesia, quia negabat, Adamum fuisse æternam salutem asseditum. Hinc est etiam, quod omnes Catholicæ Doctores Abbatem *Rupertum* arguant, quod dixerit, sententiam de Adami damnatione probabilem esse, eamque multos sibi coetaneos Scriptores patrones noctam fuisse. Denique, incredibile est, Christum Dominum, qui innumeros filios Adami servitute, & captivitate Diaboli liberavit, & æterna salute donavit, voluisse, *Adamum*, prius omnium Parentem, in massa perditionis relinquere, & nulla prorsus habita ratione laboriosa, ac diuturnæ pœnitentiæ, quam una cum uxore sua, *Eva*, in terris egit, ab æterna gloria illum, & ipsius uxorem exclusisse. Continuatores *Bollandi*

in Actis Sanctorum Tomo 3. mensis Martii pag. 541. testantur, extare Martyrologium MS., quod in Ecclesia Bruxellensi olim solebat recitari, in quo ad diem 25. mensis Martii ista leguntur: *Eodem die, seu 25. Martii, plasmatio Ade, & ejectione de Paradiso.* Idem habetur in MS. Flitorio, & alio vetustiori MS. Martyrologio Ussardi. Scilicet, quia Adamus, violando Dei preceptum, brachia extendit ad lignum vetitum, voluit Christus, obediendo Patri aeterno, brachia ad Crucem extendere, ut unde mors oriebatur, inde vita resurgeret, & qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur. Hinc Christus voluit appellari secundus, seu novissimus Adam; *Factus est primus homo Adam in animam viventem, novissimus Adam, seu Christus, in spiritum vivificans,* ait Apostolus Paulus Epist. 1. ad Corinth. cap. 15. Pierique ex antiquis Scriptoribus, a Barzio, Torniello, Saliano, Gretsero, & aliis relati, magno consensu tradiderunt, Adamum Hierosolymis, & quidem in Monte Calvariae, ubi Christus Dominus crucifixus est, fuisse sepultum. Sed huic traditioni pluribus in locis fidem negat S. Hieronymus, docetque, Adamum sepultum fuisse in Civitate Hebron, ubi Abraham, & Sara, Rebecca, Jacob, & Lia conditi sunt; cui sententia S. Hieronymi subscrbit S. Thomas Aquinas 3. p. qu. 46. art. 10. In dubium ergo revocari minime debet, Adamum ejusque uxorem Ewan, aeterna beatitudine gaudere. Idem de salute Abelis, filii Adami, quem Cainus per invidiam trucidavit, affirmat Ecclesia Catholica. De Abele siquidem nonnulla Martyrologia, quae in Actis Sanctorum ad diem 25. mensis Martii a Bollandi Continuatoribus citantur, mentionem faciunt, & in antiquo MS. Martyrologio Bruxellensi ad eundem diem 25. Martii haec leguntur: *Apud Agrum Damascenum Abel, primus Martyr, pro iustitia occisus est.* Hinc multi Sancti Patres ajunt, Abeleni fuisse typum Christi morientis, idque confirmat Paulus Epist. ad Hebreos cap. 12. v. 24. ubi haec habet: *Ex Testamento novi mediatorem Iesum, & sanguinis aspergensem melius loquentem, quam Abel.* Christus etiam Dominus appellat Abelem, justum, Matthaei cap. 23. v. 35. Denique, in Canone Missæ Deum orat Ecclesia, ut *Sacra dona propitiæ, ac sereno vultu respicere dignetur, sicut accepta habere dignatus est munera pueri sui post Abel.* Quæ omnia manifesto probant, Abelum Cœlo fuisse receptum.

D. Numquid Adamus præter Cainum, & Abelem, alios progeniuit filios?

M. Non est dubium, quin Adamus, præter Cainum, & Abelem, alios procrearit filios, ait enim Scriptura Sacra cap. 5. Genesim vers. 4. & facti sunt dies Adam, postquam genuit Seth, ottigenti anni, genitique filios & filias. Verum, Scriptura Sacra non enumerat omnes filios & filias Adami, sed, postquam recensuit Cainum, & Abelem, quem crudeliter Cainus interemit, tertium nominat Adami filium, videlicet Sethum: *Cognovit quoque adhuc Adam uxorem suam, & peperit filium, vocavitque nomen eius Seth, dicens, posuit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain,*

Genesis cap. 4. vers. 25. Nec mirari debes, quod Scriptura Sacra trium tantum filiorum Adami disertam mentionem fecerit; voluit quippe Moses, libri Genesis Auctor, percensere dumtaxat Patriarchas, qui vixerunt ab Adamo usque ad Diluvium. Quocirca, post relatam Abelis mortem, memorat nativitatem Sethi, qui fuit tertius Adami filius, & secundus Patriarcha ante Diluvium.

D. Narra, si placet, omnia, quæ ad istum tertium Adami filium, Sethum, qui fuit secundus ante Diluvium Patriarcha, & quæ ad ejus posteritatem pertinere possunt.

M. Multa, quæ ad Sethum, ejusque posteritatem spectant, paucis complectar. In primis Scriptura Sacra innuit, Sethum in locum Abelis, a fratre suo Caino occisi, editum fuisse, & in eo pietatem casu Abelis restituisse. Secundo, fuerunt in secundo Ecclesiæ saeculo quidam haeretici, dicti Sethiani, quod Sethum, Adami filium, existimarent esse Christum. Turpius tamen errarunt nonnulli ejusdem saeculi Haeretici, dicti Cainite, quia Cainum, miserabilem Abelis fratricidam, singulari veneratione colebant. Turpissime vero errarunt ali in eodem secundo Ecclesiæ saeculo Haeretici Adamite, quod in suis Conventiculis, omni plane pudore deposito, nudi omnes tam viri quam foeminae, dictitarent, se primam Adami, patris Sethi, in horto voluptatis, seu in Paradiso terrestri, conditionem reprobantem, & sub hoc obtenu, quod horrendum est, promiscuo concubitu, & uxorum communione, belluarum instar, inverecunde uterentur. Circa posteritatem Sethi, duo observatione digna hic breviter subnectam. Et primo quidem Josephus lib. 1. Antiquitatum judaicarum cap. 3. scribit, Sethi nepotes Cœlorum ordinem ac sydereum cursus obseruasse, & ne inventa sua ex hominum notitia dilaberentur, cum Adamus generalem Mundi interitum, unum incendio, diluvio alterum predixisset, duas excitatæ columnas, alteram lateritiam, alteram lapideam, & utriusque inventa sua insculpsisse, ut, si lateritia diluvio periret, superflue esset lapidea, qua hominibus discendi copiam faceret. Præterea, observare debes, nepotes Patriarche Sethi fuisse acceptos Deo, quod probitatis & iustitiae cultores essent, & ideo Filii Dei in Scriptura Sacra appellati; nepotes vero Caini fuisse Deo exoscos, quod parentis sui Caini haud dissimiles essent: illi igitur, seu nepotes Sethi, inquit Theodoreto quæst. 47. in Genesim, *tarnquam pii & boni, cognominati sunt filii Dei.* Separatum enim erat genus Sethi, & non persicabantur cum cognatione Cain, proper illatam ei ab omnium Deo maledictionem. Theodoreto succinunt Procopius in cap. 4. Genesim, & Epiphanius Haeresi 39. Et hinc orta est in utraque familia, Sethi videlicet & Caini, capitalis inimicitia, tantaque morum discrepantia, ut nepotes Sethi matrimonia inire nollent cum filiabus, quæ e Caino ortum suum ducebant.

D. Dicas mihi, quæso, quo pacto exponi debet iste Scriptura Sacre locus, qui legitur c. 4. libri Genesim: *Videntes filii Dei filias hominum, quod*

quod essent pulchre, acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant? Quinam sunt isti filii Dei, & ista filiae hominum?

M. Germana istius loci expositio est illa, quæ per filios Dei intelligit posteros *Sethi*, & per filias hominum intelligit eas, quæ erant de posteritate *Caini*. Filii autem *Sethi* vocati sunt filii Dei, quia propter pietatem, cultumque Dei singularē, segregati erant a posteris *Caini*. Filiae autem, quæ descendebant e progenie *Caini*, dictæ sunt filiae hominum, quod malitia similes essent parenti suo *Caino*. Porro, nepotes *Sethi*, sicut mox observavi, ita aversabantur posteros *Caini*, ut cum illis nihil commercii & societatis, nec cum eorum filiabus, usque ad tempora vicina Diluvio, coniubia jungere voluerint. Sed, appetente diluvio, nepotes *Sethi*, illeē pulchritudine filiarum e progenie *Caini*, matrimonia inierunt cum illis, & earum coniuetudine similes eis effetti, ab avita pietate degenerarunt, & una cum illis eluvione perierunt. Huic expositioni favent Sancti Patres & Scriptura Sacra Interpretates. Quapropter, jure optimo rejici debet quorundam antiquorum Scriptorum error, afferentium, filios Dei, quos Scriptura Sacra, loco mox laudato, ait, commercium habuisse cum filiabus hominum, intelligi debere *Angelos*, qui, mulierum pulchritudine capti, carnali commercio cum illis commixti sint. Hic, inquam, error rejici debet primo, quia Scriptura Sacra testatur, eos quos filios Dei appellat, captos fuisse pulchritudine mulierum, & rem cum illis habuisse. Sed *Angeli* nec mulierum pulchritudine capi, nec rem cum eis habere possunt, quippe qui corporis sunt omnino expertes, ut constans est omnium Theologorum sententia contra nonnullos antiquos Scriptores, qui Angelis corpora, non quidem crassa, sed subtilia, aerea, ignea tribuerunt. Per illos itaque, quos Scriptura Sacra appellat filios Dei, non possunt intelligi *Angeli*. Secundo, Scriptura Sacra, postquam meminit istius, filios Dei inter & filias hominum, matrimonii confessim subjecit: *Dixitque Deus: non permanebit spiritus meus in homine in eternum, quia caro est, eruntque dies illius centum viginti annorum*, igitur per filios Dei, qui filias hominum duxerunt uxores, Scriptura Sacra intelligit homines, non vero *Angelos*. (a)

(a) Usde orta fuerit fabella, quam veteres plures adoptarunt de angelis cum filiabus Cain congressis in luxuriem, detegunt non infeliciter nonnulli rati in hunc errorem inductos ex versione Septuaginta, quæ habet *Angeli Dei*, quo loco in vulgata est *Filiæ Dei*. Hanc voculam ad literæ rigorem accipientes veteres illi, angelos, excogitarunt, coniubia cum puellis Cainitis miscuisse. Verum præterquam quod in Scriptura vox *angelus* interdum pro hominibus pietate eximiis accipitur, textus etiam Septuaginta vaticanus non *angeli* sed *filiæ Dei* habet. Fatendum est tamen *Alexandrinum* codicem ferre expressis verbis *angeli Dei*. Vide Buddeum in hist. eccles. v. t. period. I. sect. II. §. I. in notis.

D. Fueruntne itidem puri homines illi gigan-

tes, quos Scriptura Sacra cap. 6. libri Geneseos ait, procreatos fuisse ex his coniubiis, que filii Dei inierunt cum filiabus hominum: *Gigantes autem erant super terram in diebus illis; postquam enim ingressi sunt filii Dei ad filias hominum, illæque generunt, isti sunt potentes a seculo vii viri famosi*.

M. Isti gigantes, quos perhibet Scriptura Sacra natos esse ex carnali congressu filiorum Dei cum filiabus hominum, fuerunt revera puri homines, non vero Dæmones; sicut docent omnes Sacrae Scripturae interpretes. At enim, Dæmones nasci haud possum ex hominibus, sed filii Dei, qui, teste Scriptura, fuerunt istorum gigantium progenitores, erant homines, sicut mox ostendimus, non igitur Dæmones erant isti gigantes, sed meri homines, quos, propter eorum fortitudinem & staturam proceritatem, Scriptura Sacra appellat potentes a seculo viros famosos. Observant autem periti Hebrei, Rabinus *Abraham*, & R. *Aben Esra*, Gigantes appellari hebraice *Nephilim*, quasi *cadentes*, non quod e Cœlo, quasi *Dæmones* ceciderint (sicut nonnullis antiquis Scriptoribus per errorem obrepit) sed quod ceteri homines, insolentem corporis eorum proceritatem intuentes, attoniti ante illos caderent: vel quod isti Gigantes ferocia, latrocino, & tyrannide terribiles, irruerent violenter in homines, eoque in terram prosternerent, ad quod allusisse videtur *Job* c. 6. libri sui dicentis: *irruit in me quasi gigas; vel isti gigantes appellantur ab Hebreis Nephilim, seu Cadentes, quod propter suam in Deum impietatem & flagitosissimam vitam provocaverint iram Dei, & in diluvio generali ceciderint: quo forte referri potest illud *Job* cap. 26. vers. 5. sui libri dicentis: Ecce gigantes gemunt sub aquis, & qui habitant cum eis. Addo etiam, nomen *Nephilim*, seu *Cadentium*, non solum Angelis, sed & hominibus convenire, qui e statu, vel professione sanctitatis excidunt, vel ab avita majorum suorum pietate degeneres ad studia moreisque impiorum delabuntur, quales fuerunt posteri, qui ex Patriarcha *Setho* originem duxerunt. Hi quippe a Majorum suorum vestigiis deflectentes, & ad flagitia *Cainitarum* delapsi, haud immerito dicti sunt *Nephilim*, seu *Cadentes*, & ideo ad perdendos illos missum est universum diluvium, in cuius aquis submersi perierunt, sicut legitur libri Sapientia cap. 14. vers. 6. & lib. Ecclesiastici cap. 16. vers. 8. *Non exoraverunt pro peccatis suis antiqui gigantes, qui destructi sunt confidentes virtuti sue*. Rejiciendus itaque est error quorundam antiquorum Scriptorum, qui existimantes, Angelos esse corporibus præditos, affirmarunt, illos gigantes, quorum meminit Scriptura, non fuisse homines, sed Dæmones, ex carnali Angelorum cum mulieribus commercio procreatos. Ex his antiquis Scriptoribus, qui hujus erroris assertores ac patroni fuerunt, unum hic dumtaxat referam *Lactantium*, qui lib. 2. *Divinatum Institutionum* cap. 15. hac habet: *Cum ergo numerus hominum cœpisset increscere, providens Deus, ne fraudibus suis Diabolus, cui ab initio terre dederat potestatem, vel corrumperet vel dispergeret**

geret homines, quos in exordio fecerat, misit Angelos ad tutelam cultumque generis humani; quibus, quia liberum arbitrium erat datum, precepit ante omnia, ne terra contagione maculati, substantiae cœlestis amitterent dignitatem: scilicet illos facere prohibuit, quod sciebat esse facturos, ut veniam sperare non possent. Itaque illos cum hominibus commorantes, dominator ille terræ fallacissimus (seu diabolus) consuetudine ipsa paulatim pellexit, & mulierum congreßibus inquinavit. Tam in Cælum, ob peccata quibus se immerserant, non recepti, cediderunt in terram. Sic eos diabolus ex Angelis Dei suos fecit satellites ac ministros. Qui autem sunt ex his procreati, quia neque Angeli, neque homines fuerunt, sed medium quamdam naturam gerentes, non sunt ad inferos recepti, sicut in Cælum parentes eorum. Ita duo genera Dæmonum facta sunt, unum cœlestis, alterum terrenum. Hi sunt immundi spiritus, malorum, que geruntur, auctores, quorum idem diabolus est princeps. Hunc errorem, quem Lactantius communem habuit cum quibusdam antiquis Scriptoribus, qui corpora Angelis tribuebant, & ex eorum cum foeminiis congressibus terrestres Dæmones fuisse procreatos asserebant, nemo est in præsentia, qui non rejiciat, eumque inter alios Lactantii natos non reponat.

D. De Setho, qui fuit secundus ante Diluvium Patriarcha, & de ejus posteritate plura scire non desidero, sed optarem, ut cæterorum Patriarcharum antediluvianorum res præclare gestas compendiose describeres, sicut eas refert Scriptura Sacra. Ea siquidem, quæ illos Patriarchas spectant, non nisi ex Sacris voluminibus, velut ex ipsis fontibus, hauriri debent.

M. Tertius Patriarcha antediluvianus est Enos, filius Sethi. De hoc Patriarcha Enos ait Scriptura Sacra: *Iste cœpit invocare nomen Domini, quod tamen non ita accipi debet, quasi ante Patriarcham Enosum nullus fuerit Deum invocandi modus, nec publicus Deo exhibitus cultus, sed Enos dicitur cœpisse invocare nomen Dei, quia id majori & excellentiori, quam antehac, studio ac pietate fecerit, videlicet certas quasdam cærimonias, & solemnes precum formulas adhibendo. Negari siquidem haud potest, Adamum, primum omnium parentem, aliosque Patriarchas, qui præcesserunt Patriarcham Enosum, nomen Dei invocasse, & publicum Deo exhibuisse cultum, sicut aperte constat non solum ex sacrificiis, quæ Cainus, & Abeles, filii Adami, Deo offerebant, sed etiam ex lege, quam Deus ab exordio mundi promulgavit, sanctificandi diem septimam, seu diem Sabbathi: Et benedixit dies septimo & sanctificavit illum, Genesis cap. 2. vers. 3.* Quibus verbis voluit Deus, ut dies Sabbathi speciatim ipsius cultui esset consecratus, ab omnibus tanquam Enos, solemnis & venerabilis haberetur, essetque dies sanctitatis, quietis, & gaudii. Hac autem lex de sanctificatione Sabbathi, lata a Deo ab initio Mundi, ita Adamo, ejusque posteris imposta fuit, ut etiam si Adamus non peccasset, & in statu innocentia perseverasset, posteri tamen ejus, in eodem innocentia statu constituti, debuerint peculiariter die septimo, seu die Sabbathi

thi cultui divino vacare, eo potissimum nomine, ut hac statu die recolerent beneficium creationis sua, totiusque Mundi, hac die Sabbathi complete. Cum igitur ante Patriarcham Enosum fuerint Deo oblata sacrificia, & ab exordio Mundi viguerit lex, a Deo condita, de Sanctificatione Sabbathi, dici minime potest, hunc Patriarcham fuisse primum, qui publicum Deo debitum cultum instituerit.

D. Sive tantisper. Subiit animum scrupulus, quem mihi eximas velim. Si lex de sanctificatione Sabbathi a Deo ab exordio Mundi condita est, quorsum igitur Ecclesia dispensavit cum Christianis ab hac lege, quam a Moysi, eorum Legislatori, promulgata semper retinuerunt; & etiam num obseruant Judæi?

M. Christiani antiquitus Sabbathum pie coluerunt, eoque die cœtus suos habuerunt. Cur autem Ecclesia hanc Sabbathi sanctificationem, quam Deus non aëternum, sed ad tempus dumtaxat duraturam promiserat, postea transtulerit in diem Dominicam? Apposite hanc rationem adducit Sanctus Joannes Damascenus lib. 4. de Fide Orthodoxa c. 32. juxta ultimam editionem, quam adornavit P. Michael le Quien, Ordinis Predicorum: *Ex quo venit, verba sunt S. Jeannis Damasceni, quod perfectum est, evacuatum est quod ex parte erat, ac scisso per Salvatoris Crucem tegumento, sive velo legis, Sanctoque Spiritu igne linguis ilucenti, litera obsolevit, corporalia cessarunt, & impleta lege servitutis, lex libertatis nobis donata est. Atqui perfectam humane nature requiem celebramus, hoc est, Resurrectionis diem, in qua Dominus Jesus, vita auctor & salvator, nos ad promissionem illis, quæ spirituali cultu Deo serviuimus, hereditatem introduxit &c.* Sicut ergo Lex Mosaica, adveniente Iesu Christo, vero Messia, cessu, non fecus ac prodita luce evanescunt umbras, ita Sabbathi sanctificatio post Legis Evangelicæ promulgationem desistit, & auctoritate Ecclesiæ translatâ est in diem Dominicam, in qua Christus Dominus resurrexit, nosque per Resurrectionem suam ad perfectam requiem & ad promissionem hereditatem introduxit. Obiter autem observare debes, Sabbathi sanctificationem tam antiquam, tamque celebrem apud Judeos fuisse, ut illius notitia ac veneratio pervenerit ad Gentiles, quos inter sic canit poeta Ovidius:

*Cultaque Judeo septima sacra viro;*  
circa tamen originem sanctificationis Sabbathi apud Judeos, turpiter errarunt Gentiles, Sacrarum litterarum rudes. Alii quippe existimarent, Judeos in honorem Saturni Sabbathum colere. Alii in honorem Bacchi a Judeis institutum fuisse dixerunt. Alii voluerunt, Judeos, ex Ægypto exeuntes, laborasse ulceribus inguinum, quæ Ægyptii Sabbo appellabant, eaque septimo die cessasse, ideoque hunc diem a Judeis Sabbathum vocatum fuisse & speciali cultu ab illis celebratum. Sed hæc Gentilium pura putaque commenta sunt, quia, sicut superius dixi, Deus ab initio Mundi diem septimam, seu Sabbathi diem (in qua, ut inquit Scriptura, requievit ab omni opere, quod patrat) sanctificavit, consecravit, legemque edixit,  
ut

ut omnes in posterum eandem diem solemnum haberent, & per illius diei sanctificationem, quæ per singulas hebdomades recurrebat, hominum mentibus infixa hereret Mundi creationis a Deo facta constans ac perpetua recordatio. Hinc contra Infideles validum duci potest argumentum ad religionem confirmandam, veritatemque illius facti, quod in libr. Genesim narrat Moyses de Mundi creatione facta a Deo, & de lege, quam ad conservandam creationis Mundi perennem memoriam tulit sanctificandi diem septimum, seu diem Sabbathi. At enim, ex eo quod præceptum sanctificandi diem Sabbathi fuerit ab origine Mundi a Deo datum, atque a Patriarchis, & Hebreis diligentissime observatum, manifesto colligitur, non potuisse Moysem imponere Hebreis circa ejusmodi factum de creatione Mundi a Deo facta, cuius memoriae celebranda per singulas hebdomades specialis dies semper apud Hebreos dedicatus fuit. Cum enim singuli Judæi per certissimam traditionem, & celebrationem Sabbathi, singulis hebdomadibus recurrentem, moniti ac plene instructi essent circa factum, quod spectabat creationem Mundi, contra Moylem omni proculdubio reclamassent, si hac in re aliquid falsi protulisset. Sed de origine sanctificationis Sabbathi, & de cultu, qui ante Patriarcham Enosum Deo exhibebatur, satis dictum sit (a).

(a) Vera quidem de institutione Sabbathi vel septima diei author hic statuit, non tamen ab omnibus æque admissa sunt enim plures, qui ea tenentur opinione, Festum Sabbathi indicium a Deo fuisse Judæis in quinta statione, cum populus venit in Mara, ibi enim, ut legitur Exod. XV. 25. constituit Deus præcepta atque iudicia: atque hanc originem determinat paraphrastes Chaldaeus in caput illud Exodi. Quod autem notat Moyses in Genesi de benedictione & sanctificatione sabbathi, qua die a creando mundo cessavit, id vero scriptum esse a Moysi affirman, ut intelligeret populus, quam merito Deus lato in ea statione præcepto diem septimum Festam haberi voluerit. Ceterum usque ad id tempus nihil de sanctificatione diei Sabbathici in Scriptura occurtere, scriptores ita opportune admonent. Hanc sententiam præcessoris dissertatione sua tuerit Dom. Abbas Sallier in dissert. de Festo septima diei in tom. v. *memoires de littérature de l'Academie des Inscriptions & belles lettres*, verum etsi in scriptura nihil ante illud tempus legatur, ac fieri potuerit, ut expresso præcepto in statione Maræ id Deus in junxerit; vix tamen credo, diem aliquam indicat non fuisse a Deo in ipso creati mundi exordio, cum præsertim Moyses non ambigue affirmet diem septimum sanctificationem & benedictionem a Creatore obtinuisse. Nec aliter ea verba, quam de sabbathi institutione Patres communi assensu unquam acceperunt. Felicius Abbas ille doctissimus deraonstrat septima diei festum commune aliis etiam nationibus fuisse; ad ductis tamen veterum non obscuris testimoniorum evincit diem septimum, quæ tantopere apud veteres celebratur, fuisse septimum cuiuslibet mensis,

„ sis, non vero septimam per singulas recurrentes hebdomadas.

D. Aliorum Patriarcharum, qui post Enosum vixerunt ante Diluvium, summatim, quæso, gesta perstringe, ne colloquium nostrum longius, quam par sit, protrahatur.

M. Patriarcha Enosus, genuit Cainanem, Cainan vero genuit Malalelem, Malaleel autem Jaredem. Verum, quia de tribus illis Patriarchis, qui post Patriarcham Enosum vixerunt, nihil suggerunt Codices sacri, his pretermisis, transitum faciemus ad Patriarcham Enochum, qui fuit filius Jaredis, ac septimus ab Adamo Patriarcha, de quo Scriptura Sacra cap. 5. Geneseos hæc habet: Ambulavit (Henoch) cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus.

D. Ecquid, fodes, sibi volunt hæc Scripturaræ verba, de Henoco dicta: *Et non apparuit, quia tulit eum Deus?* Voluitne Scriptura Sacra his verbis: *Et tulit eum Deus*, significare, quod Enochus mortuus sit, vel quod Deus vivum transfulerit Enochum in aliquem locum, in quo adhuc vivit?

M. Gemina est istorum Scripturaræ Sacrae verborum interpretatio. Nonnulli cum Rabbino Aben Ezra dicunt, hæc Scripturaræ verba: *Quia tulit eum Deus*, significare, Patriarcham Enochum revera mortuum esse, non secus ac Libri primi Regum c. 19. verba illa Prophetæ Eliæ: *Tolle, queso, animam meam*, significant mortem. Huic interpretationi suffragatur etiam Rabbi Salomon, aitque, Patriarcham Enochum, iustum quidem fuisse, sed mente versatili, seu instabili, & ad impie agendum propensa, eamque ob rem, fuisse a Deo prematura morte sublatum, sed hæc interpretatio, utpote falsa, reiicienda est. Alii vero Scripturaræ Sac. Interpretes, cum Graci, tum Latini, assertunt, hæc Scripturaræ Sacrae verba: *Quia tulit eum Deus*, significare, Patriarcham Enochum necedum esse mortuum, sed a Deo fuisse translatum in certum quendam locum, ubi etiamnum vivit, eumque in fine Mundi venturum, ut fraudes Antichristi detegat, Fideles in Christi Fidei confirmet, Judæos ad Christianam fidem convertat: denique, illum, post expletum prædicationis suæ tempus, ab Antichristo occisum iri, sed, post tres dies & diuidium, ad vitam redditum, & splendidissima circumfusum gloria, in nube lucida a censurum in Celum. Haec secunda interpretatio retinenda, & amplectenda est, tum quia non solum traditur ab omnibus Sanctis Patribus cum Græcis, tum Latinis, sed quia etiam perpetua, sibi semper constanti Ecclesiæ, & omnium Orthodoxorum traditione fulcitur: Tum quia magis congruit Scripturaræ Sacrae, quæ non obscure innuit, Patriarcham Enochum nondum esse mortuum, sed adhuc in vita mortali conservari a Deo. Sic enim legitur Genesis cap. 5. v. 24. *Et facti sunt omnes dies Henoch trecenti sexaginta quinque anni, ambulavitque cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus.* Deinde, Libri Sapientiæ cap. 4. v. 10. legitur: *Henoch, placens Deo, factus est dilectus, & vivens inter peccatores, translatus est: rupris est, ne malitia manaret intellectum ejus.* Idem ferme legitur cap. 44. v. 16. Libri Ecclesiastici: *Henoch placens Deo,*

*Deo, & translatus est in Paradisum, ut det gentibus pœnitentiam.* Postremo Apostolus Paulus Epist. ad Hebreos c. II. v. 5. de Patriarcha Henoch habet: *Fide Henoch translatus est, ne vide-ret mortem, & non inveniebatur, quia transtulit eum Dominus: ante translationem enim testimoniū habuit, placuisse Deo.* Ex quibus Scripturæ Sacrae locis facile colligitur, Patriarcham Enochum nondum esse mortuum, sed a Deo fuisse translatum in certum quemdam locum, ubi etiamnum vivit.

D. Gestirem scire locum, in quem Deus translaterit Patriarcham Enochum?

M. Nonnulli existimant, Patriarcham Enochum fuisse a Deo translata in Paradisum terrestrem, in quo constitutus est Adamus, ibique illum adhuc vivere, & hanc in rem lendant istud testimonium depropuncti ex cap. 44. Libri Ecclesiastici: *Enoch placuit Deo, & translatus est in Paradisum &c.* Verum nihil inde certi elici potest, quia non raro Scriptura Sacra *Paradisi* vocē utitur, non ad indicandum Paradisum terrestrem, in quo fuit positus Adamus, sed ad designandum quemvis amēnum, ac deliciis affluenter locum, & in eo testimonio Libri Ecclesiastici citato haec Paradisi vox nullo epitheto restringitur ad illum Adami Paradisum. Denique, permulti viri eruditи docent, Paradisum terrestrem, in quo fuit Adamus, aquis Diluvii Noetici, quod, sicut superius ostendimus, in universum Orbem grassatum est, deletum fuisse, quantum ad cultum, & amēnūtatem. Quem igitur in locum Deus translulerit Enochum inquirere, non solum curiosum, sed supervacaneum est: *Multi, inquit S. Chrysostomus Homil. 22. in Epistolam ad Hebreos, querunt, quomo-do translatus sit Enoch? & cur translatus sit? & cur non sint mortui neque ipse, neque Elias? & si adhuc vivant? quomo-do vivant? & in quo habitu?* Sed supervacaneum est hoc querere. Nam quod ille quidem, nempe Henoch, sit translatus, hic autem Elias sit assumptus, dixerunt Scripturae. Ubi autem sunt, & quo modo sunt, non adjecerunt. Non enim amplius dicunt, quam que sunt necessaria. Idem docet S. Augustinus lib. 2. adversus Pelagium, & Calestium cap. 23.

D. Dicebat mihi nuperrime vir eruditus, Patriarcham Enochum edidisse librum, ex quo excerptam Prophetiam cirat S. Judas, Apostolus, v. 14. sua Epist. ubi haec habet: *Prophetavit autem, & de his, septimus ab Adam, Enoch, dicens: Ecce venit Dominus in Sanctis milibus suis.* Id autem mihi verosimile haud videtur, quia saepius a te audiui, Moysem, juxta Sanctorum Patrum sententiam, primum esse omnium Scriptorem, quod sane falsum esset, si Patriarcha Enochus, qui multis Saeculorum myriadibus Moysem praecessit, librum scripsisset.

M. Liber, qui olim circumferebatur sub nomine Patriarchæ Enochi, ad Apocryphorum classem ablegandus est, utpote supposititius, & multis scatens erroribus, quos inter Auctōr illius libri ait, *Angelos Dei, amore mulierum captos, ea-*

rumque congressibus inquinatos fuisse, & ex il- lis filios genuisse. Hinc libro, Patriarchæ Enochi perperam adscripto, omnem auctoritatem abrogant Sancti Patres Hieronymus, & Augustinus, quos secuta est Catholica Ecclesia, quæ nullam huic spuriō libro assentit, ac vindicavit auctoritatem. Citat quidem S. Judas, Apostolus, Patriarcham Enochum, tamquam auctōrem illius Prophētiae, quam in sua Epistola refert; sed inde non sequitur, Enochum scripsisse aliquem librum. Potuit quippe Apostolus *Judas ejusmodi Prophētiae Enochi* per revelationem sibi divinitus factam habere notitiam, vel haec Enochi Prophētia, ope continua-ta Traditionis conservata, potuit de ore in os, & de aure in aurem usque ad S. Judam, Apostolum, pervenire, qui illam, afferens Spiritu Sancto, suę Epistolę inseruit. Si enim, ut recte observasti, Patriarcha Enochus esset illius libri, qui sub eius no-mine prostat, genuinus parens, esset itidem omnium Gentium Scriptorum antiquissimus, non vero Moy-ses; quod tamen negant omnes Sancti Patres. Nulla ergo fides habenda est Tertulliano, qui in lib. *Dhabitum Muliebri* hunc librum, qui Patriarchæ Enochi tribuitur, genuinum esse affirmat, & ex eo errorem de corporeitate Angelorum, & de illorum carnali cum mulieribus commercio errorem hausit.

D. Genuitne Patriarcha Enochus aliquem filium, antequam transferretur a Deo in eum locum, ubi, sicut mox dixisti, etiamnum vivit?

M. Patriarcha Enochus, sicut legimus cap. 5. Libri Geneeos, *vixit sexaginta quinque annis, & genuit Mathusalem . . . & vixit, postquam genuit Mathusalem, trecentis annis, & genuit filios, & filias; & facti sunt omnes dies Henoch trecenti sexaginta quinque anni.* Porro, circa Mathusalem, qui fuit Enochi filius, & octavus Patriarcha antediluvianus, duo velim oberves. Primum est, Versionem 70. Interpretum in capite 5. Libri Geneeos sub mendo cubare. Ibi namque, juxta Græcorum Codicum calculum, Mathusalem invenitur vita functus post Diluvium annis quatuordecim, quod aperte adversatur Scripturæ Sacrae, quæ cap. 3. Epist. 1. S. Petri diferte assertit, octo tantum animas, Noeum videlicet & uxorem ejus, tres ejus filios, *Semum, Chamum, & Japhetum*, cum tribus eorum uxoribus, universalis Diluvii exitium evasisse. Quod quidem, ut clarius intelligas, adverte debes, *Mathusalem*, juxta 70. Interpretum Chronologiam, genuisse Lamechum, cum esset annorum 167. & rursus Lamechum, cum esset annorum 188. genuisse Noeum. Ex quo calculo sequitur, *Mathusalem* habuisse annos trecentos sexaginta quinque, quando natus est *Noeum*. Cum igitur universale Diluvium contigerit anno sexcentesimo vita Noemi; necesse est, ut, juxta Codices Græcos, *Mathusalem*, anno, quo accedit universale Diluvium, natus dumtaxat fuerit annos nongentos sexaginta quinque. Sed quia, nemine reclamante, *Mathusalem* vixit annos nongentos sexaginta novem, ut perhibet Scriptura Sacra, manifestum est, *Mathusalem*, juxta Codices Græcos, habita ratione per partes, vixisse quatuordecim annis post Diluvium. At, in Sacri Textus Hebrai Chronologia omnia

omnia sibi perfecte coherent. Nam, juxta Hebraeos Codices, *Mathusalem* genuit *Lamechum* cum esset annorum 187. *Lamechus* autem genuit *Noeum*, cum esset annorum 182. A die ergo nativitatis *Mathusalem* usque ad nativitatem *Noemi* interfluxerunt anni trecenti sexaginta novem, quibus si adjicias sexcentos annos, quos natus erat *Noeum*, quando accidit Diluvium, facile compieres, *Mathusalem* anno vita sua nongentesimo sexagesimo nono vitam cum morte commutasse, eodem videlicet anno, quo Diluvium Noeticum in totum Orbem graffatum est. Hic est nodus in Codicibus Cræcis, seu 70. Interpetum, circa generationem Patriarchæ *Mathusalem*, implicatifimus, seu potius manifestus error, qui, sicut ait S. Augustinus lib. 15. *De Civitate Dei* cap. 13. non casum redoler, sed industria. Unde idem S. Doctor cap. 11. ejusdem libri haec habet: Sed inquit, *Judeos*, dum nobis invident, quod Lex, & Prophetæ ad nos interpretando transmisserunt, mutasse quedam in Codicibus suis, ut nostri minueretur auctoritas. Hanc opinionem, vel suspicitionem accipiat quisque ut putaverit, certum est tamen, *Mathusalem* non vixisse post Diluvium, sed eodem anno fuisse defunctum. Alterum, quod ve-  
lim oberves, spectat Codices Samaritanos circa generationem *Mathusalem*. Testatur quippe S. Hieronymus in lib. *De Traditionibus Hebraicis*, se in Samaritanorum Codicibus sic scriptum invenisse: Et vixit *Mathusalem* 187. annos, & genuit *Lamech*. At, doctissimum P. Morinus, Congregat. Oratorii Presbyter, Exercitatione 4. *De Textus Hebrei, Grecique sinceritate*, specimen exhibet Samaritani Codicis, ubi *Mathusalem* vixisse tantum dicitur 67. annis, antequam genuit *Lamechum*. *Scaligerus* autem ex altera parte affirmit, se in Exemplari Samaritano, quod penes se habebat, sic invenisse scriptum: Et vixit *Mathusalem* 77. annos, & genuit *Lamechum*. Quæ fane varietas multum derogat sinceritatì Codicis Samaritani, de quo tamen Joannes Morinus, mox laudatus, tantopere gloriatur. Quis enim hinc non colligat, aliud fuisse Exemplar Samaritanum S. Hieronymi, aliud Morini, aliud *Scaligeri*?

D. Intelligo quidem Patriarcham *Mathusalem*, annos natum nongentos sexaginta novem, mortuum esse eodem anno, quo contigit universale diluvium; at scire vellem, an ite *Lamechus*, quem dicis fuisse Patriarcha *Mathusalem* filium, idem sit ac ille *Lamechus*, cuius superius mentionem fecisti, quique *Cainum*, filium *Adami* occidit, & primus fuit, qui ante Diluvium polygamiam simultaneam invexit, duas ducento uxores, contra Legem de Monogamia ab exordio Mundii latam a Deo?

M. Ita *Lamechus*, filius *Mathusalem*, pietate insignis fuit, & a justitia, sapientia, multarumque rerum cognitione commendatur, subindeque plane diversus ab illo *Lamecho*, qui mulierofus fuit, & primus Polygamiam induxit. *Lamechus*, qui fuit *Mathusalem* filius, & Pater *Noemi*, originem habet ex *Adamo* per *Sethum*, & *Lamechus*, qui primus duas uxores duxit, ex *Adamo* per *Cainum*

trahit genus suum. Genealogia *Adami* per filium suum *Sethum* Deo grata fuit & accepta. Genealogia vero *Adami* per filium suum *Cainum* fuit Deo exosa. Utramque genealogiam *Adami*, majoris claritatis ergo, hic subnectam, sicut describitur cap. 4. & 5. libri Genœeos.

*Genealogia Adami per filium suum Cainum, que Deo exosa fuit.*

<i>Adamus</i> genuit <i>Cainum</i> .	}
<i>Cainus</i> genuit <i>Henochum</i> , & ædificavit civitatem, quam de nomine filii sui <i>Enochiam</i> nuncupavit.	
<i>Henochus</i> genuit <i>Irad</i> .	

<i>Irad</i> genuit <i>Mariael</i> .	}
<i>Mariael</i> genuit <i>Mathusael</i> .	
<i>Mathusael</i> genuit <i>Lamechum</i> ;	

Iste est <i>Lamechus</i> , qui duas accepit uxores, nomen uni <i>Ada</i> , & nomen alteri <i>Sella</i> .	}
<i>Ada</i> & <i>Sella</i> genuerunt <i>Noeum</i> .	
<i>Noeum</i> duntaxat eis duas uxores, nomen una <i>Adae</i> , & nomen altera <i>Sellæ</i> .	

*Genealogia Adami per filium Sethum que Deo grata, & accepta fuit.*

<i>Adamus</i> genuit <i>Sethum</i> .	}
<i>Sethus</i> genuit <i>Enosum</i> .	
<i>Enosus</i> genuit <i>Cainanem</i> .	

<i>Cainan</i> genuit <i>Malalaalem</i> .	}
<i>Malalael</i> genuit <i>Iared</i> .	
<i>Iared</i> genuit <i>Henochum</i> .	

<i>Henochus</i> genuit <i>Mathusalem</i> .	}
<i>Mathusalem</i> genuit <i>Lamechum</i> .	
<i>Lamechus</i> genuit <i>Noeum</i> .	

D. Pervenimus tandem ad *Noeum*, *Lamechi* filium, qui fuit decimus Patriarcha antediluvianus, sub quo universale diluvium contigisse superius observasti. Sed dicas, amabo, quorsum Deus, emissio universalis diluvio omnes homines delere voluerit, & *Noemo* duntaxat ejusque familiæ pepercit?

M. Causam terribilis illius erga homines divinæ sententiae non aliam, præter malitiam hominum assignat Scriptura Sacra cap. 6. libri Genesis, ubi hæc habet: *Videns autem Deus, quod multa malitia hominum esset in terra*, & cunctæ cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore . . . . delebo, inquit, hominem, quem creavi, a facie terre, ab homine usque ad animantia, a reptili usque ad volucres cœli. Causam vero cur Deus Patriarcham *Noeum*, ejusque familiam huic destinata exemerit sententia, continenter Scriptura Sacra ibidem profert, dicens: *Noe vero invenit gratiam coram Domino . . . . Noe vir justus, atque perfectus fuit in generationibus suis*. Cum igitur tempore *Noemi* omnis caro corruperat viam suam, misit e Cœlo Deus ultrices aquas, ut hæc scelerum sentina penitus elueretur, & perpetui quadrangina dierum imbris, totiusque terra eluvione flagrans ubique hominum libido restingueretur. *Noemi* autem, Patriarchæ pii, ac justi, familiam a Diluvio liberata.

beravit Dominus , ut in ea vigeret , ac conservaret vera Religio , & ad posteros illibata pervenire posset . Admonitus itaque *Noemus* a Domino , diluvium terris imminere , Arcam immensæ magnitudinis ex lignis contexuit , ac bitumine illam impenetrabilem aquis reddidit . Sed ( quod singulari observatione dignum est ) huic confitenda Arca homines , qui aquis Diluvii perire debebant , diu adlaborarunt , deridentes tamen *Noemum* , quasi delirum senem , a quo in Arcam , & ad sinceram scelerum detestationem , verbo & exemplo invitabantur . Sed in illos infanos homines vere quadrat istud , quod vulgo circumfertur , Adagium : *Sero sapiunt Phryges* ; tunc enim serius agnoverunt , *Noenum* verum fuisse vatem , quando omnis ad Arcam , & ad salutem aditus præclusus omnino fuit . In hac Arca *Noemus* cum uxore sua , ac filiis tribus , *Semo* , *Chamo* , *Japheto* , & totidem suis Nuribus clausus est : volucrum etiam paria , itidemque diversi generis bestiarum , eadem in Arca recepta sunt , reliqua omnia , quæ erant in Mundo , fuisse diluvio absumpta . Mansit autem *Noemus* clausus in Arca , donec jam imbre desitissit , ac quieto in solo Arcam circumferri intellexerit . Tunc enim ratus id quod erat , corvum exploranda rei gratia , primum per fenestram Arcae dimisit , eoque non revertente , ( utpote aut cadaveribus incubante , aut Arcae tecto insidente ) emisit *Noemus* columbam , quæ cum confistendi , seu pedem solo figendi locum non reperisset , reverta est , sed rursus remissa , folium olivæ retulit , manifestum indicium nudari cacumina arborum . Tertio deum emissa columba , non reddit , indeque certe cognoscens *Noemus* , cessasse penitus Diluvium , egressus est ex Arca . Mansit autem *Noemus* in Arca per annum integrum solarem , undecim diebus anno lunari majorem . Sic enim *Gordonus* calculum ponit : per dies 40. pluit . Per dies 150. stetit plenum diluvium . Per dies 129. minuantur aquæ . Per dies 56. Noe perleverat in Arca , terra exsiccata . Hic dies ultimus habetur a multis vigesimus septimus mensis secundi , adeo ut annus integer solaris , & decem præterea dies hunc numerum efficiant . Hinc recte *S. August.* l. 15. de Civ. Dei c. 14. ait : *a sexcentesimo anno vite Noe* , *propterea tantus etiam tunc dies fuit* , *quantus & nunc est* , *quem viginti & quatuor horæ diurno curriculo nocturnoque determinant* : *tantus mensis* , *quantus & nunc est* , *quem luna coepit & finita concludit* : *tantus annus* , *quantus & nunc est* , *quem duodecim menses lunares* , additis , propter cursum solarem , *quinque diebus & quadrante consummant* . Eandem anni , & mensis formam fuisse a veteribus observatam asserit idem *Sanctus Doctor lib. 4. de Trinitate cap. 4.* Quid autem post egressiōnem ex Arca gesserit *Noemus* ? & quo pacto ejus filii extinctum pene genus humanum reparaverint , instauraverint , ac per totum orbem propagaverint ? opportunus suo loco ostendemus , leu in colloquiis nostris in historiam secundæ Mundii atatis , quæ incipit ab universalī Diluvio , & protenditur usque ad vocationem *Abrahāmi* .

D. Diluvium istud , quod Gentiles vocant *Ogy-*

*gium* , & quod item *Deucalioneum* nuncupant , est ne idem ac Diluvium univerrale , quod sub Patriarcha *Noemo* contigisse Sacra Scriptura refert , vel ab eo plane diversum ?

M. Hæc Diluvia , quæ contigisse narrant Gentiles , & quorum unum appellant *Ogygium* , alterum *Deucalioneum* , revera accidisse pertendunt multi Scriptores , qui in primis dicunt , hæc duo Gentilium Diluvia , videlicet *Ogygium* , & *Deucalioneum* , fuisse tantum Diluvia particularia , Diluvium vero , quod Scriptura Sacra ait sub Patriarcha *Noemo* inundasse terram , fuisse universale . Secundo , dicunt illi Scriptores , Diluvium *Ogygium* incidisse in tempora Patriarchæ *Isaaci* , filii *Abrahani* , vocari autem *Ogygium* ab *Ogyge* , Patre *Inus* , Beotia Rege ; Diluvium vero alterum appellari *Deucalioneum a Deucalione* , Promethei filio , secundo Atheniensium Rege , *Cecropis* , primi Atheniensium Regis successore , & Moysis aequali . Postremo dicunt , Diluvium *Ogygium* Diluvio universali *Noetico* fuisse annis quingentis recentius , sed Diluvio *Deucalioneo* antiquius esse annis ducentis , & sexaginta tribus . Sic censent bene multi Scriptores . At ipse existimo , hæc omnia esse pura putaque commenta Græcorum Gentilium , qui aliquam notitiam de Diluvio universali *Noetico* , sive ex lectione Librorum Moysis , sive ex traditione cum accepissent , illud accidisse finxerint sub Reginis suis antiquissimis *Ogyge* , & *Deucalione* . Certe Diluvium *Deucalioneum* , sicut jam observavi sub finem secundi nostri Colloqui , Poeta *Ovidius* aperte innuit , non fuisse particulare , sed univerrale , ex quo sequitur , illud nec re , nec tempore differre a Diluvio universale , quod sub Patriarcha *Noemo* contigisse narrat *Moyses* . *Lucianus* etiam in libro *de Dea Syria* , qui extat Tom. 3. ejus Operum , Editionis Basileensis , describit hoc Diluvium *Deucalioneum* , non tanquam particulare , sed tanquam universale , in quo omnes perierint . Postquam enim hic Scriptor Græcus eo in libro locutus est de Templo Heliopolitano , ut vetustate clarissimo , ita per Orientem in gentibus celeberrimo , ista subiungit , juxta Versionem *Jacobi Micylli* : *Complures igitur Deucalionem Scyham illum tradunt , Templum hoc consecrassæ , eum puta Deucalionem , cuius temporibus aquarum Diluvium fuit* . Cæterum de *Deucalione* inter Græcos sermonem , quem illi de eo referunt , audiri . Habet sermo ille hoc pacto : *banc hominum generationem , quæ nunc est* , *ab initio haud quamquam fuisse* , *sed eam , que tum fuit* , *totam interisse* ; *hos autem homines , qui nunc sunt* , *secundi generis esse ejus* , *quod rursus a Deucalione in tantam multitudinem excrevit* . De illis autem hominibus hujusmodi quedam traduntur : *cum contumeliosi admodum essent , nefaria opera eos perpetrassem* . Neque enim *jusjurandum observasse* , neque hospites recipisse , neque supplicum misertos esse . Ob eam rem , maximam calamitatem ipsos mox consecutam esse . Statim enim & tellus multam aquam effudit , & imbre magni fuerunt , & flumina solito majora decurrerunt , & mare quoque in multum ascendit eo usque dum omnia aquis inundarentur , atque omnes perirent . *Deucalion autem solus omnium relictus fuit* , in secundam

dam videlicet generationem, prudentie simul, & pie-  
tatis gratia. Servatus autem fuit hoc pacto: Arcam  
ipse habebat, impositis in eam, & liberis, & uxore  
sua, confundit. Ceterum, cum ipse ingredetur, ve-  
nerant eodem & apri, & equi, & leonum genera, &  
serpentes, aliaque quecumque tellure pascuntur, bina  
ex unoquoque genere cuncta. Ille autem recepit ad se  
omnia, atque ea ipsum hanc quamquam laedebant, sed  
magna inter eos, Jove ita dispensante, concordia erat,  
unaque in Arca omnes navigabant, quandiu aqua su-  
perabat. Atque haec quidem de Deucatione Graci tra-  
dunt. Hanc Luciani de universalis Diluvio, ejusque  
circumstantiis, narrationem si attente perpendas, fa-  
cile percipies, Diluvii universalis, quod sub Patriar-  
cha Noemi contigit, notitiam ad Græcos, seu Gen-  
tiles, pervenisse, eos vero commentos postea fuisse,  
istud Diluvium accidisse sub uno e suis Regibus,  
videlicet Deucalione.

D. Putafne, aliquos ex his, qui tempore Noemi  
vindicibus aquis universalis Diluvii extinti sunt,  
Pœnitentiam egisse, & æternam damnationem eva-  
fuisse?

M. Si sermo fit de parvulis, qui per Sacra-  
mentum Legis naturæ, aut per Fidem signo aliquo sen-  
sibili, & sacro significata, & confirmata, ab  
originali peccato mundati, & sanctificati erant; nullum dubium est, quin isti parvuli, aquis Diluvii  
universalis submersi, salutem æternam fuerint  
consecuti. Si etiam sermo fit de his hominibus,  
qui, incipiente Diluvio, pœnitentiam agere potuer-  
unt, donec aquis suffocati interirent, certum iti-  
dem est, illos, si revera pœnitentiam egerint, salu-  
tem æternam fuisse adeptos. Pœnitentiam autem  
aliquos ex his, qui universalis Mundi Diluvio per-  
ierunt, egisse, docere videntur S. Hieronymus in  
Libro Questionum Hebraicarum in Genesim, & in  
Caput I. Propheta Nabum, necnon Ruperius, Ab-  
bas, lib. 4. Commentariorum in Genesim cap. 16.  
Ait, ipse, cum aliis doctissimis Scripturæ Sacrae In-  
terpretibus, existimo, nullos ex his, qui in hoc ge-  
nerali Mundi naufragio extinti sunt, pœnitentiam  
egisse, ac subinde illos omnes æternam damnatio-  
nem incuruisse. Tantum enim abest, ut Scriptura  
nullibi innuat, aliquos ex his, qui Diluvio Noeticó  
perierunt, scelerum suorum pœnituisse, ut potius  
Evangelista Lucas cap. 17. v. 27. contrarium aperte  
testetur his verbis: *Edebant, & bibebant, uxores du-  
cebant, & dababant ad nuptias, usque in diem, qua  
intravit Noe in Arcam, & venit Diluvium, & per-  
didit omnes.* Quapropter, sicut non licet asserere ali-  
quos, vel ex Sodomitis, qui incendio perierunt,  
vel aliquos ex Ægyptiis, qui in Mari rubro de-  
mersi sunt, vel aliquos ex his, quos cum Core,  
Dathan, & Abiron dehiscens terra absorbuti, pœni-  
tentiam egisse, quia de illorum pœnitentia altum  
est in Scriptura Sacra silentium; ita nulli affir-  
mare fas est, aliquos ex his, qui tempore Noemi  
in generali Mundi Diluvio interierunt pœnitentiam  
egisse, quia de illorum pœnitentia filet omnino Scri-  
ptura Sacra; nec debemus certo quidquam prou-  
niare, cujus in sacris litteris ne vola quidem, ac vel  
minimum reperitur vestigium, alioqui procacibus  
quibusdam ingenis in Sacrarum Scripturarum in-  
terpretatione amplissimum ariolandi, vanisque in-

dulgendi conjecturis aperiretur ostium. Probabilius  
itaque esse cenfeo, omnes homines, qui universalis  
Diluvio perierunt, æternam damnationem incurris-  
se, tum quia, silente Scriptura Sacra, dicere hand  
possimus, quemquam illorum pœnitentiam egisse;  
tum quia etiam, juxta doctrinam Sanctorum Pa-  
trum, quemadmodum hi omnes, nullo excepto, qui  
extra Ecclesiam moriuntur, per temporalem mortem  
transiunt ad æternam, ita quicunque extra Arcam  
Noemi perierunt, æternum perierunt. Absurdum  
quippe est, & Scriptura Sacra auctoritatibus penitus  
contrarium, dicere impios, de peccatis suis pœni-  
tentiam non agentes, æterrī suppliciis non puniri,  
quia poenis temporalibus in hac vita plectuntur.

D. Quoto anno Mundi contigit Diluvium uni-  
versale Noeticum?

M. Hæc difficultas, propter Hebræorum, Greco-  
rum, & Samaritanorum Codicum in annis Patriar-  
charum antediluvianorum numerandis discrepantiam,  
satis intricata est, nec tam facile dirimi potest. He-  
bræi namque ab ortu Mundi usque ad Diluvium nu-  
merant dumtaxat annos 1656. Graci autem, seu 70.  
Interpretes, a creatione Mundi usque ad Diluvium  
subducunt annos 2242. vel 2262. Samaritani deni-  
que ab exordio Mundi usque ad Diluvium nume-  
rant annos 1307. De hac calculorum discrepantia  
doctissimi Chronographi, & Theologi magno ani-  
morum æstu, hoc nostra præsentim tempestate inter-  
se se digladiantur, altercantur, tumultuantur; alii  
Textum Hebreum, ac subinde Hebræorum calcu-  
lum Versioni, & calculo 70. Interpretum antepo-  
nentibus; alii e diverso statutis pro Versione, &  
calculo Græcorum, seu 70. Interpretum. Qui cal-  
culum Hebræorum probant, mendosam & interpo-  
latam esse 70. Interpretum Chronologiam perten-  
dunt. Qui vero 70. Interpretum Epilogisimum tuen-  
tur, corruptum, & adulteratum fuisse Textum, ac  
calculum Hebræorum dicunt, & utrique suas varias  
conjecturas proponunt. Longior certe essem, si hanc  
quaestione, quæ amplissimam præbet disputandi ma-  
teriam, in præsentia vellem accurate, pro eo ac  
meretur discutere. Consultius me facturum puto, si  
te remittat ad Dissertationem, quæ est ordine quin-  
ta, inter alias Dissertationes, quas edidi in libro  
*De Mysteriis, & annis Jesu Christi Servatoris nostri*,  
quem Romæ anno 1724. secundis curis adornatum  
publicam in lucem enifi. In hac quippe Disserta-  
tione multis momentis evinco, Chronologiam Tex-  
tus Hebrei, in numerandis annis Patriarcharum ante-  
& post Diluvium, præferendam esse calculo Co-  
dicum Græcorum, & Samaritanorum, ibidemque  
omnibus objectionibus, quæ vulgo proponi solent,  
abunde facio satis.

D. Cum librum, quem lucubrasti, *De Mysteriis,*  
& *annis Jesu Christi*, nunc ad manum non habeam,  
optarem, ut compendio hic præcipua proferres mo-  
menta, quibus probari potest, Textus Hebrei Chro-  
nologiam in supputandis annis Patriarcharum primæ,  
& secundæ ætatis præponi debere calculo Codi-  
cum Græcorum, seu 70. Interpretum, & Samarita-  
norum.

M. Inter præcipua momenta, quibus probatur,  
Chronologiam Textus Hebrei in numerandis an-  
nis Patriarcharum primæ, & secundæ ætatis ante-  
poni

poni debere calculo Codicum Graecorum, seu 70. Interpretum, & Samaritanorum, hæc sunt, quæ hic summatis perfingam. Primo, quia cum Chronologia Textus Hebræi, qui est Scripturæ Sacrae Textus primigenius, optime consentit Editio vulgata, quæ a Concilio Tridentino fuit Authentica declarata, & qua universa nunc utitur Ecclesia Catholica. Credibile autem non est voluisse Ecclesiam approbare in Editione vulgata Chronologiam Textus Hebræi in supputandis annis Patriarcharum primæ, & secunda ætatis, si ea Chronologia corrupta, ac mendosa esset. Præterea, Chronologia, quæ est in Codicibus Græcis, seu 70. Interpretum, & in Pentateuchō Samaritanorum, multis scatet erroribus, sicut superiori obseruavimus in annis *Mathusalem*, quem Codices Græci superstitem faciunt, quatuordecim annis post Diluvium, quod e diametro opponitur Scripturæ Sacrae. Codices Samaritani ab initio Mundi usque ad Diluvium, percensent tantum annos 1307. qui annorum numerus, ut satentur omnes, contractor est, & longævæ Patriarcharum ante Diluvium vita plures admittit annos. Denique, omnium Hebræorum animis tantus semper infudit ardor sacros conservandi libros, & cavyendi, ne quod in ipsis, vel minimum irrepereret mendum, ut paratos se exhibuerint mortem potius oppetere, quam in eorum depravationem consentire. Quo fit, ut audiri non debeant, qui aurem fabulis præbentes, dicitant, Hebræos, odio in Christianos percitos, Chronologiam Textus Hebræi de industria corrupisse. Sane, si Hebræi propter odium quo prosequuntur Christianos, voluissent sacros suos corrumpere libros, tam nefandum scelus non attentassent in Chronologia, sed in Vaticiniis, quæ de venturo Messia cecinerunt Prophetæ, quæque in Jesu Christo, vero Messia, adamussim fuisse completa antiqui Christiani Sole clarius contra Judæos demonstrabant; in his, inquam, corrumpendis Prophetarum de venturo Messia oraculis omnem suam operam, artem & industriam posuissent Judæi, non vero in corrumpenda Chronologia Sacra, quæ nul-

lum Christianis ad probandum Messiae adventum efficax poterat suppeditare argumentum. Non enim solebant antiqui Christiani disputare contra Judæos calculatorii, seu e Chronologia petitis argumentis, sed ipsis obiciebant Prophetarum vaticinia, quæ illorum jugulum petebant, eosque ita ad incitas redigebant, ut ad illa nec hincere, nec resistere possent. Cum igitur Judæi hæc Prophetarum vaticinia, quæ Christianorum doctrinæ de adventu Messiae aperte suffragantur, nunquam adulteraverint, sed illa adhuc integra, & illibata in Sacro Textu Hebræo conservent, quamvis ea, ne Christum esse verum, & a Prophetis prædictum Messiam fateri cogantur, sinistris, & violentis interpretationibus in alium sensum obtorto collo inflectere, ac detorquere frustra moliantur; qui, quæso, credibile erit, Judæos voluisse vitiare Chronologiam Sacri Textus Hebræi, quæ ipsis nec quidquam nocuissent, nec Christianis aliquid præsidii adversus ipsos affere poterat? Id sane abhorret ab omni veri specie. Præterquamquod impossibile videtur, Judæos per totum, qua late patet, Orbem, maxime post passionem Christi, dispersos, & in varias Sectas, videbile Samarianorum, Saduceorum, Caraitarum Rabbanistarum, Phariseorum, &c. distractos, in depravationem Sacrae Chronologiae Textus Hebræi consenserit, tamque sacrilegum facinus aggredi potuisse, etiam si voluissent. Sed de Chronologis Sacri Textus Hebræi integritate plura leges in prælaudata Dissertatione nostra.

D. Ut discrepantiam Codicum Hebræorum, Graecorum, & Samarianorum in numerandis annis prima ætatis, seu Patriarcharum ante Diluvium, uno oculorum conjectu videre possim, rem mihi gratissimam faceres, si hic Tabulam Chronologiam subnecteres, quæ generationum Patriarcharum antediluvianorum annos; juxta Codices Hebræorum, Graecorum, & Samarianorum accurate notaret.

M. Quandoquidem hæc, quam postulas, Tabula Chronologica nonnihil lucis affere potest his, quæ haecenus diximus, eam oculis subjiciamus.

### T A B U L A C H R O N O L O G I C A.

*Complectens annos generationum Patriarcharum antediluvianorum, juxta Codices Hebreorum, Graecorum, & Samarianorum.*

Adam genuit	juxta codices Hebreos.	Juxta codices Graecos.	juxta codices Samarianos.
Seth	130.	230.	130.
Anno ætatis sue	105.	205.	105.
Seth genuit Enos.	90.	190.	90.
Enos genuit Cainan.	70.	170.	70.
Cainan genuit Malaleel.	65.	165.	65.
Malaleel genuit Jared.	162.	162.	62.
Jared genuit Enoch.	65.	65.	165.
Enoch genuit Mathusalem.	187.	167.	67.
Mathusalem genuit Lamech.	182.	188.	53.
Lamech genuit Noe.	600.	600.	600.
Diluvium cepit Noe annos nato.			
Summa annorum a creatione mundi usque ad Diluvium.	1656.	2242.	1307.
		vel 2262.	

D. Video sane magnam calculorum discrepaniam, quæ in numerandis annis Patriarcharum prima ætatis, idest, a creatione Mundi usque ad Diluvium, reperitur inter Codices Hebreos, Graecos,

& Samarianos. Sed quia Concilium Tridentinum approbat in Editione vulgata, quam sequitur Catholica Ecclesia, Chronologiam Codicum Hebreorum, eamque præfert calculis Codicum Graecorum, & Sa-

& Samaritanorum, etiam, atque etiam te rogo, ut aliam hic inferas Tabulam Chronologicam, quæ, juxta Chronogiam Textus Hebræi, decem primorum Patriarcharum ab exordio Mundi ad Diluvium usque stemma, & annorum vitæ summam complectatur.

M. En aliam, quam tibi exhibeo, Tabulam Chronologicam, in qua, juxta Chronogiam Textus

Hebræi, accurate notantur anni Mundi, quibus decem Patriarchæ ante Diluvium nati, & mortui sunt. Indicatur etiam quanto anno vita sue decem illi Patriarchæ ante universale Diluvium genuerint; quot annos vixerint, postquam genererunt; & denique quot annos in universum vixerint. Quorum notitia tibi circa annos decem Patriarcharum ante diluvium abunde sufficere debet.

Tabula Chronologica decem Primorum Patriarcharum ante Diluvium stemma, & annorum vitæ summam complectens.

	Natus est anno Mundi.	Genit anno vita sua.	Vixit postquam genit.	Vixit in uni- versum.	Obit anno Mundi.
Adamus	1.	130.	800.	930.	930.
Seth	130.	105.	807.	812.	1041.
Enos	235.	90.	815.	905.	1140.
Cainan	325.	70.	840.	910.	1225.
Mahaleel	395.	65.	830.	895.	1290.
Jared	460.	102.	800.	962.	1422.
Enoch	622.	65.	300.	365.	987.
Mathusalem	687.	187.	782.	969.	1656.
Lamech	874.	182.	595.	797.	1651.
Noe	1056.	1500.	450.	950.	2006.
Diluvium			Cœpit anno Mundi 1656.	Dura- vit anno 1.	Desist anno Mundi 1657.

D. Votis mei plenissime fecisti satis. Quapropter, si nihil aliud de decem Patriarchis, qui vixerunt ante Diluvium, tibi superfit dicendum, hic finem ultimo colloquio nostro in Historiam primæ Mundi ætatis imponemus.

M. Ne quidquam horum prætermittamus, quæ Historiam spectant primæ Mundi ætatis, seu Patriarcharum ante Diluvium, velim ut sub finem hujus nostri Colloqui observes, Adamum, ejusque filium Abelem, necnon Patriarcham Noemum, Jesu Christi, Salvatoris nostri, verique Messiae, typum gessisse, ut inde intelligas, horumce Patriarcharum Gestæ in Christum collimasse, eumque venturum significasse. Ordinar autem ab Adamo, qui fuit primus omnium Parenst, quique Jesu Christi typum gessit, sicut ex hac, quam subjicio, comparatione Adamum inter & Jetum Christum liquido patebit. In primis, Adamus sexto die creatus est: Jesus Christus sexto die mortem subiit. Adamus ad imaginem Dei creatus est: Jesus Christus est imago Dei invisibilis, & figura substantia ejus, & speculum sine macula Dei Majestatis, & imago bonitatis illius, ut inquit Apostolus Paulus. De terra virgine factus est Adamus: in pueræ Virginis Mariae utero conceptus est Jesus, & ex eo, illibata manente Matris Virginitate prodivit. Adamum iussit Deus dominari piscibus Maris, & voluntibus Cæli, & universis animantibus, quæ moverunt super Terram: Jesus Christus prædicat, datum

Hist. Ver. Test. Tom. I.

sibi esse omnem potestatem in Cælo, & in Terra. Conjugium Adami, & Eva, individuum Christi Jesus, & Ecclesiæ coniubium referre auctor est Apostolus Paulus in Epistola ad Ephesios cap. 5. Eva sua suum commissum est peccatum: Mariae Virginis partu ortum est peccati remedium. Per lignum morti nos tradidit Adamus: per lignum, vitæ nos restituit Jesus Christus. Fructum arboris, per quem bonum, & malum noscebatur, deguflat Adamus: De Christo Jesus prædictis Isaia: Butyrum, & mel comedet, ut sciat reprobare malum, & eligere bonum. Nudus peccavit Adamus: Nudus peccatum in Cruce reparavit Jesus Christus. Post admisum peccatum e Paradiso terrestri exiit Adamus: Post reparatum peccatum in cælestem Paradisum introiit Jesus Christus. Dormente Adamo, creaturæ Eva: moriente Jesu, nascitur Ecclesia. Ex Adamo, & Eva nascuntur homines: ex Jesu Christo, & Ecclesia renascuntur homines.

Alteram Jesu Christi figuram exhibet nobis Abeli, & Caini, filiorum Adami, historia. Quemadmodum enim Abeli, integerimo viro, Caini, fratri, invidiæ conflavit eximia, qua pollebat, pietas; ita Jesus Christo, omnium hominum innocentissimo, fratrum Iudaorum odium virtutes sua pepererunt. Fuit Abel ovium pastor: Jesus Christus fuit pastor hominum. Abeli mortem parat Cainus: Jesus Christo mortem consiſcant Judæi. Abelem foras ad mortem edu-

E cit

cit Cainus : Jesum Christum Judæi ad supplicium extra Hierosolymam rapiunt. Vox sanguinis Abelis clamat ad Deum de terra : De Jesu Christo ait Apostolus Paulus in Epistola ad Hebraeos : *Accessisti ad Testamenti Novi Mediatorem Jesum, & sanguinis aspercionem, melius loquentem, quam Abel.* Hanc Caino pœnam, ob perpetratum flagitium, irrogat Deus, ut derestabilis, & exosus sit omnibus in terra hac, quam fraterno sanguine respergit : Judæi omnibus invisi, & execrabilis sunt, præsertim in Ecclesia Christiana, quæ Jesu Christi sanguine lata, ac mundata est. Futurum præterea addidit Deus, ut terram a se foedatam vanis laboribus Cainus exerceat, nullos ipsi fructus, opera pretium reddituram : adeo etiam deplorandam videmus perfidorum Iudaorum fortè ac conditionem, ut priscam, & jampridem antiquatam Synagogam, necnon abrogatos ejus ritus frustra concebrent, nec quidquam proficiant ad salutem. Exilio quoque Cainum multat Deus, patriisque extrudit sedibus, sic tamen ut tutum, & incolument ei vitam præstet : profugi passim, & extorres errant Judæi, nec penitus tamen excluduntur. Signo quodam Cainum notavit Deus, quo agnitus mortem effugeret : Judæi, qui per immanitatem, post homines natos maximam, Jesum Christum in Crucem egerunt, certo colore, vel nota insignes variis in locis esse jubentur, quo ab aliis discernantur. Plura circa hanc comparationem Abelis, & Jesu Christi leges apud *Rupertum Abbatem Tuitensem lib. 3. Comment. in Genesim cap. 6.*

Denique, in Patriarcha Noemo typum Jesu Christi habemus. *Noemi* quippe nomen significat consolationem, & quietem : id de se pollicitus est Jesus Christus, dicens : *Tollite jugum meum super vos, & discite a me, quia misericordia sum, & humilis corde, & inveniatis requiem animabus vestris.* Matth. cap. 11. Præterea, *Noemus*, sicut legitur cap. 6. Libri Geneeos. *Invenit gratiam coram Domino : Noe vir justus, atque perfectus fuit in generationibus suis, cum Deo ambulavit : Jesus Christus proficiebat sapientia, & gratia apud Deum, & homines,* cap. 2. Evangelii Lucae. Terras inundante Diluvio, totumque genus humanum delente, hiantum instantem perniciem evaserunt, quos servavit *Noemus* in Arca : gracilante in Mundo peccati lue, hominesque in certum interitum adducente, illi dumtaxat fuere ab imminenti exitio liberati, quos Jesus Christus efficaciter salvos esse voluit ; nec enim aliud, (ut dicitur Act. Apostol. cap. 4.) nomen est sub Cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. Extra Arcam *Noemus* omnes perierunt absorpti aquis Diluvii : Extra Ecclesiam, quam Christus instituit, nulla est salus, vita, & gratia sanctificans : *Noemus*, nudarus a Chamo, filio suo, irrisus est, cum interea filii ejus duo, *Semus, & Japhetus*, singularem ei pietatem, ac reverentiam præstiterunt, indeque factum est, ut *Noemus* diris devoverit *Chamum*, duobus vero aliis filiis suis fausta omnia fuerit appreca-tus : Jesus Christus nudus in Cruce pendens, ab Israele, filio suo, habitus est ludibrio, cum verus Israel, & populus gentium, ejus quoque filii, in ipsius obsequium, & cultum concederint, & id-

circo Deo ille, seu populus Judaicus, abominabilis factus, extrema per omnia infelicem vitam trahit, dum hic populus verorum Israelitarum, & Gentium, Jesu Christi doctrinam suscipientium, evasit Deo gratus, & acceptus. Denique, Arca *Noemii* paucos a Diluvio liberavit, & animalia munda, & immunda continebat : in Ecclesia Jesu Christi, si advertatur cæterorum hominum, qui sua culpa pereunt, ingens multitudo, pauci salvantur, indeque Christus saepius dicit, salutem esse paucorum, & arcam esse viam, qua dicit ad cælum. Ecclesia etiam Jesu Christi complectitur homines bonos & malos, justos & peccatores, non secus ac frumentum cum palea invenitur in area, & boni ac mali pisces concluduntur in fageno.

D. Ecur, quæso, voluit Deus, ut tot typis, ac figuris etiam ab initio Mundi prænunciaretur, & adumbraretur Jesus Christus, qui tamen post expletum dumtaxat quartum Mundi millenarium prodidit in lucem ?

M. Cum Christus sit Deus simul & homo, qui redemptio-nis generis humani ineffabile Mysterium in terris implere debebat ; oportuit, ut post peccatum Adami, hoc est ab ipso Mundi exordio prædiceretur, multisque typis ac figuris, quasi prævio quodam ad ostium suum apparatu, terris ostenderetur. Hinc non solum voluit Deus, ut Patriarchæ dictis, & factis suis Jesum Christum, verum Messiam a Deo promissum, reprezentarent, sed etiam, dum omne humanum genus in vitium rueret, elegit numerosam gentem, seu Judaicam, cui Leges, Ritus, Cæremoniæ, & Sacrificia præscripsit, quibus promissus Christus, dignitas ejus, opera, vita, & mors, prænunciarentur, & significarentur, sive, dum gens Judaica hunc promissum Servatorem exspectaret, eadem spe totus Orbis impleretur, huicque excipiendo aliquando homines bene præparati essent : *Per multam seriem temporum prædicendus fuit Christus : Non enim aliquid parvum venturum fuit. Diu fuerat prædicendus, semper tenendus. Quanto major iudex veniebat, tanto præconum longior series precedebat, sunt verba. S. Augustini Tractatu 31. in Joannem. Sed de typis ac figuris, quibus adumbratus fuit Jesus Christus, antequam ejus vultus toti terrarum orbi fulgeret, plura opportunius dicemus in nostris Colloquiis, in quibus agemus de Lege Molæica, cuius ritus, cæremoniæ Festa, & Sacrificia in Jesum Christum venturum collimabant, eaque ad illum significandum, seu, ut ita loquar, ad viam ejus adventui sternendam, fuerunt a Deo instituta, disposita, & ordinata. Finem itaque huic ultimo nostro Colloquio in Historia prima Mundi ætatis, quæ incipit a creatione Mundi, & protenditur usque ad diluvium, imponamus. Crastina autem die aggrediemur hora secunda pomeridiana Hiscriam secundæ Mundi ætatis, quæ incipit a diluvio universalis Noetico, & producitur usque ad vocacionem Abrahami. Tu vero, quæ in tribus Colloquiis in Historiam primæ Mundi ætatis haec tenus diximus, saepius ruminari, & memoria tuae trabali clavo penitus infigere debes.*

# HISTORIA

## SECUNDÆ MUNDI ÆTATIS,

*Quæ initium babet a Diluvio Universali Noetico, & producitur usque ad vocationem Abramini.*



OST universale Diluvium tres filii Noemi, videlicet *Semus*, *Chamus*, & *Japhetus*, genus humanum; quod erat aquis Diluvii pene extinctum, repararunt, & ex his orti sunt omnes populi. Qui autem ex his tribus Noemi filiis proximæ nati sunt, aucto hominum numero, de discessu in varia terræ regiones cogitarunt; sed prius maximæ altitudinis turrim *Babel*, seu *Confusione*, quæ omnibus perfugii loco esse posset, si novum Deus moliretur Diluvium, audaci conatu inchoarunt, perficere tamen haud potuerunt, Deo immensæ illius molis fabri-  
cam momento temporis interrumpente, & linguam communem, qua utebantur, in plures linguas dividente, quo factum est, ut sublato illo, quo inter se se devinciebantur iti postdiluviani homines, loquela commercio, aliis in alias terras commigrandi incubuerit necessitas. Sed etiamsi locis dissiti, & sermone essent divisi, in hoc tamen conveniebant, quod moribus perdit in flagitia, & fordes ruerent, omnibus scelerum generibus essent mancipati, neglectoque solius Dei veri cultu, Idolis servirent. Nonnullos tamen in tanta malorum colluvie illibatos & puros servavit sibi Deus, quos inter eminet *Abrahamus*, qui specialiter electus est, ut esset pater credentium. In vocatione Abramini definit secundæ Mundi ætatis Historia, quam in tribus, quæ instituemus, colloquiis, diligenter examinabimus. In primo colloquio agemus de his, quæ spectant Historiam secundæ Mundi ætatis. In altero Colloquio discutiemus quædam dubia, quæ circa secundæ Mundi ætatis Historiam proponere solent Scripturæ Sacræ interpretes. In postremo referemus Patriarcharum postdiluvianorum Gesta, & aliquot difficultatibus, quæ circa illorum vitæ annos, vel circa illorum dicta aut facta occurrere possunt, breviter faciemus satis.

# C O L L O Q U I U M

## P R I M U M.

*In quo agitur de his, quæ spectant secundæ Mundi Ætatis Historiam.*

**D**ISCIP. **A** te, observande Magister, hora, quam præfixisti heri, secunda po- meridiana, non tam accurri, quam advolavi, ut in eo, quod hodie habituri sumus, colloquio per- discere possim omnia, quæ ad Historiam secundæ Mundi ætatis, hoc est, a Noetico Diluvio usque ad vocationem Abrahami, attinere possunt.

**M**. Optato sane & in tempore advenisti, nec enim hodie in meo Museolo fiet nostrum collo- quium, sed in meo prædiolo rusticano, quod pro- cul a nobis non distat, & quo ipse me recipere so- leo, quoties me urbis cœpit satietas. Hoc prædio- lum, ceu Colloquio nostro locum peropportu- num, destinavi, non solum quia cæli affulgens serenitas ad prodeambulandum invitat, verum etiam, quia in horto istius prædioli extat copio- sum pomarium, proceris querubus, & rivo limpi- dissimo cinctum. Adeit etiam, inter alias arbores, Pirus, quæ triplicem nobis voluptatem ministrabit; Nam ut est procta satis, & patulis diffusa ramis, amoenissimam proflua umbram præbebit, & frondibus opacis æstum facile propulsabit. Præ- terea, ut est anni vernum tempus, non oculos modo flosculorum adspectus pascet, sed etiam na- res gratissimo odore recreabit; ut nihil in pra- sentia dicam de aura, quæ ibi spirat, saluberrima, de leni murmure rivi, qui circum labens to- tum hortum irrigat, & de variis herbarum vi- rentium, graminumque flosculis versicoloribus di- stinctorum, speciebus. In hoc amoenissimo horto sub illa ingenti Piro commodissima sedilia inve- niemus, pulvilos quoque, si videbitur, adserri ju- bebo.

**D**. Delectat me valde hæc amoenissimi loci tam eleganter a te collaudata species. Huc itaque, abjecta omni cunctatione, nos conferamus, ut humi juxta rivum in gramine procumbentes colloquium nostrum incipiamus.

**M**. Ne, inter cœendum hac, tempus inani ser- mone teramus, periculum facere vellem, an me- moria adhuc teneas Historiam primæ Mundi ætatis, quam tibi in superioribus colloquiis sat su- perque exposui; sic enim ad audiendam Historiam secunde ætatis Mundi, quam, dum ad hortum e- rimus appulsi, pertexam, preparatus magis ac- cedes.

**D**. Quando ita jubes, Historiam primæ Mundi ætatis compendiose descriptam inter deambulan- dum recitabo, ut inde intelligas, me omnem iti- dem curam & attentionem adhibitum, ut His- toria secunda Mundi ætatis, quam mox concinnatu- rus es, perpetuo memoriaz meæ infixa remaneat. En igitur Historia a creatione Mundi usque ad Diluvium, hoc est, primæ Mundi ætatis sy-

nopsim: Postquam Deus creasset cælum & terram, condidit tandem ad imaginem & similitudinem suam Adamum, & e costæ, quam ei detraxit, formavit Eam, ipsius conjugem. Hos primos pa- rentes nostros, quibus dederat Deus mentem ratio- ne pollentem, & in bonum natura sua conver- sam, collocavit in Paradiso voluptatis, omni bo- norum copia affluente. Ipsi vero, accepta ab o- mnipotenti conditore Lege observatu facillima, qua ligni scientia boni & mali fructus ipsis inter- dicebatur, externa dumtaxat persuasione, seu sug- gestione Diaboli, qui formam serpentis induerat, non interna concupiscentia, quæ neccum ipsis inerat, sollicitatione victi, primum Dei manda- tum, decerto ex arbore vetita fructu, eoque gu- flato, violarunt. Hinc prima totius labis ori- go. Hinc Adamus & Eva continuo nudos esse le erubuerunt. Hinc e Paradiſo terrestri fuerunt auctum a Deo expulsi, morbis & morti obnoxii facti, quos Deus creaverat immortales. Hinc ad summam miseriæ redacti, compulsi sunt vesci pane in sudore vultus sui. Hinc denique cœpit concupiscentia contra rationem pugnare, durumque deinceps in omnes homines, qui ab iis prognati sunt, imperium exercere. At Deus, qui dives est in misericordia, & cuius bonitas pra- valet hominum nequitia, primis Parentibus no- stris, statim ac lapsi sunt, promisit ex semine eorum nasciturum Messiam, seu Redemptorem, qui generi humano illata per primigeniam Proto- parentis Adami culpam damna cum scenore resar- ciret. Patuit autem confessim post peccatum primi omnium hominum parentis, corruptam ef- fet totam illius sobolem, & egere salvatore, qui non felum paupertati & miseriæ, sed & moribus corruptis mederetur. At enim Cainus, fi- lius Adami, & Evæ, invidia motus, occidit Abe- lem, fratrem suum. Dein, hominibus sceleratori- bus factis, Deus coactus est Mundum universali Diluvio perdere, uno excepto Patriarcha Noemo cum familia sua, qui iussi Dei ingentem fabri- cavit Arcam, qua, præter familiam suam, o- mnium animalium species servavit, ne perirent in aquis. Haec tenus, ut morem tibi gererem, com- pendiosam recitavi primæ Mundi ætatis narratio- nem, quæ nos sensim sine sensu ad hunc hortum perduxit, qui studiorum secessibus vel maxime videtur idoneus, quique limpidis suis fontibus, ac ripis smaragdinis, & opacis nemorum umbbris me plurimum exhilarat atque delectat. Age itaque, sedeamus, tu vero incipe secundæ Mundi ætatis Historiam, quam in numerato habes; tuam quippe no- vi memoriam, quam scio tibi esse commentarii vice. **M**. Historiam secundæ Mundi ætatis ordiar ab his

his , quæ immediate post Diluvium contigerunt , eamdemque Historiam continuabo usque ad vocacionem Abrahami , ubi definit secunda Mundi ætas . Tu vero , fac ut attento sis animo , neque circa ea , quæ intelligentia assequi haud poteris , apposite interroges .

D. Quid egit Noemus , postquam , exacto Diluvio , exiit ex Arca ?

M. Postquam Noemus anno ætatis suæ sexcentesimo primo , a creatione vero Mundi anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo septimo , ex Arca , orbe siccato , fuisset iussu Dei egressus , Altare Deo , ceu liberatori suo , erexit , eique in gratiarum actionem holocausta obtulit , quæ grata Deus habuit , ideoque Noemo , & ejus familia benedixit , promisitque , se non amplius universali diluvio defleturum genus humanum , dicens : Non igitur ultra percutiam omnem animam viventem si eu feci , Genesis c. 8. v. 21. statuam pactum meum vobis , & nequam ultra interficietur omnis caro aquæ diluvii , neque erit deinceps diluvium disipans terram , Genesis cap. 9. v. 11. Et non erunt ultra aquæ diluvii ad solendam universam carnem , ibidem , v. 15. Denique , Deus promisso suo de éluvione ulterius non immittenda adjecit fœdus Iride firmatum , quod dignatus est icere cum Noemo dicens : Arcum meum ponam in nubibus , & erit signum fœderis inter me , & inter terram ; sicut que factum est , ut qui ante diluvium erat tantum a natura pluvia signum , cælestis in nubibus arcus , evaserit post diluvium fœderis Deum inter & homines tessera , & quasi fidejussor diuino nutu fuerit constitutus ; ne unquam pari éluvione universum terrarum orbem Deus inundaret . Falsum igitur est quod dicitant nonnulli : Iridem nunquam fuisse ante diluvium universale ; nam ante diluvium fuit Sol , fuerunt pluviae , serenitates , nubes roscidæ , nubes opacæ , exhalationes , halitus , spiritus vagantes per Atmospharam , sicut modo ; alioqui progenies illa hominum , qui ejusdem speciei , temperamenti , atque complexionis quoad substantiam , erant sicut nos , quo pacto subsisteret potuisset , deficientibus his , quæ adeo necessaria experimur , cum ad nostram conservationem , tum ad segetum , plantarumque generationem ?

D. Dicebat mihi nuperime vir Historiæ Sacrae peritus , Deum contraxisse hominum post diluvium vitam ad annos centum viginti , juxta illud Scripturæ Sacrae : Dixitque Deus : non permanebit spiritus meus in homine in æternum , quia caro est ; eruntque dies illius centum viginti annorum . Addebat insuper vir ille eruditus , Deum , habita ratione imbecillitatis hominum post diluvianorum , eis permisisse eum carnium , quem hominibus ante diluvium prohibuerat , in cuius sententiæ confirmationem , hac verba Scripturæ Sacrae proferebat perdoctus ille vir : Omne , quod movetur & vivit , erit vobis in cibum .... excepto quod carnem cum sanguine non comedetis , Genesis cap. 9. v. 3. utrum autem hæc vera sint , & Scripturæ Sacrae consentanea , velim ut in præsentia me edoceas .

M. Utramque istius viri eruditæ sententiam , ut candide fatear , meo calculo probare haud possum . His. Ver. Test. Tpm. I.

Et primo quidem , hæc verba Scripturæ Sacrae , quæ lib. Genesis cap. 6. v. 3. leguntur : Eruntque dies illius centum viginti annorum , non innuant , Deum contraxisse post diluvium vitam hominum ad annos centum viginti , sicut nonnulli post Josephum Hebraum , lib. 1. Antiq. Judaicarum cap. 4. male interpretantur : sed hæc Scripturæ Sacrae verba : eruntque dies illius centum viginti annorum , indicant ipsitum , quod Deus hominibus ante diluvium concessit , pœnitentiam agendi , tanquam si Deus diceret : usque ad centum viginti annos iram meam in homines differam , ac precrastinabo ; si autem non resipiscant , & ad meliorem frugem sese recipere nolint , in eos diluvium inducam . Hunc esse genuinum illorum Scripturæ Sacrae verborum sensum evidentissime patet ex annis Patriarcharum post diluvium . Semus quippe , Noemi filius , qui tempore diluvii centum annos natus erat , vixit usque ad sexcentos annos . Innurerti etiam alii post diluvium longe ultra centum viginti annorum spatiū vitam produxerant , ut Sanctæ Literæ docent . Rejicienda itaque est hæc Josephi Hebræi , & aliorum ei adhærentium expositiō , quæ centum viginti annos hominibus post diluvium in vita terminum fuisse a Deo constitutos afferit , & intelligenda sunt hæc laudata Scripturæ Sacrae verba : Eruntque dies illius centum viginti annorum , eodem in sensu , quo explicantur hæc Prophetæ Jone verba : Adhuc quadraginta dies , & Ninive subvenietur . Alteram quod spectat sententiam , quam , at mox dicebas , propugnabat vir eruditus , affirmans , Deum dumtaxat post diluvium concessisse eum carnium , quem hominibus ante diluvium vetuerat hæc , inquam , non mihi idem probatur sententia . Ostendi siquidem in nostro secundo Colloquio in Historiam primæ Mundi ætatis , Deum nullum edidisse præceptum , quo prohibuerit hominibus ante diluvium eum carnium . Addam hic dumtaxat , credibile non esse , homines , qui , ut perhibet Scriptura Sacra , ante diluvium illicitis voluptatibus admodum dediti erant , a carnis abstinuisse , ex quarum immoderata comeditione prodeunt illæ voluptates , quæ ad gulam pertinent , & ventri ac libidini serviunt , in quibus illi toti erant ; crediderim ergo ipse , Deum non prohibuisse hominibus ante diluvianis eum carnium , sed tacite illorum eum eis tantummodo permisisse , & post diluvium factam fuisse a Deo aperte hominibus potestatem comedendi carnes , tum quia voluit Deus hac speciali concessa indulgentia homines post diluvianos ab éluvionis metu confirmare & recreare ; Tum quia etiam , terra diluvio effeta & deterior facta est , atque olera minus nutritiva , quam erant antehac : Tum denique , quia natura hominis post diluvium evasit fragilior & imbecillior , sicut ex contractiore vita eorum , qui post diluvium nati sunt , & quorum ætas in Sacris literis præscripta est , facile negotio intelligi potest .

D. Quid sibi volunt hæc verba : Excepto quod carnem cum sanguine non comedetis ?

M. Deus his verbis prohibuit hominibus post-diluvianis , ne membrum de animante adhuc vivo comedenter . Voluit etiam Deus , ut homines

abstinerent ab esu sanguinis animalium, quia eorum anima est in sanguine. Hanc legem de abstinentia ab esu sanguinis animalium, latam a Deo post diluvium, observant etiam num ad summos juris apices Judæi, qui ab esu sanguinis, & suffocati vehementer abhorrent. Eiusdem legis de abstinentia a sanguine animalium observationem commendarunt Apostoli, in Concilio Hierosolymitano, sic definites: *Visum est Spiritui Sancto, & Nobis, nihil ultra imponere vobis oneris quam hæc necessaria; ut abstineatis vos ab immolatis simulachrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione.* Hanc legem in exordio nascentis Ecclesiae promulgavit Apostoli, ut facilius conciliarentur Gentiles cum Judæis, & simul habitantes, in unum populum coalescere posset, sublati seim hiisca causis, quibus ab invicem dissociari, & alienari potuerint, qualis erat esus sanguinis, a quo Judei ex praecipto legis religiose abstinebant. At, cum jam a multis seculis Judæorum, & Gentilium discordia omnino desierit, & utriusque, Iesu Christi Fide illuminati, in ejus Ecclesiam coaluerint, hæc tandem lex de abstinentia a sanguine, quæ non perpetua, sed temporanea, seu ad tempus observanda erat, fuit in Ecclesia penitus abolita, extincta, & antiquata. Hic tamen obiter advertere debes, Deum, occasione illius legis de non comedenda carne animalium cum eorum sanguine, & de abstinentia ab esu illorum sanguinis, quam tulit post diluvium, aliud ad defestationem homicidii edidisse praecipuum, cap. 9. libri Geneseos his verbis conceptum: *Quicunque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius: ad imaginem quippe Dei factus est homo. Quasi Deus hominibus postdiluvianis sic diceret: No forte licitum putetis humanum sanguinem, sicut & bellunum effundere; denuncio vobis, quod quicunque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius, tantum abest, ut hominem, qui homicidii reus erit, impune abiire sinam.*

D. Fueruntne alia præcepta post diluvium a Deo data Noemo, ejusque filiis, quæ observare tenerunt?

M. Hebræorum Magistri, seu Rabbini, *Noachidas* vocant omnes Gentes, præter Hebræos, qui *Abrahamiæ*, vel potius *Israelitæ* vocari amant. Hi autem Rabbini dicunt, Deum tradidisse Noemo, ejusque filiis, septem præcepta, quæ ideo appellant *præcepta Noachidarum*, quæque pro jure naturali, seu jure omnium gentium, sumunt. Horum septem Noachidarum præceptorum primum præcipit unius solius Dei cultum, & damnat idolatriam. Alterum præceptum vetat, ne nomen Dei prophaneatur. Tertium prohibet, ne effundatur sanguis humanus. Quartum damnat illicitos concubitus. Quintum inhibet furtum. Sextum præscribit ut Magistratus & Judices constituantur, quibus onus incumberet de illis præceptis ferendi judicium, & commonendi populum de illorum observatione. Septimum denique Noachidarum præceptum prohibet, ne animalium caro cum sanguine comedatur. His septem Noachidarum præceptis adstringebantur quotquot erant intra Hebræorum portas, seu qui dicebantur

*Profelyti porte & domiciliis*, quique professione non erant Judæi, seu Legem Molæcam non sectabantur. Neque enim cuiquam fas ac licitum erat cum populo Dei, idest, Israelitico, commoranti, sine iustitia, hoc est, absque illorum septem Noachidarum præceptorum observatione, vivere; sicut testatur Maimonides, cap. 3. ubi hæc habet: *Tenemur interficere omnes Gentiles qui nolunt recipere præcepta Noachidarum, si sint in potestate nostra.* Et paucis interiectis, subdit: *Jussit Moyses, a Deo edictus, ut cogeremus unumquemque, qui in Mundum venerit, suscipere in se præcepta Noachidis data, & quicumque ea non suscipiet, interficietur; qui vero ea in se suscipit, vocatur Profelytus domiciliis in quocunque loco. Obligatus autem ea in se suscipere coram tribus viris dictis.* Sed de his septem Noachidarum præceptis & de Hebræorum Profelytis, qui illorum observatione obstringebantur, plura leges apud jam citatum Maimonidem in suo Tractatu de Profelyto.

D. Legam, si aliquando mihi per otium liceat, hunc Maimonidis Tractatum. Interim, perge, si placet, referre cætera, quæ Noemum, ejusque filios spectant.

M. Terram studiose coluit Noemus, atque vienam sua manu levit. Unde (inquit Lactantius cap. 14. lib. 2. Institutionum Divinarum) arguuntur, qui auctorem vini Liberum, seu Bacchum putant. Ille enim, seu Noemus, non modo liberum, sed etiam Saturnum, atque Uranum multis antecessit etatibus. Ex vinea, quam plantaverat Noemus, cum primum fructum cepisset, latus factus, bibit usque ad ebrietatem, jacuisse nudus. Quod cum vidisset unus ex filiis suis, cui nomen fuit Cham, non texit patris nuditatem, sed egressus etiam fratribus suis, videlicet, Semo, & Japheto, indicavit. At illi, sumpto pallio intraverunt aversis vultibus, patremque texerunt. Quæ cum facta expergescitus recognovisset pater, imprecatus est non filio suo Chamo, sed Chanaani, filio Chami, dicens, *Maledictus Chanaan, servus servorum erit fratribus suis;* benedixit vero Noemus aliis duobus filiis suis Semo, & Japheto, sicut legitur cap. 9. libri Geneseos.

D. Duo hic, cum bona tua venia, proponam Dubia. Primum est, an ebrietas, in quam Noemus, hausto niuum vino, incidit, ei debeat vitio verti, fueritque vere peccatum? Alterum Dubium est, cur Noemus intorserit maledictionem in Chanaan, filium Chami, & non in ipsius patrem, seu Chamum, qui Noemum, Patrem suum, jacentem nudum, & verenda sua monstrantem derisit, eumque fratribus suis deriderendum propinavit?

M. Ebrietatem Noemi non fuisse peccatum, constans est Sanctorum Patrum Sententia. Alii quippe, quos inter censemur Hieronymus, & Augustinus, docent, Ebrietatem Noemi mysticam fuisse, idest, Deum in ebrietate Noemi typum dare voluisse impletum in Iesu Christo, Salvatore nostro. Sic enim loquitur S. Hieronymus in libro contra Luciferianos: *Egressus ex Arca Noe vineam plantavit, & bibens de ea inebriatus est. Natus quoque in carne Christus Ecclesiam plantavit, & passus*

*paffus est. Nudatum patrem irrisit major filius, & minor texit. Deum crucifixum irriferunt Judici, honorarunt Gentiles. His gemina habet S. Augustinus lib. 16. De civitate Dei cap. 1. Alii vero SS. Patres hanc ebrietatem Noemi non fuisse peccatum asserunt, videlicet S. Cyrilus Alexandrinus lib. 2. in Genesim, Theodoretus Quæst. 56. in Genesim, Chrysostomus Homil. 29. in Genesim, Ambrosius lib. de Noe & Arca cap. 29. Rationes autem, quibus illi Sancti Patres excusant Noemi ebrietatem, haec sunt: quod Sancti illius Patriarchæ inopinata ebrietas fuit, ut loquitur S. Cyrilus: quod ab imperitia proficisciatur haec passio, non ab intemperantia sicut ait S. Chrysostomus, quia, inquit, neque ille gustaverat prius, neque alium sciebat, qui gustasset, ignarus qua mensura uti debebat, per ignorantiam incidit in ebrietatem. Cum igitur involuntarium sit, quod fit ex inculpata ignorantia, & nullum sit peccatum, nisi voluntarium sit, sequitur, ebrietatem Noemi non fuisse peccatum, utpote quæ involuntaria prorsus fuit. Ad alterum, quod proposuit, Dubium, respondet Theodoretus, Chanaam, filium Cham, fuisse primum, qui Noeum avum suum, dormientem, & indecorum nudatum animadvertisit nec officiose, ut par erat, eum cooperuisse, sed irrisisse, totamque rem ad patrem suum Chamum inverecunde & cum rigore detulisse, neque ipsum a Patre de humanitate in parentem increpitum fuisse, sed & ipsum quaque derisisse; eaque de causa Chanaam, filium Cham, improbisissima derisionis primum auctorrem, fuisse ab avo suo, seu Noe, maledictione perculsum. Addo etiam, Noeum non maledixisse filio suo Cham, sed Chanaani, filio Cham, quia Deus Cham, aliisque duobus filiis Noemi benedixerat, quando egressi sunt ex Arca; non conveniebat igitur, ut Noeum malediceret filio suo Cham, cui Deus benedixerat: Tum quia etiam, si Noeum maledixisset filio suo Cham, ea maledictio incidisset in omnes filios Cham, cui tamen Deus illos subiectere nolebat, sed tantum progenies Chanaani, filii Cham, & irrisoris sui avi Noemi.*

D. *Semum, Chamum, & Japhetum, fuisse filios Noemi jam probe scio, sed a te scire optarem primo, an Semus sit revera primogenitus filiorum Noemi? Secundo, an Noeum præter tres illos filios, quos genuit ante diluvium, alios procreaverit post diluvium?*

M. Quinam inter tres illos Noemi filios ordinare servari debet? Seu quinam sit filiorum Noemi primogenitus? Incertum omnino est, ac lis sub iudice adhuc pendens. Alii existimant, Semum esse primogenitum filiorum Noemi eo præfertim ducti argumento, quod quoties Scriptura Sacra recenset filios Noemi, semper Semum primo reponit loco. Verum, haec mihi non placet conjectura, quia Scriptura Sacra percensendo filios Noemi, primum numerat Semum, non quidem ordine naturæ, sed habita ratione ejus dignitatis, cum ex ipso, seu ex ipsius familia proditurus esset Jesus Christus verus Messia. Ex Semo, inquit Sanctus Augustinus lib. 16. de Civita-

te Dei, Patriarchæ, & Prophetæ, Christus ipse & Apostoli; ex Japhet Gentes prodierunt, & utriusque in idem corpus Ecclesiæ coierunt. Certe, nemo negare potest, Scripturam Sacram, dum recenset filios Noemi, secundo loco ponere Chamum, qui patris sui Noemi fuit irrisor, & tamen Chamum fuisse juniores Japheto, quem Scriptura Sacra inter filios Noemi ultimo loco collat, testatur eadem Scriptura Sacra v. 24. cap. 9. libri Genesis, ubi haec habet: *E vigilans autem Noe ex vino, cum didicisset quæ fecerat ei filius suus minor, idest, Chamus, patris sui Noemi irrisor.* Non ergo ex Scriptura Sacra certo evinci potest, Semum fuisse primogenitum filiorum Noemi. Immo potius probabilius, mea quidem sententia adstrui potest auctoritate Scripturæ Sacra, Japhetum esse primogenitum filiorum Noemi. At enim, postquam Scriptura Sacra cap. 10. v. 1. libri Genesis. numeravit tres filios Noemi, dicens: *Hæ sunt generationes filiorum Noe, Sem, Cham, & Japhet,* statim a recensendis decem filiis Japhet exordium dicit, qui ordo præposterus esset, si Japhetus ordine naturæ fratres suos non ante vertisset, seu filiorum Noemi non fuisse primogenitus. In altero, quod proposuisti, Dubio, utrum Noeum aliquos post diluvium genuerit filios? Non est quod multum immoremur, cum Scriptura Sacra tres dumtaxat recenseat filios, quos ante diluvium procreavit Noeum videlicet Semum, Chamum, & Japhetum: *Tres isti sunt filii Noe, & ab his disseminatum est omne genus hominum, super universam terram,* Genesis cap. 9. v. 19. Si ergo ex Scriptura Sacra ex tribus istis Noemi filiis propagatum est omne genus humanum super universam terram, palam sequitur, Noeum nullos post diluvium genuisse filios, alioqui dicendum esset, illos filios, quos post diluvium genuisset Noeum, permanisse steriles, & improles obitum, quod sane tam absurdum est, quam quod maxime. Rejicienda itaque est sententia Cardinalis Cajetani, afferentis Noeum genuisse filios post diluvium; sed sibilo explodi debet Berossus Annianus, qui scribit, Noeum procreasse post diluvium plures filios, triginta scilicet Gigantes, quos ex nomine matris, quæ Titea dicebatur, Titanas appellavit. Apage fabulam. Sunt quidam alii Scriptores, qui dicunt, Chamum, filium Noemi, intempestiva venere in Arca usum, genuisse filium dictum Chanaan. Sed contrarium diserte assertit Scriptura, quæ cap. 10. vers. 1. libri Genesios, postquam percensuit tres Noemi filios, Semum, Chamum, & Japhetum, continuo subiungit: *Natiq[ue] sunt eis filii post diluvium,* ergo filii Noemi, quos inter est Chamus, durante diluvio, procreandis liberis operam non dederunt. Præterea eodem in capite libri Genesios vers. 6. numerantur filii Cham: filii autem Cham, Chus, & Meſrain, & Phuth, & Chanaan. Si autem Chamus, durante diluvio, genuisset in Arca filium suum juniores, dictum Chanaan, jam ergo tres filios, Chanaane majores, videlicet Chus, Meſrain, & Phuth, procreasset ante diluvium, ac subinde tres illi filii una cum patre suo Cham exiit. E 4

sent in Arca , quod tamen opponitur Scriptura Sacrae , quæ cap. 3. Epistolæ primæ S. Petri octo tantum enumerat animas , quæ perstante diluvio fuerunt in Arca inclusæ ; scilicet Noemum , & ejus uxorem ; tres Noemi filios , *Semum* , *Chamum* , & *Japhetum* , earumque uxores . Addo etiam credibile non esse , grassantis diluvii tempore , quo Noemus , ejusque filii , in Arca conclusi , pœnitentia , precibus & lacrymis iram Dei placare debebant , voluisse *Chamum* indulgere libidini , & liberos intempestiva Venere procreare .

D. Non mihi verosimile videtur , totum genus humanum potuisse , a tribus dumtaxat Noemi filiis post diluvium ita propagari , ut omnes totius orbis nationes a tribus illis Noemi filiis originem duxerint .

M. Cum diluvium Noeticum fuerit universale , sicut sub finem nostri secundi Colloqui in Historiam primæ Mundi Ætatis ex Scriptura Sacra dilucide ostendimus , pro comperto habere debes , omne genus humanum , quod tempore diluvii , excepta Noemi familia extinctum est , a tribus Noemi filiis post diluvium ita fuisse reparatum ut ex illis singulæ universi orbis nationes prodierint . Ceterum , cum nimis longum esset hic assignare singulas nationes , quibus tres filii Noemi initium dederunt , ab his in præsencia recensendis superferdebo , tibique auctor sum , ut consulas viros eruditos , qui hoc argumentum de propagatione totius orbis nationum ex tribus filiis Noemi post diluvium fusi pertractarunt , quos inter Bochartus in libro suo , cui titulus est : *Phaleg* , seu in sua *Chronologia Sacra* majori studio , & eruditione laborasse , ceterisque Scriptoribus palmam præripuisse videtur .

D. Non possum adhuc conciliare Historiam Sacram cum Prophana , quæ , sicut nuperime audiavi a viro erudito , Ægyptiorum , Assyriorum , seu Chaldaeorum , & Sinarum antiquitates , Monarchias , & Regna longe ante diluvium Noeticum habuisse exordium narrat . Quod si verum sit , qui , quæso , fieri potuit , ut tres filii Noemi omnibus universi orbis nationibus post diluvium dederint anitium ?

M. Historiaz Sacrae authoritati induulse adhærente debes , nullamque prorsus adhibere fidem Ægyptiorum , & Chaldaeorum Historiis , quæ fabulosicatent , teste S. Augustino l. 12. *De Civit. Dei* c. 10. ubi dicit , non esse credendum litteris , quas Chaldaei , & Ægyptii plenas fabulosis Antiquitatibus proferunt contra Authoritatem vetustissimorum divinorumque librorum . Et lib. 18. *De Civit. Dei* cap. 40. ficticias Ægyptiorum Antiquitates his verbis refellit Doctor ille aquilinus : *Frustra vanissima presumptione gariunt quidam , dicentes : Ex quo rationem syderum comprehendit Ægyptus , amplius quam centuriæ annorum millia numerari . In quibus enim libris numerum istum collegerunt , qui non multum ante annorum duo millia litteras , Magistra Iside , didicerunt . His similia habet Laelius lib. 7. Divinarum Inst. cap. 14. ubi hæc habet : Chaldei quadragesinta septuaginta millia annorum monumentis comprehensa se habere delirant : in quo quia se posse argui non potabant , liberum sibi crediderunt esse*

mentiri . Denique si consulamus Scriptores Prophetas , aperte constabit , ipsos ne minimam quidem fidem habuisse hisce vanissimis , mendacissimisque Chaldaeorum Antiquitatibus , quas nobis tradiderunt . At enim Diodorus Lib. 2. pag. 83. affirmat , *Chaldaeos rei Astrologice scientia mortalibus universis precellere , & maximam huic speculationi operam tribuisse . At numerum annorum , quibus Mundi se considerationi vacasse Collegium Chaldaeorum aſſeverat , haud facile credideris . Nam ad expeditionem Alexandri in Asiam quadringenta , & septuaginta tria millia annorum numerant , ex quo sydera obſervari cœptum est .* Quiſ ergo non videt , Ægyptios , Chaldaeos , aliosque Nationum Orientaliū populos , ut gentis suæ primordia augustinia redherent , splendida mendacia adornasse , & puras putatas fabulas obtrusisse ?

D. Mittamus igitur istas Ægyptiorum , & Chaldaeorum fabulosas antiquitates , & ostende , quæſo , illarum nationum originem non altius quam a filiis Noemi post diluvium esse arcessendam .

M. Ægyptiorum , & Chaldaeorum originem non altius , quam a filiis Noemi post diluvium duci debere , facile tam ex Sacra , quam ex Prophana Historia evinci potest . Nam primo , Ægyptus vocatur *Cham* non tantum in Sacris Litteris , verum etiam in Gentilium libris , hoc quippe nomine insignitur a Plutarcho . Ideo autem Ægyptus vocatur *Cham* quia *Chamus* , Noemi filius , fuit primus Ægypti Rex , quem Menen appellant *Herodotus* , *Diodorus Siculus* , *Eratosthenes* , & ex Manethone *Julius Africanus* , *Eusebius* , & *Georgius Syncellus* . Ægyptus etiam appellatur *Misraim* , propter *Misraim* , filium *Chami* , sicut testantur *Josephus Hebreus* , lib. 1. *Antiq. Jud.* cap. 12. & *Georgius Syncellus* in sua *Chronographia* . Duo itaque illa nomina *Cham* & *Misraim* Ægypto imposita palam demonstrant , Ægyptiorum originem non altius , quam a filiis Noemi post Diluvium esse repetendam . Hinc *Marshamus* , & *Ellias Du Pin* Ægyptiorum Dynastias , earumque originem post Diluvium cum calculo textus Hebræi optime conciliant , prior quidem in suo *Chronico Canone* Ægyptiorum ; alter vero in sua *Bibliotheca universalis historicorum* .

D. Expone nunc , quo pacto tres filii Noemi potuerint post Diluvium tam cito propagare genus humanum , totque diversarum nationum Monarchias , & Regna instituere ?

M. Genus humanum a filiis Noemi , *Semo* , *Chamo* , *Japheto* , & ab ejus nepotibus fuit post Diluvium brevi tempore propagatum , tantumque per polygamiam , quam Deus postdiluvianis hominibus concessit , incrementum brevi tempore suscepit , ut non una regione capi amplius posset . Autem itaque hominum numero , de discensu in varias terræ regiones cogitatum est , sed in eas antequam immigrarent , & a se mutuo divellerentur , ingenitem turrim *Babel* , sive *Confusionis* , in Campo Senaar ædificarunt , non eo quidem fine (sicut quidam post *Josephum* Hebreum putarunt) ut hæc altissima turris esset omnibus perfugium , si quando Deus , oblitus sacerdotis cum hominibus initi , Mundum aut universali Diluvio , aut generali incendio destruere

ſtruere vellet; (nec enim adeo infanierant illi homines, ut contra armatam Dei manum subſidia humana, ac perſugia prævalere poſſe ſibi perſuaderent, maxime cum funesta experientia jam exploratum haberent, Diluvium a Deo immissum, quindecim cubitis altioribus toſius orbis montibus eminuisse; ſed hanc altissimam turrim, qua ad nubes uſque auſſerget, eo fine exſtruxerunt, ut reliquo poſteris ſuperbiſſimo, & ære perenniori monumento, quod nec imber edax, nec aquilo vehemens dirueſe poſſet, nominis ſui fama, ac gloria longe, laeteque diſfunderetur. Ejusmodi poſt diluvianos homines, qui huic inimeneſe turri conſtrudæ ope‐rari naوارunt, a peccato excusat *Tofſatus*, cujus ſententia jure optimo ab omnibus rejicitur. Satis enim ſuperque peccatum illorum tam inſolentis operis aggreſorum arguit Dei, præpotentis ſcelerum ultoris, animadverſio ac vindicta. Aperte etiam illa Dei verba: *Venite, decendamus, & confundamus ibi linguaem eorum, ut non audiat unusquisque vocem proximi ſui*, Gen. c. 11. v. 7. judiciariam Dei actionem, peñamque judicio ſecutam iudicant.

D. In quo ſita erat illarum linguarum conſuſio, qua Deus, ad iram concitatus, ſuperbos illos, ridiculosque latomos punivit?

M. Ab exordio Mundi uſque ad conſtructionem Turris Babelicæ, communis fuerat omnium mortaliuum lingua, ſicut Scriptura Sacra c. 11. v. 1. ait: *Erat autem terra labii unius, & sermonum eorumdem*. Hanc autem primigeniam, & communem omnium hominum lingua Deus in plures linguas diſtraxit, ut temerarii illis hominibus, adenipto ſemel communis vocis commercio, evanidos illorum redderet conatus, ipſique tandem adificandi conſilium abijcerent, & in totum orbem diſpergerentur, Monarchiis, & regnis omnium nationum daturi initium. Hanc autem communem omnium mortalium lingua, qua ab exordio Mundi uſque ad conſtructionem Turris Babelicæ obtinuit, fuſſe Hebraicam, eamque Mundo fuſſe coævam, & Adamo, & Patriarchis prioribus uſitatam, & poſt Babelicam conſuſionem in familia Patriarchæ Heberis uique ad Abrahamum, & in tota gente Israelitica perfeveraffe, opportunius in Colloquio ſequenti oſtentemus. Porro, in hac conſuſione Babelica natas fuſſe 70. vel 72. linguas juxta numerum nepotum Noemi, communis eft veterum Patrum ſententia. Hinc Patres Latini, qui recenſent ſeptuaginta dumtaxat Noenii nepotes, ajuſt, ſeptuaginta in hac conſuſione Babelica ortas fuſſe linguas. Patres vero Græci, qui ſeptuaginta duos numerant nepotes Noemi, dicunt, numerum linguarum in conſuſione Babelica excreviſſe uſque ad ſeptuaginta duas. Verum ipſe, ut candide fatear, cum veterum de 70. vel 72. linguis ſententia certa non omnino fit, probabilius exiſtimo, certo definiri haud poſſe linguarum numerum, in quas humanus sermo in conſuſione Babelica diuinus eft. Hoc unum certum eft, hac ſemel facta diuisione linguarum, homines fuſſe per totum orbem diſpersos, & alios in alias commigrasse terras, ubi diversis nationum populis, Monarchiis, & Regniſ dedere iniua.

D. Poteſtne certo e Sacra Scriptura probari, Noemi nepotes, poſt linguarum conſuſionem, in omnes universi orbis terras fuſſe diſpersos? obiuim enim habui nudiuſterius quemdam Sacrae Geographiae peritum, qui aſſerebat diuifas, & poſſefſas fuſſe a filiis, & nepotibus Noemi non universas totius orbis plagas, ac terras, ſed regiones tantum terræ Sanctæ, vel terras ei contermiñas.

M. Commentum tibi narravit quisquis ille fuerit Sacrae Geographiae peritus, quod memini me legiſſe in Praeadamitarum Systemate, quod producit quidam fabulator, qui ſeſe omnibus deridendum propinavit. Hanc autem fabulam aperite explodit Scriptura Sacra, qua postquam cap. 9. libri Geneseos perceſſuit generationes trium filiorum Noemi, videlicet *Semi*, *Chami*, & *Japheti*, enumerat deinde cap. 10. generationes filiorum, qui orti ſunt ex *Semo*, *Chamo*, & *Japheto*, quibus enumeratis, ſubdit: *Ab his diuife ſunt Inſule Gentium in regionibus ſuis, unusquisque ſecondum linguaem ſuam, & familias ſuas in nationibus ſuis.* Quis autem, amabo, ſuum in animum inducere potest, per *Inſulas Gentium*, & *nationes* ſignificari non Gentes per omnes Mundi terras diſpersas, ſed tantum terræ Sanctæ populos, ſicut falsis, & frivolis nixus conjecturis ſcripturire auſus eft fabulator Praeadamitarum, in quem bene multi viri eruditii calamum acuerunt, multisque argumentis ex Historia Sacra petitis luculenter demonſtrarunt, omne genus humanum, quod universali Noetico Diluvio pene extinctum fuerat, a filiis, & nepotibus Noemi fuſſe reparatum, univerſoſque terrarum omnium populos ab illis fuſſe propagatos. Hos inter viros eruditos, qui hac provin‐cia egregie defuncti ſunt, eminent *Bochartus*, ſuperius a me laudatus, ut in Historia, ac Geographia Sacra verſatilisſimus Scriptor, quem digo tibi moniſtrare abunde ſufficiat. Dicam tan‐tum in genere, *Semi*, Noemi filii, poſteros occu‐papſe Afiam Orientalem, & partem Australis; *Chami*, alterius filii Noemi, poſteris obveniſſe partem Afiaæ Australis, & Africam; *Japhetum* vero, Noemi itidem filium, obtinuſſe Afiam Septen‐trionalem, & Europam.

D. Quoto anno poſt Diluvium contigere haec tria, qua mox memorasti, nimirum structura turris Babelicæ, linguarum conſuſio, & hominum in omnes orbis regiones diſperſio?

M. Haec tria sub *Phalego*, Patriarchæ Heberis filio, contigifſe, conſtaſis eft omnium ſententia. Sed utrum haec tria acciderint, naſcente *Phalego*? an ipſo adulto, an morti propinquu? non conve‐nit inter omnes. Alii poſt *Josephum* Hebreum, lib. 1. Antiq. Jud. cap. 7. & S. Augustinus lib. 16. De Civit. Dei c. 11. cenſent, haec tria contigifſe naſcente *Phalego*, & ob eam rem memorabilem Patriarchani Heberum naſcenti filio ſuo nomen dediſſe *Phalegi*, quod ſignificat diſperſionem, ſeu diſperſionem. Natus autem eft *Phaleg* anno centefimo a Diluvio exploro. Alii dicunt, haec tria contigifſe adulto jam *Phalego*. Alii denique volunt, haec tria facta ieffe extremis *Phalegi* temporibus, ſeu in illius

illius morte, quæ incidit in annum ab expleto Diluvio 338.

D. Indica, si placet, sententiam, quæ tibi hac in re magis probatur, quamque ipse ambabus manus amplectar?

M. Mihi magis arridet media sententia, quæ hæc tria, seu structuram turris Babelicæ, confusione linguarum, & terrarum divisionem, statuit facta esse adulto jam *Phalego*, Patriarcha *Heberis* filio. At enim prima sententia, quæ tuerit, hæc tria contigisse nascente *Phalego*, non mihi placet, quia *Phaleg*, filius *Heberis*, natus est, sicut mox diximus, anno centesimo a Diluvio expleto. Qui autem credibile est, tres filios Noemi, *Semum*, *Chamum*, *Japhetum*, potuisse intra centum annos tot procreare filios, ex quibus Regna, populi, & numerosæ coloniæ ad universam, qua late patet, terram incolendam formarentur, quod sane omnino incredibile videtur. At, in media, quam sequor, sententia, nihil prorsus appetat, quod sit creditu difficile. Existimo siquidem, structuram Turris Babelicæ, confusionem linguarum, ac terræ divisionem contigisse jam adulto *Phalego*, seu anno nonagesimo secundo ætatis ipsius, hoc est, anno Mundi 1848. a Diluvio autem anno 192. Non est autem incredibile, tres filios Noemi intra spatum 192. annorum potuisse tot progignere homines, quot ad construendam Turrim Babelicam, & ad condenda diversa Regna, quæ initio erant admodum angusta, sat superque sufficere potuerunt, idque eo facilius credi potest, quod polygamia, seu facultas plures simul uxores ducenti, fuerit a Deo post Diluvium permissa ad sobolis humanæ incrementum, ad orbis yasitatem reparandam, adeo ut non desint Auctores graves, qui per regulas Arithmeticas demonstrant, tempore, quo facta est orbis divisio, extare potuisse numerum trecentorum octoginta millium, sexcentorum & quinquaginta marium, totidemque feminarum. Quæ demonstratio a doctissimo *Petravio*, & ab aliis Chronologis, qui hoc argumentum ex professo tractarunt, tradita inde magis confirmari potest, quod homines post Diluvium, cum propter vivax, ac vegetum corporis robur ad multos annos superstites essent, potuerunt fiveope polygamiæ simultaneæ, sibi id ætatis a Deo concessæ, five beneficio divinæ fœcundantis benedictionis, pares esse plurimis procreandis liberis, ita ut quotannis singulos gignerent filios, aliquando geminos & nonnunquam ter geminos haberent. Cum igitur media illa, quam proposui, sententia nihil habeat, quod sit creditu difficile, quodque negotium facilius possit, ei hubentissime subscribo, nec differendam esse puto hanc factam terræ divisionem in tempus illud, quod mortem *Phalegi* proxime antecessit.

D. Si terræ divisio facta est adulto jam *Phalego*, hoc est, anno ætatis suæ nonagesimo secundo, quorsum igitur ejus pater *Heber* nascenti filio indidit nomen *Phalegi*, quod significat divisionem terræ? Præterea, media hæc sententia, quæ, in praefigendo tempore divisionis terræ, tibi magis probatur, non omnino; pace tua dixerim, difficultatem solvit. Si enim stare velimus calculo Textus He-

bri ( quem Græcorum, seu lxx. Interpretum Chronologiaz preferendum esse jam me monuisti ) comperiemus, a Diluvio Noetico usque ad nativitatem Abrahami interfluxisse dumtaxat annos ducentos nonaginta duos. Vero simile autem non est, in tam exiguo temporis intervallo tot Reges, quorum meminit Historia Sacra, qui vel ante ortum Abrahami extiterunt, vel ei coætanei fuerunt, potuisse ex tribus dumtaxat Noemi filiis, a Diluvio superstitibus, oriri, ac multiplicari. Enim vero, ut nihil in præsentia dicam de Assyriorum, Ægyptiorumque Regibus, qui etiam ante ortum Abrahami amplissima jam Regna occupabant, & multa inter se bella movebant; legi nuperrime cap. 14. Libri Geneseos, fuisse novem Reges Abrahamo coævos ac suppares, quorum uni, scilicet *Chedorlubomoro*, quinque Reges annis duodecim servierunt, annoque decimo quartto redintegratum est bellum, quo *Loth* nepos Abrahami, captus est, & ab Abrahamo fuit servatus. Cum igitur, juvene adhuc Abrahamo, tot extiterint Reges, multaque inter illos sevissima exarserint bella, vix ac ne vix quidem intelligi potest, quo pacto tot Reges, totque nationes, longe a se invicem separatae, ex tribus Noemi filiis intra spatum ducentorum nonaginta duorum annorum pullulare & exsurgere potuerint? Addo etiam, *Diodorus Siculum*, quem paucis abhinc diebus legebam, de Assyriorum Imperii amplitudine ac potentia sub *Nino* cap. 2. *Bibliotheca* disserentem, testari, *Ninum*, amplissima sui nominis condita urbe, dicta *Ninive*, Armeniam, Medianam, Syriam, Ægyptum, Phæniciam, & Asia nos tractus omnes, præter Indianam, occupasse; postremo, Bactrianos infinitis copiis fuisse aggressum, ita ut in ejus exercitu peditum essent decies septies centena millia, Equitum ducenta millia, falcatorum curruum centum millia cum sexcentis. Porro, *Ninus* fuit filius *Beli*, qui primo regnavit in Babylone, atque Babyloniorum, seu Assyriorum Imperii conditor fuit. Si ergo Babyloniorum, seu Assyriorum Imperium conditum sit a *Belo*, tempore, quo divisionem terræ factam esse, seu anno a Diluvio centesimo nonagesimo secundo, asseruisti; non video sane, quomodo fieri potuerit, ut intra tam breve, & angustum temporis spatium Babyloniorum, seu Assyriorum Imperium evaserit adeo amplum, ac longe lateque patens, ut *Ninus*, qui patri suo *Belo*, Babyloniorum, seu Assyriorum Imperii conditori, successit, habuerit exercitum ex innumeris conflatum hominibus, totque Provincias, & nationes viætricibus armis subbegerit, sicut narrat *Diodorus* loco mox a me laudato.

M. Video, te ad nostrum Colloquium non imparatum accessisse; tres etenim difficultates propulsisti, quæ explicatione indigent. A prima autem cito me expediam. Quamvis enim terræ divisio contigerit, sicut dixi, anno nonagesimo secundo ætatis *Phaleg*, attamen pater ipsius *Heber* nascenti filio suo indidit nomen *Phaleg*, quod significat divisionem terræ, quia *Heber* spiritu Prophetico prævidit, tempore hujus filii, qui nascebat, futuram terræ divisionem. Ita respondent S. Hieronymus in

in Traditionibus Hebraicis in Genesim, S. Chrysost. Hom. 30. in Genes. *Abulensis, & Lyranus.* (a) Alteram, quam proponisti, difficultatem, plene dissolvam in sequenti Colloquio nostro, ubi auxiliante Deo, discutiemus nonnulla Dubia, quæ circa Historiam secundæ Mundi ætatis moveri & ventilari solent. Interim dicam hic obiter, ab universali Diluvio Noetico usque ad ortum *Abrahami* fluxisse annos 352. non vero annos tantum 292. *Abrahamus* siquidem, juxta Calculum Textus Hebrei, natus est non anno ætatis patris sui *Thare* septuagesimo, sicut perperam nonnulli autumant Chronologi, sed anno centesimo trigesimo patris sui *Thare* prodidit in lucem. Quo fit, ut, facta annorum supputatione, numerentur a Diluvio Noetico usque ad ortum *Abrahami* anni 352. Et rursus a Diluvio usque ad vocationem *Abrahami* (quæ contigit anno ejus ætatis septuagesimo quinto) intercesserint anni 427. Non est autem creditu difficile, intra spatium 352. vel 427. annorum potuisse a tribus filiis *Noemi*, eorumque posteris, sic humananum genus propagari, ut *Abrahami* tempore multi extiterint Reges, jamque conditæ fuerint Babyloniorum, seu Assyriorum, & Ægyptiorum Monarchiæ, quæ tamen in ortu suo parvæ, tenues & angustæ fuerunt. *Betus*, ille, quem Historicci Prophani dicunt fuisse Imperii Babyloniorum, seu Assyriorum conditorem, vocatur in Sacris Literis *Nembrodus*, qui fuit filius *Chus*, nepos *Chanaan*, & pronepos *Chami*, filii *Noemi*, sicut legitur cap. 10. v. 10. libri Genesim. Huic *Beto*, seu *Nembodo*, successit in Babyloniorum, seu Assyriorum Imperium *Ninus*, ejus filius, a quo condita est urbs *Ninive*. Circa idem tempus, quo Babyloniorum, seu Assyriorum Imperio *Nembodus* primordium dedit, alibi quoque Regna constituta sunt, præsertim Ægyptiorum, & Sicyoniorum, quorum exordia, in variis configendis Regum Dynastiis, *Julius Africanus*, *Eusebius* in Chronicō, & *Diodorus Siculus*, in sua Bibliotheca fabularum licentia corruperunt. Hinc patet responsio ad tertiam, quam proponisti, difficultatem, petitam ex narratione *Diodori Siculi*, de Assyriorum Imperii amplitudine ac potentia sub *Nino*. Hac quippe *Diodori* narratio, ceu fabulosa, sibilo explodi debet. Ut enim Assyriorum Imperii, cuius Historiam describebat ille Scriptor, originem augustinum redderet, de *Nini* potentia, ejusque Imperii amplitudine multa finxit, splendida mendacia longo latoque calamo libere effudit, & ut vulgo ajuunt, ex musca elephantem fecit.

„ (a) Nodum quidem solvi difficilem hic extricare tentat vir doctissimus, sed cum solvere non valeat, præcidit; censet enim adulto iam Phalesi dispersionem gentium contigisse; at si eo adulto, & jam centenario dispersio facta est, quomodo pater nascenti filio nomen indidit Phalesi, quod divisionem, & dispersionem gentium significat? quomodo Pater futurum post centum annos eventum præscire potuit? Id vero Deo relata velante didicisse Heber cum S. Hieronymo, aliis que affirmat. At vereor ne non Deus e machina inducatur. Planius responderetur Phalesi cognomen fuisse homini post dispersionem indi-

„ tum, cum ante alio forte nomine ignoto nobis appellaretur; & cum deinceps ex eodem cognomine magis quam ex ipso nomine innotuerit, maluit illum Moyse ex cognomine indicare. Nec inusitatum est scripture viros ex indito cognomine designare; scilicet Abraham ex cognomine ne potius, quam ex nomine Abram appellari confuevit.

D. Mansuetus apud illos homines, qui in confusione Babelica sermone diversi, in varias terræ regiones dispersi sunt, solius Dei veri cultus, seu avita illa, quam a Majoribus suis acceperant, Religio?

M. Minime gentium. Hi siquidem homines post confusionem linguarum hac atque illac dispersi, omnes insulas & orbem totum repleverunt, & a stirpe sanctæ radicis avulsi, novos sibi mores, ac Institutæ pro arbitrio condiderunt. Sed omnium primi ( utor verbis *Lactantii* lib. 2. Divin. Institut. c. 14. ) Qui Ægyptum occupaverunt, celestia suspicere, atque adorare coepérunt. Et quia nec domiciliis tegebantur, propter aeris qualitatem ( nec enim in ea regione nubibus subtextitur celum ) cursus siderum, & defectus notaverunt, dum ea sepe venerantes, curiosus atque liberius intuerentur. Postea deinde pontificas animalium figuræ, quas colerent, commenti sunt, quibusdam prodigiis inducti. Cæteri autem, qui per terram dispersi fuerunt, admirantes elementa Mundi, celum, solem, terram, mare, sine ulla imaginibus, ac templis venerabantur, & his Sacrificia in aperto celebrabant, donec processu temporis potentissimis Regibus templa, & simulachra fecerunt, eaque victimis, & odoribus colere instituerunt. Sic aberrantes a notitia Dei, gentes esse coepérunt. Errante igitur, qui Deorum cultum ab exordio rerum fuisse contendunt, & priorem esse gentilitatem, quam Dei religionem, quam putant posterius inventam, quia fontem atque originem veritatis ignorant. Ex quo *Lactantii* testimonio colligere debes primo, homines, post linguarum confusionem in omnes terræ plaga dispersos, neglecto solius Dei veri cultu, Idolis servisse. Tanta videlicet erat hominum idætatis ad malum proclivitas, ut nulla prorsus habita ratione Diluvii, in fordes, flagitia, & in Idololatriam prolapsi sint. Secundo colligere debes, Idololatriæ originem non altius esse arcessandam, quam ab eo tempore, quo facta linguarum confusione homines per omnes orbis regiones dispersi sunt.

D. Cum de idololatriæ exordio jam coepis habere sermonem, rem mihi pergratam faceres, si primo ostenderes, quo pacto invecta sit Idololatria, & quis, post hominum in varias Orbis terras dispersionem, ei dederit initium? Secundo, quis fuerit Idololatriæ progressus? & denique, quis ejus interitus?

M. Amplissimum sane mihi proponis differendi argumentum, de quo non minus late quam eruditæ pertraçtat *Joannes Gerardus Vossius* in libro, quem *De Idololatria* concinnavit. Hunc itaque Auctorem, si tibi per otium liceat, consulere poteris. Ipse vero, qui mihi præscriptos brevitatis limites excedere nolo, rem totam summatis perstringam. Imprimis, quod spectat exordium &

Auctorem Idololatriæ, seu Polytheismi, pervulgata est Scriptorum sententia; *Ninum* (qui fuit filius *Nembrodi*, Noemi nepotis, cuius regni principium in terra Sennaar Babylon fuit, sicut legitur c. 10.<sup>1</sup> libri Genesios v. 10.) extitisse Idolorum, & Idololatriæ auctorem. *Ninus* siquidem, mortuo patre suo *Belo*, seu *Nembrodo*, quem ardenti prosequebatur amore, ut eum præsentem sibi, ad levandum utcumque dolorem, redderet, statuam in ejus erexit honorem, quam votis & Sacrificiis a servis suis & domesticis coli voluit, ita ut nullam gratiam, nullumve beneficium, nisi reclamarent patrem, concederet. Hic autem *Ninus*, filius *Beli*, seu *Nembrodi*, idem est ac ille Rex *Affur*, cuius meminit *Moyzes* cap. 10. v. 10. libri Genesios, dicens: *Fuit autem principium regni ejus* (ideft, *Nembrodi*, qui fuit filius *Chus*, & nepos Noemi) *Babylon in terra Sennaar*. Et versu sequenti subdit *Moyzes*: *De terra illa*, seu Sennaar, *egressus est Affur*, seu *Ninus*, qui *adificavit Ninivem*, & *plateas civitatis*. *Ninus* autem, filius *Beli*, ideo dictus est Rex *Affur*, quia, licet regnis Babyloniorum, & Assyriorum perinde potiretur, maluit tamen Rex Assyriorum dici, quam Babyloniorum, eo quod Babyloniorum regnum, quod *Belus*, seu *Nembodus*, ipsius pater, considerat in terra Sennaar, paternam quidem gloriam commendaret, sed Assyriorum Regnum, quod *Ninus* suum in potestate vietricibus armis redegerat, propriam ejus virtutem magis commendaret. Primum itaque Idololatriæ auctor fuit *Ninus*, qui patrem suum *Nembrodum*, dictum *Belum*, publica Apotheosi sub titulo *Jovis*, vel, ut aliis placet, *Saturni Babylonii*, retulit in Deum, sicut observat *S. Hieronymus* Comment. in cap. 2. *Osee*, dicens: *Ninus in tantam pervenit gloriam, ut patrem suum Belum referret in Deum*, qui hebraice dicitur *Bel* . . . bunc *Sidonii* & *Phœnices* appellant *Béhal*. Hoc infestissimum *Nini* exemplum plerique Principes deinceps imitati, Idololatriam per totum terrarum Orbem propagarunt, ut fuse demonstrat Sacer auctor libri *Sapientiae* cap. 14. v. 14. & seqq. Cœperunt ergo homines (ut ea, quæ Idololatriæ spectant, breviter attingam) primum *Astra*, ceu vera numina, colere; deinde, crescente vanitate, & prava invalescente consuetudine, Reges Deorum numero accensuerunt populi, & quosdam Heroes, quos inter eminet *Hercules*, propter res ab ipsis præclare gestas, divino cultu donarunt. Postremo, eo impietatis & insaniae proruperunt homines, ut eos mutis animalibus, serpentibus, draconibus, bobus, divinum deferre cultum non puduerit, sicut testatur Apostolus *Paulus* in Epistola ad Romanos cap. 1. dicens: & *mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis*, & *volucrum*, & *quadrupedum*, & *serpentium*. Hinc orta est in Mundo vana Idolorum superstitione, quam *Læctantius* cap. 8. lib. 1. *Divin. Institutionum* sic eleganter refellit: *Unde mihi detanta Dei majestate sepius cogitanti, qui Deos colunt, interdum videri solent tam cœci, tam incogitabiles, tam exordes, tam non multum a mutis animalibus differentes, qui credunt, eos*,

*qui geniti sunt maris ac foemine oītu, aliquid majestatis divinæque virtutis habere potuisse*. Porro, constat, profequitur idem Scriptor, *Herculem*, *Apollinem*, *Liberum*, *Mercurium*, *Jovemque ipsum cum ceteris homines fuisse*, quoniam ex duobus sexibus nati. Et paucis interjectis, subdit: *Quomodo ergo, inquiet aliquis, Dii crediti sunt? nimirum quia Reges maximi, a potentiissimi fuerunt, ob merita virtutum suarum, aut munierum, aut artium repartarum, cum chari fuissent iis, quibus imperaverant, in memoriam sunt consecrati*. *Quod si quis dubitet, res eorum gestas, & facta consideret, que universa tam Poetae, quam historici veteres prodiderunt*. De simulacris Deorum, eorumque contemptu, leges eundem *læctantium* cap. 4. lib. 2. *Divin. Institut.* Perfitit in mundo Idololatriæ usque ad Christum, Salvatorem nostrum, qui, sicut prædixerant Prophetæ, Idololatriam, tot anorum diurnitate roboratam, penitus profigavit, deorum delubra solo æquavit, Dæmonibus, per ambiguæ Oracula populum deludentibus, eternum imposuit silentium, uniusque veri Dei cultum in universum orbem invexit. (a)

(a) Omnes fere heterodoxi, apud quos libri sapientiae authoritas pensi parum habet, aliam Idololatriæ originem assignant admirationem, quam Sol, Luna, & astrea reliqua in hominibus excitarunt. Ad tantam enim eorum lucem stupentes, cursum eorum constantem, scitamque rationem intuentes, divini aliquid inesse illis suscipiati sunt, hinc honor, ac dein cultus. In rem suam afferunt illud Jobi XXXI. 26. 27. quo jam inde ab ejus ætate cultum astrorum pervulgatum extitisse demonstrant, & quidem unice; neque enim Jobus alterius Idololatriæ meminuit. *Si vidi solem, cum fulgeret, & lunam incendenterem clare, & læctatum est in abscondito cor meum, & osculatus sum manum meam in ore meo. Porro manus osculatione cultum suum Diis veteres præstabant, ut ex Minucio in Octavio discimus. Suffragantur vetustissimi Pagani scriptores, Diony whole Siculus Biblioth. lib. 1. Plato in Cratyllo, Sanchoniaton apud Euseb. Præp. lib. 1. cap. 9. qui omnes Idololatriæ astrorum primatum vindicant. Verum conciliari utraque sententia potest; cum enim late dispersæ per varias dissitas regiones gentes essent, varias etiam extitisse Idololatriæ origines credendum est, aliis a consecrationis in Deos hominibus, aliis ab impenso astris cultu superstitione suam incipientibus.*

D. Cum homines, post linguarum confusionem, per omnes Orbis partes fuerint dispersi, optarem, ut brevem hic delineares totius Orbis descriptionem, eademque opera ostenderes, quo pacto omnes Mundi partes a filiis, nepotibusque Noemi fuerint occupatae, atque habitatæ.

M. Partes Mundi terrestris, nobis cognitæ, sunt omnino quatuor, *Asia*, *Africa*, *Europa*, & *America*, quæ *novus Orbis*, appellatur. *Asia* sex potissimum partes, juxta recentiorum Geographorum divisionem, complectitur, scilicet *Asiaticam* *Turcarum* ditionem; *Persidem*, seu *Persiarum* Imperium; *Indianam*; *Chinam*; *Tartarium magnam*; & *Insulas*, quæ *Asiæ* adjacent, & quæ fung

sunt Japonenses, *Philippina*, *Moluccae* &c. Africæ partes octo præcipue numerantur, nimurum: *Ægyptus*, *Barbaria*, *Bildugerid*, *Zaara*, seu *Desertum*, *Nigritia*, *Guinea*, *Æthiopia*, ac *Nubia*, quibus, nonæ partis instar, adjungi possunt *Insulae* proximæ, scilicet *Madagascar*, *Sancti Thomæ*, *Promontorii viridis*, *Azores*, *Fortunate*, seu *Canarie* &c. In Europa ad Septentrionem occurunt primo *Insulae Britannicae*, quæ *Angliam*, *Scotiam*, & *Hiberniam* compleuntur: Deinde, in continente, seu in terra, reperiuntur *Dania*, & *Norvegia*, tandemque *Suecia*, & *Moscovia*. Ad Austrum vergunt *Hispania*, *Italia*, & *Turcicum in Europa Imperium*, quæ in varia adhuc Provincias, & Regna distribuuntur. Medio denique loco confidunt *Gallia*, *Germania*, *Polonia*. Quarta Mundi Pars, quæ dicitur *America*, vel Septentrionalis est, & vocatur *Mexicana*, vel Meridionalis est, & appellatur *Peruviana*. In Septentrionali America inventiuntur *Canada*, seu nova *Francia*, *Virginia*, *Florida*, *Mexicana Regio*, & *nova Hispania*, quibus adiici possunt *Insula California*, & alia minores. In America vero Meridionali extant *Castella aurea*, *Guiana*, *Peruvium*, *Chili*, *Magellanica Regio*, *Brasilia*, *Paraguaja*. Has quatuor Orbis Partes, & in his contentas Insulas a tribus filiis Noemi, eorumque nepotibus, post divisionem terræ habitatas fuisse perdocte ostendit *Samuel Bochartus* in libro, cui titulum indidit *Phealeg*, seu de *Sacra Geographia*, ubi omnium Gentium, post divisionem terræ ex tribus Noemi filiis, eorumque nepotibus, prodeuntium origines, situs, linguis, mores, Regnorum initia, Religionum institutiones, ac incrementa, Ethnicarum fabularum natales & fundamenta, singularum Nationum commercia, Colonias & societas, incredibili labore ita diserte exposuit, ut Babylonicæ Terrarum dispersioni præfuisse, & singulis Nationibus regiones suas, idiomata, mores, cultus, Instituta, præfens ipse definiisse videatur. Hunc itaque Auctorem, si ea de re plura scire aveas, consulas velim.

D. At, dicas mihi, si placet, quo pacto filii Noemi, eorumque nepotes, potuerint, post divisionem terræ, in Americani penetrare? Americani siquidem, ut nuperime audivi a viro eruditio, sunt Antipodes respective ad varias regiones hujus nostri Orbis veteris. Porro Antipodes, seu populos adversis vestigis nobis oppositos, quæsi commentatio non solum rejicare *Lactantius*, & *S. Augustinus*, ut me monebat vir ille eruditus, sed etiam *Summus Pontifex Zacharias*, ur gente *Bonifacio*, Episcopo *Moguntino*, Sententiam Suspensionis tulit adversus *Virgilium*, *Presbyterum*, quod Antipodes esse affirmasset. Hoc autem *Zacharie* Papa factum a multis Historicis ad annum Christi 748. narrari, propriis ipse oculis inspexi. Credibile igitur non est, filios Noemi, eorumque nepotes, post divisionem terræ, Americani penetrare & habitare potuisse, cum ea Regio nullos proflus incolas admittat, nec admittere possit.

M. Existere in rerum natura Antipodes, quales sunt *Americani*, negarunt quidem olim *Ari-*

*stoteles* 2. Met. cap. 5. *Lactantius* lib. 3. *Divin. Instit. cap. 23.* & *Augustinus* lib. 16. De Civitat. Dei capit. 9. Sed, ob diversas rationes, quas hic breviter reforre non abs re erit. In primis, *Aristoteles* negavit esse Antipodes, quia putavit, sole sub ardente, atque radios ad perpendicularm vibrante, neque pluvias, neque fontes, neque flumina esse posse, ac subinde, neque arbores, neque pascua, & consequenter, neque animalia, neque homines, *Lactantius* vero negavit esse Antipodes, ob vulgarem illam opinionem. quod homines pedibus sursum, & capite deorsum penduli, inversoque ordine deberent incedere. Sic enim loco mox a me laudato scribit elegantissimus ille Auctor: *Quid illi, qui esse contrarios vestigiis nostris Antipodes putant, num aliquid loquentur? aut est quisquam tam ineptus, qui credit esse homines quorum vestigia sint superiora, quam capita? aut ibi, que apud nos jacent, inversa pendere? fruges & arbores deorsum versus crescere? pluvias & nives, & grandinem sursum versus cadere in terram? & miratur aliquis hortos pensiles inter septem mira narrari, cum Philosophi, & agros, & maria, & urbes, & montes pensiles faciant?* &c. Denique *S. Augustinus* negavit esse Antipodes, quia existimavit ejusmodi homines suam hand potuisse originem trahere ex aliquo trium filiorum Noemi, a quibus tamen Scriptura Sacra c. 9. libri Genesios ait, *disseminatum esse omne genus hominum super universam terram*. Putavit, inquam, *S. Augustinus*, nullum ex tribus Noemi filiis, eorumque nepotibus, immensam superare potuisse molem vastissimi illius Oceani, statim occurritis post Fretum Gaditanum, sive ne-  
gavit esse Antipodes, seu Americanos. Verum, nostris temporibus nullus est, qui in dubium revocet, existere Antipodes, seu populos Americanos, cum frequenter in Americam navigent Hispani, Galli, Angli, quorum alii aliis regionibus detectis nomina sua quique lingua imposuerint. Primus, qui regionem Americanam, quoad oram maritimam, lustravit, fuit *Alphonius Sanchez*, naucleus Bæticus, qui, rediens in Hispaniam, ut majori apparatu navium & hominum instrueretur, morte præoccupatus, tradidit sua Scripta *Americo Vespucio*, natione Florentino, qui *Emmanuelis*, *Lulitaniae Regis*, auspicis a Gadibus profectus anno 1497. hanc regionem detexit, quæ ab ipso nomen *America* sumpsit. Ante hunc tamen *Americum Vespuциum*, quasdam Americae Insulas, *Hispaniolam*, videlicet, *Cubam*, & *Jamai-  
cum*, anno 1494. ingressus fuerat *Christophorus Columbus*, Genuensis. Modo in Americam, dictam novum Orbem, multi eunt & redeunt singulis diebus, & ad populos Americanosmittuntur vi-  
ri Apostolici, veritatis Christianæ præcones, a quibus aeternæ salutis viam docentur, salutaremque doctrinam accipiunt. Immo, in America Christianam Religionem vigere, & in ea latissime esse difusam, tam certum est, quam quod maxime. Quo pacto autem filii, aut nepotes Noemi potuerint immensam superare molem vastissimi Oceani, statim occurritis post Fretum Gaditanum, usque

usque ad Americanam? Etsi, ut candide fatear, explicatu difficile sit, potest tamen dici primo, quod, sicut Deus transtulit *Henochum*, & *Heliam*, ita, non obstante vaftissimo illo Oceano, transtulit aliquot ex nepotibus *Noemi* in Americam, quam nos novum *Orbem* nunc appellamus. Secundo dici potest, illum, vaftissimum licet, Oceanum pluribus insulis esse respersum, sicut & multa alia maria Insulis magnis, parvis, & mediocribus scatent. Fieri ergo facile potuit, ut nepotes *Noemi*, postquam omnes Orbis regiones gentibus implessent, transirent de Insulis ad Insulas, donec diffundentur hac illac per Americam totam. Denique dici potest, aliquos ex nepotibus *Noemi*, qui Africam incolebant, potuisse inter naygandum, præter intentionem, & procellarum impetu abreptos, transire ex Africa in Brasiliam, quæ est pars propinquior Americae, indeque facili negotio devehi in Americam, eosque ibi substituisse, & multiplicatos fuisse, eo modo, quo Hispanus *Cabral*, & Lusitania solvens, invenit, præter intentionem, & tempestatis impetu raptus, eamdem Brasiliam; & alter Hispanus, Bæticus, itidem procelloso mari raptus, & præter intentionem suam, reperit *Jucatam*, & littus *Veraguas*, quæ sunt partes Mexici.

D. Americanos ex Africanis descendisse mihi (cum tua bona venia) probabile non videtur, quia Africani meridionales, cujusmodi sunt *Guinei*, *Angolitani*, & *Accolæ* maris nigri, habent colorem prossus nigrum. Si ergo Americani ex Africanis meridionalibus descenderent, ut mox infi-  
nuasti, deberent pariter esse omnino nigri, quia materia illa primigenia, quam parentes communicaunt filiis, & qua formatur horum corpus, tota imbueretur illo nigredinibus fermento, & filiorum corpus totum evaderet nigrum sicut experimur in filiis, quos parentes nigri signunt in regionibus nostris. Porro, Americani licet sint coloris fusci & subobscuri, non sunt tamen omnino nigri, sicut sunt Guinei, & alii Africani meridionales, hæc igitur Americanos inter & Africanos in colore diversitas argumento est, Americanos ex Africanis non descendisse.

M. Causa nigredinis Africanorum, Æthiopum, Guineorum &c. non aliunde, mea quidem sententia, repeti posse videtur, quam ex magna, quæ in Africa reperitur, copia metallorum, præfertim argenti vivi, ferri, & carbonum fossilium, in terra visceribus latitantium, forasque emittentium, & per aerem spargentium subtiles funos, halitus, & spiritus viscosos, nigros, tetroisque vapores, quos dum continuo ehibunt, respirantque corpora, sensim sine sensu nigerrimum contrahunt cor-  
orem. Nepotibus itaque *Chami*, filiis *Noemi*, in Africam, post divisionem terra, ingressis, contigit, quod apud nos accidere solet homini-  
bus diu degentibus in culinis, in quibus ju-  
giter ardent carbones illi fossiles, aut res mit-  
tentis tantum vapores nigros, nempe quod mutat-  
tur illis color, & in nigredinem degenerat. Nepotes igitur *Chami*, qui Africam occuparunt, respirantes semper illos halitus, & ter-  
rarum visceribus erumpentes, nigrum contraxe-

rant colorem, & [materiam eisdem] tetrī refertam spiritibus per generationem communica-  
runt filii suis, quibus post aliquot genera-  
tiones, idem contigit, quod caminis nostris, qui ex vaporibus, halitibus, jugiter ex mate-  
ria infra combusta ascendentibus, evadunt nigri. Hæc est vera causa, ni mea fallat mens, nigredinis Africanorum. At nunc breviter expli-  
candum est, cur Americani, qui, ut ante diximus, ex Africanis descendunt, sint coloris dum-  
taxat fusci & obscuri, sed non prossus nigri, si-  
cut sunt Africani, ex quibus prodierunt? Hujus  
discriminis in colore Africanos inter & Americanos haec ratio proferri potest. Nempe, quod Afri-  
cani, qui ex Africa meridionali in Americam transierunt, erant omnino nigri coloris, sed post-  
quam in America sedes suas fixissent, paulatim intensa illorum nigredo mitigata est, & in co-  
lorem nec album, nec nigrum; sed in fuscum,  
& subobscurnum degeneravit. At enim, cum in A-  
merica Mineralium, carbonum fossilium, te-  
tros emittentium halitus & vaporess fuscos tanta  
non sit copia, quanta est in Africa, fieri facilime  
potuit, ut illorum Africanorum, qui dum in  
Americam transierunt, nigri prossus coloris erant,  
filii, qui nunc Americani dicuntur, amiserint,  
post alias generationes, paternam illam nigre-  
dinem intensam, & contraxerint hunc colorem,  
quo nunc tinguntur, quique nec albus nec niger  
est, sed fuscus ac subobscurus; non secus ac mutatis  
Solo, Cælo, aquis, & cibo, mutari solent alio-  
rum hominum complexiones.

D. Haec tenus, ut ingenue fatear, credideram, instam illam nigredinem, ac perpetuo Africanis meridionalibus inherentem, vel ex eo præfice nasci, quod populi illi degant sub Zona torrida, & radiis directis Solis sint obnoxii; vel hanc Africanorum meridionalium nigredinem esse poenam *Chami*, illarum gentium Patris: quasi primam irreverentiam adversus patrem, qualis fuit illa *Chami* adversus patrem suum *Noeum*, ultus fuerit Deus ea nota perpetua, perinde ac *Caino*, in poenam fraternali homicidii, signum, quo ab omnibus statim dignosci posset, imposuit.

M. Neutri capiti, quod assignasti, accepta re-  
ferri debet Africanorum meridionalium nigredo. Et primo quidem, Zona torrida sub qua degunt Africani meridionales, non est causa eorum teter-  
rimæ nigredinis, quia multæ sunt aliae nationes sub Zona torrida, videlicet major pars Ameri-  
canorum; & tamen licet sint fusci & subobscuri coloris, sicut mox innuimus, non tamen sunt coloris teterimi, ac penitus obcuri. Secundo dici non  
potest, Africanorum meridionalium nigredinem esse poenam a Deo ipsis inflictam ob culpam *Chami*, eorum parentis; id, inquam, dici minime potest: Tum quia, de illa poena filet omnino Scriptura Sacra, quæ tamen de signo, quod Deus *Caino*, propter fraternali homicidium, imposuit, difertam mentionem facit: Tum quia etiam, Africani septentrionales, & Palæstini etiam sunt nepotes *Chami*, sicut ait Scriptura, & tamen isti non feedantur totali illa nigredine: Tum quia, Indi Orientales sunt nepotes Semi, filii *Noemi*, & fra-  
tres

tres Chami, & tamen inter illos sunt nationes prorsus nigrae, sicut in ipsa Insula Manila. Adde denique, Deum non vibrasse maledictionem in Chamum, sicut superius observavimus, sed in ejus filium natu minimum, qui Chanaan in Scriptura nuncupatur: *Maledictus Chanaan, servus servorum, &c.* Genes. cap. 9. Porro, posteri iusti Chanaanis, filii Chami, non sunt Africani, sed Sidonii, & Chananai, sicut constat ex c. 10. v. 15. libri Genesios. Divina itaque maledictio in Chanaanem, filium Chami, vibrata, non affectiebat Africanos, qui ex Chamo quidem descendebant, non per Chanaanem, cui imprecatus fuerat Deus, sed per alium ejus filium, puta Phuth. Nigredo igitur Africanorum meridionalium nec in Zonam torridam, sub qua degunt, nec in paenam a Deo posteris Chami, a quo descendunt, inflammerit, tanquam in causam, rejici debet. (a)

(a) Zona quidem torrida calorem causam, non esse nigredinis Aethiopum negat hic Historicus noster; verum D. de Bouffon Histor. Natural. General & Particul. Tom. IIII. hoc argumenti genus ceteris huc usque diligentius tractans, postquam per gentes fusco colore tintas late discurrat, evincit eas terras, quae solis calentis ardore maxime torrentur, nigro colore atrius offuscari; id vero non omnibus sub zona torrida degentibus semper contingere, cum alia ob situm loci, ob procerimorum montium nives, ob ventos longa terrarum decursione refrigeratos etiam in calidissimo climate temperato caelo fruantur; ex quo fit, ut etiam in zona torrida gentes nonnullae albescant. [Hinc concludit solis radios magis minusve ferventes unicam esse atri coloris causam.

D. Nanc facile capio, quo pacto, facta post diluvium divisione terra, posteri Noemi omnes Orbis partes adierint, & ex continente ad ejus Insulas, etiam valde dissipatas navigando transierint, ibique domicilium fixerint. Sed nequum fatis intellico, qui fieri potuerit, ut animalia ex continente in remotissimas Insulas, in quibus nunc reperiuntur, transire potuerint? Non loquor autem hic primo de animalibus, quae sunt utilia, quia ejusmodi animalia ex continente in Insulas, valde etiam distantes, iisdem navibus, quibus homines vehebantur, asportari potuerunt, sicut revera Hispani in Americam duas species animalium ibi ignoratum, nimirum *Equinam*, & *Bovinam*, asportarunt. Non loquor etiam hic de animalibus, quae ex putredine nascentur, necessarium quippe non fuit, ut haec animalia in Insulas transportarentur, quia in illis Insulis potest esse putredo, ex qua generentur isthac animalia. Quo fit, ut nemini mirum videri debeat, quod in insulis longe dissipatis a continente inveniantur mures, mustelæ, cuniculi, colubri immanes, lacerti, Dracones, & similia. Quoniam, licet haec animalia fieri soleant generatione, sunt etiam corruptione; Apes siquidem ex putrefactis taurorum visceribus generantur, sicut fuse describit Poeta, *Virgilius lib. 4. Georgicorum.* Ex medulla etiam spinæ cadaveris humani sunt interdum colubri in se-

pulcris, & ne in referendis aliis exemplis prælixi sim, Anas marina, quam nos, ob ipsius carnem macram, *Macrosm* appellamus, ex corruptis navium afferibus, aut tignis producitur, ut vulgo perhibent. Idem dicendum reor de ranis, vermis, & omnibus Insectorum generibus, quæ ex putrefacta materia exoriri possunt. De his ergo animalibus, quæ corruptione nasci possunt, in praesentia non loquor, sed de illis dumtaxat animalibus, quæ ex putrefacta materia oriri haud possunt, queque prorsus inutilia, immo & perniciofa sunt, sicut vulpes, lupi, & similes pestes, vel ferocia sunt, ut leones, Tigrides, Panthereæ, & alia id genus exitiosa animalia. Exponere itaque, quæso, quomodo haec animalia, quæ inutilia sunt, perniciosa, atque ferocia, potuerint e continentem, seu e terra, in remotissimas Insulas transire?

M. Esse quedam animalia, quæ, sicut afferis, ex sola putrefacta materia nascantur, nulla ratione mihi fit verosimile, longeque probabilius esse censeo, omnia animalia, sive insectilia & imperfetta sint, sive perfecta, ex ovis foecundatis originem habere. Quis enim sibi persuadeat, putrescentem materiam posse repente converti in illud corpus organicum, quod in animalibus insectilibus, seu imperfectis, percipitur, & cuius structura tam afflata elaborata vix ac ne vix quidem humano intellectu comprehenditur? credibile ne est, ex materia, ut vulgo ajunt, corruptione, organa omnia corporis viventis sponte formari posse, & vitales functiones obire? id sane, ut candide dicam, superat omnem fidem. Non ergo animalia insectilia, seu imperfecta, nascuntur ex putrefacta materia, quæ certe in venas, arterias, nervos, oculos, nares, & cæteras partes organicas mutari non potest, nec corpus motus, vita, ac sensus particeps reddere; sed insectilia, seu imperfecta animalia prodeunt ex ovis a masculo foecundatis, seu spiritu masculo imprægnatis. Idem dicendum esse existimo de animalibus perfectis, illa videlicet ex ovis foecundatis nasci, ac subinde illorum originem refundi haud debere in semen permixtionem, cum toties jactata illa *virtus formatrix* in semine, per quam quidam philosophi ajunt, ex commixtione semen exurgere animalia perfecta, cujusmodi sunt homo, leo, equus, canis &c. sit tantum inane prorsus nomen, & in quo illa *vis formatrix* consistat, aut qua ratione operetur, omnes alto premant silentio.

D. Vere nunc illud Terentii Dictum usurpare possum: *Fecisti probe incertior sum multo, quam dudum.* At enim, si animalia insectilia, seu imperfecta, non nascantur ex putrefacta materia, sed ex ovis foecundatis, seu masculo spiritu imprægnatis, quo pacto, quæso, istæ insectilia animalia transvehi potuerunt in Insulas illes a continente remotissimas, in quibus modo maximo in numero reperiuntur?

M. Quamvis omnia animalia insectilia, seu imperfecta, aquis Diluvii Noetici perierint, facile

facile tamen fieri potuit, ut, antequam interirent, aculeis suis, quasi terebris, utentia, ova, masculo spiru imprægnata, inferuerint in arboribus, quæ sub aquis Diluvii vivebant, suumque viorem servabant, eo pari modo, quo nunc experientia compertum habemus, hæc insectilia, seu imperfecta animalia suis aculeis, tanquam terebris, uti, ad inferenda & deponenda ova sua, a masculo fecundata, in quibusdam fructibus, & arborum tuberculis; ex quibus ovis ibidem reconditis exoritur magna copia vermiculorum, & insectilium animalium, quæ reperiuntur in quibusdam fructibus in quercum gallicis, in fagorum, & aliarum arborum tuberculis, quæque paratissimum ex arborum, fructuumque succo nanciscuntur alimentum. Hinc fortasse est, quod lignum vetus & corruptum vermis, seu insectilibus animalibus scateat. Nam cum eorum ova diutius in ipso sint conservata, tunc præfertim ab illis excluduntur, cum lignum putrescit, ipsiusque partes majori fermentatione exagitantur. Nec alia fortasse origo est eorum vermium, qui in animalium visceribus, aut artibus nonnunquam delicebunt. Sæpe enim infecta illa minutiora animalia, aut eorum ova cum fructibus & aliamentis formebus, cumque ista animalcula suis ovaris sint instruæta, alia propemodum innumera insectilia animalia excludunt, quæ in *Vasis hepaticis*, in *poro biliario*, & aliis partibus magno quedam numero reperiuntur. Qua de re si plura desideres, lege librum, quem edidit doctissimus Pater *Sagueins*, Ordinis Sancti Francisci de Paula, *De causa & origine pestis*, quæ in Gallo-Provincia saevire coepit anno 1720. Hoc autem semel posito, facile intelligitur, insectilia animalia, antequam interirent aquis Diluvii, ova sua, a masculo fecundata, recondisse in quibusdam arboribus, quæ sub aquis Diluvii vixerunt, suumque viorem retinuerunt. Quo postea factum est, ut, cessante Diluvio, ex his ovis, quæ quibusdam arboribus, sub aquis Diluvii virentibus delitescebant, innumera exclusa sint insectilia animalcula, quæ ex succo illarum arborum sua parata habebant alimenta. Quod vero sint quedam arborum species, quæ sub aquis vivunt, & viorem suum servant, non solum testantur *Theophrastus* in *Historia Plantarum* cap. 4. *Plinius* Libr. 13. cap. 21. & alii, sed etiam id non obscure innuit Scriptura Sacra, dum cap. 8. vers. 11. Libr. *Genesis*, ait, quod columba, quam *Noemus* ex Arca misserat, ut exploraret an cessassent aquæ Diluvii? *Venit ad eum ad vesperam, portans ramum olive virenibus foliis in ore suo*. Præterquam quod, etiam darem, univeras arbores sub aquis Diluvii corruptas & putrefactas suisse, semper tamen verum esset, ex ea putrefactione arborum, in quibus delitescebant insectilium ova fecundata, innumera potuisse excludi insectilia animalia, quia, sicut superius observavimus, experientia nunc exploratum habemus, ligna, quo vetustiora sunt, eo pluribus vermis seu insectilibus animalculis esse referta, non alia sane ratione, nisi

quia ova illorum insectilium animalium, quæ diutius in ipsis lignis asservantur, tunc potissimum ab illis excluduntur, cum hæc ligna putreescunt, eorumque partes majori fermentatione perturbantur. Sive ergo insectilia animalia ex materia putrefacta nascantur, sicut censent nonnulli Philosophi, sive ex ovis, a masculo fecundatis semper excludantur, ut ipse cum viris eruditis probabilius esse arbitratur, facile intelligitur, non fuisse necessarium, ut isthac insectilia animalia in Insulas a continente remotissimas post universale Diluvium transvehementur, cum vel ex materia (ut aliqui volunt) putredine nasci, vel ex ovis (sicut mox exposui) in ipsis Insulis, etiam a continente conjunctissimis, excludi potuerint.

D. Needum exposuisti, quo pacto ferocia animalia, sicut sunt leones, tigrides, pantheræ, nec non quedam nociva, videlicet vulpes, lupi, & alia id genus: denique, quomodo volucres potuerint post diluvium transire in Insulas a terra, immenso interjecto pelago, valde distantes, & ex illis Insulis ad Americam, quam nos appellamus novum Orbem, pervenire?

M. Quamvis vastissimum sit pelagus, quo America a tribus aliis Orbis partibus divellitur, verosimile tamen est, illud antiquitus pluribus Insulis fuisse refertum, quorum nonnullæ progressu temporis, ob validos terræ motus, fuerunt a mari abforpræ. Hoc semel posito, dici potest primo, hæc ferocia animalia, transando pelagus, potuisse ex unis in alias viciniores Insulas, & ex his in alias, odore prædæ illecta, usque ad Americam pertransire; non fecus ac nostris temporibus homines maritimis subtilibus cymbis, oblongani illam Insularum catenam, quæ a Septentrione in Meridiem per multa centena milliarium transversa occurrit, transcurrunt, & ad remotissimas Insulas, atque regiones perveniunt. Secundo dici potest, ferocia animalia potuisse in Insulas, a continente valde distantes, advehi in navibus a quibusdam hominibus, qui incolas ejusmodi Insularum infensissimo odio prosequabantur, eo fine, ut truculentia illa animalia depopularentur preges suorum hostium, ibique infectam suam speciem propagarent. Tertio fieri potuit, ut aliqui ferocia isthac animalia in has Insulas a terra remotissimas in navibus asportarent ad jocum, ad delicias, ad pompam, perinde ac modo ad Regum Aulas deferri solent. Hæc autem ferocia animalia, ad illas Insulas semel delata, & postea libertatem natæ, suam speciem ibi propagarunt. Postremo, ista ferocia animalia in has Insulas transvehere potuerunt homines in navibus propter aliquam utilitatem vel pelliū, vel medicinæ conficiendæ ex oleo, ex spiritibus, ex sale illorum animalium. Sed de transitu ferocium animalium in Insulas a continente remotissimas sat superque dictum fit. Paucæ nunc de transitu volucrum, & avicularum in Insulas, quæ a terra maxime distant, hic edisseram. Censeo igitur volucres & aviculas volando ad viciniores Insulas transisse, & ex his ad alias, quæ a continente longissimo intervallō distant, pervenisse, identidem tamen in medio Oceano quie-

quiescentes , tantisper arboribus navium insidentes , seque in tanto itinere pascentes culicibus & piscibus volatilibus , quibus pelagus abundat . Tendantur siquidem bene multi , qui suas maritimo itinere peregrinationes literis mandarunt , se vidisse saepius volucres , quæ supra navium verticibus insidebant , solitas esse interdum , ut vitam sustentarent , involare in pisces volatiles , & in examina culicum , indeque gratum navigantibus præbere spectaculum , præsertim , quando pisces volatiles a mari ad aerem fugiant , pulsi videlicet a marinis inimicis , seu a pisce majore , & rufus ab aere ad mare fuga se proripiunt , ne incident in alium inimicum aereum , scilicet volucrem pisatricem , in cuius alitum cedunt , ni protinus ab aere ad mare fugiant . Sunt etiam in Insulis , a continente remotissimis , quædam aviculae , quæ hoc ab hominibus fuerunt asportatae , quemadmodum de animalibus domesticis superius ostendimus .

D. Sed cur , quæso , voluit Deus , ut non solum homines , qui peccaverant , divinamque ejus Legem violaverant , universali Diluvio interirent , sed etiam voluit eidem poena addicere omnia bruta animantia , quæ in terris erant , exceptis his , quæ Noemus , iussu Dei , in Arca servavit , cum tamen bruta animantia , nec peccare , nec divinam Legem transgredi potuerint , utpote nulla ratione aut libertate donata ?

M. Antequam hanc difficultatem diluam , præstat , ut obiter observes , nonnullos errasse in explicanda belluarum natura . *Origenes* Homilia 4. in *Ezechielem* sensit , stellas peccatis esse obnoxias , nec Astra modo , sed elementa etiam , ac proinde ea judicium Dei olim subitura . Ut autem sententiam suam adstruat *Origenes* , probat , stellas esse animalia , quod mandata Dei dicantur accipere , mandare etiam ipsis Deum , ut statis moveantur temporibus , motus vero hujusmodi neque absolvit posse sine anima , neque sine motu esse posse , quæ anima prædicta sint , nec anima solum , sed & ratione pollere , ac proinde incrementa capere , sine dubio , virtutis , vel decrementa . Ad hac , animas antiquiores recentibus siderum corporibus inseri , probat ibidem *Origenes* , cuius licet causam saepius agat , objecta diluat , & duriores quandoque opiniones emollire pro virili satagat illustrissimus *Petrus Daniel Huetius* , Episcopus Abrincensis , hunc tamen *Origenis* errorem lib . 2. *Origenianorum* , Quæst . 8. purgare non potuit , immopotius *Sixtum Senensem* , qui *Origenem* ab hoc errore vindicandum suscepit , valide refellit . Ad hunc errorem *Origenis* , Afris , & animalibus , rationem tribuentis , & facultatem peccandi , proxime accedit *Lactantius* lib . 3. *Divin. Institut.* cap . 10. ubi aperte docet , homines dumtaxat per Religionem discrepare a belluis , non vero per rationem , quæ hominibus ac belluis communis est . Sic enim ait :

*Suumus igitur bonum hominis in summa religione est . Nam cetera , etiam quæ putantur homini propria , in ceteris quoque animalibus reperiuntur . Cum enim suas voces propriis notis discernunt atque distinguunt , colloqui videntur , ridendique ratio apparet in his aliqua , cum demulcis auribus , contracto-*

*Hist. Vet. Test. Tom. I.*

*que rictu , & oculis in lasciviam resolutis , aut horri ni alludent , aut suis quaque conjugibus ac fetibus propriis . Nonne aliiquid amori mutuo & indulgentiae simile impartuant ? Jam illa , quæ sibi prospectu in futurum , & cibos reponunt , habent utique providentiam . Rationis quoque signa in multis deprehenduntur . Nam quando utilia sibi appetunt , mala carvent , pericula vitant , latibula sibi parant in plures exitus dispersant : profecto aliiquid intelligent . Potest aliquis negare illis inesse rationem , cum hominem sepe deludant . Sed hunc *Origenis* & *Lactantii* errorum , qui animalibus , seu belluis , & rationem & facultatem peccandi inesse perperam existimarent , retulisse , abunde refutasse est . Nec enim Deus omnia animalia , quæ erant in terra , voluit ut Diluvio universaliter perirent , eo quod ante hac peccassent , sed quia , cum decrevisset Deus , omnes homines , qui peccaverant , penitus exterminare , excepta Noemi familia , necesse fuit , ut omnia animalia , exceptis his , quæ ad aliorum propagationem in Arca Noemi fuerunt asservata , submergerentur generalis Diluvii aquis , quæ ut prohibet Scriptura Sacra , altiores montes quindecim cubitis superabant . Absit tamen , ut nostro calculo probare velimus sententiam quorundam recentiorum Philosophorum , qui brutis animalibus cognitionem , sensum , vitam & animam prorsus admittunt , voluntque , ea , horologiorum instar , esse pura automata , arcana rotulis & elateriis contexta , quia , inquit , si bellua vita & cognitione prædicta essent , injuste tot malis & incommodis , quibus sunt obnoxiae , a Deo punientur , cum ullum peccatum , propter quod tot sibi infligerentur poenæ , nunquam admiserint . Absit , inquam , ut hanc recentiorum Philosophorum opinionem probare velim . Licet enim ultro fatetur , bellua vita & sensibili cognitione pollere , eaque , sicut experientia constat , multas perpeti miseras ; contendo tamen , ejusmodi miseras , quas belluae patiuntur , non esse poenas ipsis a Deo inflictas , sed esse tantummodo defectus , qui consequuntur illarum naturam ; sicut ex . Gr. si homo fuisset in statu naturæ puræ a Deo conditus iisdem miseras , calamitatibus , morbis , & morti obnoxius extitisset , quibus nunc in statu naturæ lapsæ subditus est , cum hoc tamen discrimine , quod homo in statu naturæ lapsæ miseras , calamitates , morbos & mortem perterritat tanquam poenas sibi a Deo illatas propter peccatum originale , quod est causa , radix & origo omnium illarum poenarum . At homo , si in statu naturæ puræ fuisset a Deo creatus , ejusmodi miseras , morbos , & mortem expertus quidem fuisset tanquam defectus consequentes naturam illius , quæ passibilis & mortal is est , sed non tanquam poenas sibi inflictas a Deo , quia Deus bonus & justus neminem poena afficit nisi ob præcedens peccatum , quod , sicut in confessio est apud omnes Theologos , eo in statu naturæ puræ non fuisset , sicut jam observavimus in primo Colloquio in Historiam primæ Mundi ætatis . Sed de belluis , earumque natura plusquam satis dictum fit , & præsenti Colloquio nostro finem , si placet , imponamus .*

D. Ne diutius , quam par sit , nostrum protracto-

F

natur

hatur colloquium, hoc unum dumtaxat tibi Dubium proponam, an videlicet Ethnici scriptores aliquam de Turri Babylonica, & de dispersione hominum in omnes Orbis Regiones notitiam haberint?

M. Ethnici scriptores, & poetæ multa de Turri Babylonica, & de hominum dispersione scripserunt, quorum nonnulla, quæ ex lectione Scripturæ scire potuerunt, servant vestigia veritatis: quæ tamen, pro more suo, multis fabulis, & inanibus commentis resperserunt: Sibylla quædam apud Josephum lib. 1. contra Appionem, & apud Eusebium, Episcopum Cæsariensem, lib. 9. De Preparatione Evangelica, hæc habet: *cum omnes homines una lingua loquerentur, altissimam Turrim ædificarunt, tanquam in Cælum ascensuri.* Dii autem, ventis immisso, Turrim everterunt, & propriam unicuique linguam attribuerunt. Unde factum est, ut Urbi Babiloni nomen esset. Eupolenus etiam apud eundem Eusebium, loco mox a me laudato, itidem scribit, *Urbem Babylonem primum ab illis fuisse conditam, qui a Diluvio servati sunt, eos autem fuisse gigantes, & celebrem illam urbem exstruxisse, qua, vi divina, prostrata, gentes per universam terram fuisse dispersas.* Abydenus apud S. Cyrrillum, adverlus Julianum Apostolam, & apud jam citatum Eusebium lib. 9. De Præp. Evang. c. 9. eum in modum effatur: *Sunt qui dicunt, primos e terra editos, cum virium & molis ratione superbirent, & Diis se prestantiores esse jaclarent, Turrim excelsam erexisse, ubi nunc est Babylon, & cum esset iam Cælo proxima, ventos, Diis subvenientes, totum opus subvertisse; ruinis autem Babylonie nomen fuisse impositum, &c.* Ex hac Turris Babylonie extractione ansam & occasionem arripuerunt Poetae fingendi fabulam de Gigantibus e terra editis, qui temerario ausu cum Diis pugnare, & aggestu montium in celum sibi viam parare vellent, Jovis fulmine fracti, vieti & dissipati sunt, sicut Poeta Ovidius describit libr. V. Fastorum, his versibus:

*Terra seros partus, immacula monstra, Gigantes*

*Edidit, ausuros in Jovis ire domum.*

*Mille manus illis dedit, & pro cruribus angues,*  
*Atque ait; in magnos bella movete Deos.*

*Extrire hi montes ad sidera summa parabant,*  
*Et magnum bello sollicitare Jovem.*

*Fulmina de Cæli jaculatus Juppiter arce,*  
*Vertit in authores pondera vasta suos.*

Hæc ex vetustis Ethnicorum Scriptorum, & Poetarum monumentis hausta servant quidem multa veritatis vestigia, sed quæ multis fabulis fuerunt ab illis conspersa atque interpolata. In primis, fabulis accenserri debet quod dictant de Turris Babylonica extractoribus, illos videlicet fuisse Gigantes e terra editos. Secundo, ejusmodi Gigantes hanc Turrim Babyloniam eo fine ædificasse, ut contra Deos bella movere possent. Tertio, illos Turris Babylonica conditores voluisse prædictam Turrim ad Cælum usque evehere. Absit enim ut credamus, tam vesa-

nos fuisse istos Turris Babylonicae conditores, ut crediderint, eam usque ad Cælum evehiri posse, sed tantum, juxta phrasim hebraicam, profiteretur in Scriptura sacra cap. XI. lib. Gen. V. 4<sup>se</sup>, ad celebrandum nomen suum, Turrim exterritos, *cujus culmen pertingat ad Cælum*, idest, in innumenium attollatur. Postremo, purum putumque commentum est, quod ajunt Ethnici scriptores, Turrim Babyloniam, immisso ventis, fuisse a Diis penitus eversam ac solo æquatam. Sed, explosis iitis Ethnicorum fabulis, hoc unum ad coronidem nostri colloqui addam, nianirum in illos Turris Babylonicae latomos vere quadrare id, quod dicit Solomon lib. Proverbiorum cap. 10. V. 24. *Quod timet impius, veniet super eum.* Metu quippe dispersionis, homines post Diluvium Urbem & Turrim Babyloniam extruendam sibi proponant: *Venite, inquit, faciamus nobis civitatem & Turrim . . . antequam dividamur in universas terras,* Genesis cap. XI. V. 4. At, Deo sic disponente, illud ipsum ædificium, quod, metu dispersionis, magno molimente substruxerunt, causa fuit cur citius dispergerentur. Deus tamen qui e malo elicit bonum, singulare divinæ sua providentia beneficio fecit, ut hæc dispersione cederet in utilitatem generis humani, & longe maius inde emerget bonum, quam quod sibi proposuerant insani Turris Babylonica fabricatores. Erat siquidem illis animus in Turris unius substructione inutiliter confenserere, sed Deus illos dispersit, ut genus hominum propagarent, Urbes plurimas in toto terrarum Orbe conderent, & fundamenta jacerent tot Regionum, quæ etiam in florent. Plura non dicam, ne te, domum properantem, diutius hic detineam, sed te poltride in meo Musæo expecto, ibique nostrum habebimus colloquium, in quo faciam satis omnibus Dubiis, quæ in Historiam secundæ Mundi ætatis proponere solent viri eruditæ. Tu interim studio gnavoriter incumbe, & fac, ut ad colloquium nostrum imparatus non accedas.

## COLLOQUIUM II.

*In quo diluntur Dubia, quæ in Historiam secundæ Mundi ætatis viri eruditæ propone-re solent.*

DISCIP. Perlegi, ut morem tibi gererem, celebriorum Scripturæ sacra Interpretum libros, ex quibus aliquot circa Historiam secundæ Mundi ætatis congettæ dubia, quæ in hocce colloquio juxa ordinem, quo memorie meæ occurrit, tibi proponam, ut majorem illorum elucidationem ex tuis Responsis haurire possim. Et primo quidem, a te percontabor: quænam illa prima fuerit lingua, quam Deus ab initio Mundi primis parentibus nostris indidit, & quæ sola ante confusionem Babyloniam viguit? Unam etenim ante dispersionem hominum fuisse linguam, legi in Scriptura sacra c. XI. v. 1. lib. Genesios: *Erat autem terra labii unius, & sermonum eorumdem.*

M. Quam difficile sit definire, quænam fuerit pri-

primigenia illa & antiquissima lingua, quæ sola a primo homine *Adamo* usque ad linguarum confusionem obtinuit in Mundo, ex tot sententiarum, quæ super hac re circumferuntur discrepantia faciliter negotio judicari potest. In primis, *Joannes Goropius Becanus* linguam Cimbricam, seu Belgicam, pro antiquissima & primorum parentum nostrorum in Paradiso terrestri vernacula venditare voluit. Sed hæc sententia ( si excipias *Levinum Terrentium* ) nullos patronos natæ est. Doctissimus Abbas *Paulus Perzonius*, Ordinis Cisterciensis, in libro, quem edidit, *De Antiquitate & origine nationis, & lingue Celtarum, seu veterum Gallorum*, pertendit, linguam Celticam, quæ in Armorica inferiori, seu in Britannia minori, adhuc viget, esse primam omnium linguam, quam Deus primis parentibus nostris *Adamo*, & *Eve* infudit, quoque omnes homines usque ad confusioneum linguarum usi sunt. Sed hæc opinio nihil præcedenti plausibilior est. *Theodoreetus*, natione *Syrus*, & *Cyri* in Syria Episcopus, Quest. 12. in *Genesim* lingua Syro-Chaldaicæ, ut genti sua gratificaretur, hanc gloriam vindicare pro viribus conatus est, in cuius sententiam iverunt nonnulli, quos prolixe fatis confutavit *Waltonus* in Apparatu ad Biblia Polyglotta Anglicana, Prologomeno tertio. Sunt aliqui, quos inter censetur illustrissimus *Petrus Daniel Huetius*, Episcopus Abrincensis, in sua *Demonstratio Evangelica*, qui linguam Chaldaicam omnium antiquissimam, ac Mundi coævam esse celebrant. Uno verbo, sunt plures nationes, quæ suam linguam omnium primam esse jactant, *Aethiopicam* Abissini; suam Chinenses; suam Arabes; &c. Ipse vero cum antiquis Scriptoribus, & sanctis Patribus, *Origene Homilia XI.* in librum Numerorum, *S. Chrysostomo*, *Homilia 3. in Genesim*, *S. Augustino lib. 16. De Civit. Dei c. 12.* & *S. Hieronymo* Commentario in c. 3. *Sophonie*, quos e modernis sequuntur *Serarius Bonfrenius*, *Buxtorfius*, *Waltonus*, *Thomassinus* & alii, longe probabilius esse arbitror, primam, & antiquissimam Mundi linguam, quam Deus infudit primis parentibus nostris, & qua inter se locuti sunt, fuisse eam, quæ post hominum, & linguarum divisionem, *Hebreæ* consequentibus temporibus dicta est, & etiam auctum dicitur. Hæc, inquam, sententia mihi præ ceteris aliis magis arredit, primo, quia nulla est alia lingua, quæ tam simplex sit, quæque tanta efficacia naturam & proprietatem rerum efferaat, quam hæc lingua Hebreæ. Secundo, quia Etymologia nominum primorum hominum, & Patrum Antediluvianorum, necnon omnium artium, & instrumentorum, etiam musicorum, aperte demonstrat, primam omnium linguam esse Hebream. Hæc enim nomina, quæ in principio creationis, & sequentibus temporibus data sunt hominibus, vere esse hebraica, & e radicibus hebraicis derivata, evincunt viri eruditæ, mox a me laudati. Postremo, quia omnes linguae cum antiquioribus, tum recentioribus, suam ex lingua hebraica originem habent, ut videre est in *Glossario Hebraico*, quod edidit *Ludovicus Thomassinus*, Congregationis Oratorii Presbyter, ubi clarissimus ille Scriptor, & linguarum exoti-

carum peritissimus, ostendit, non solam linguis, Chaldaicam, Arabicam, Phœniciam, seu Chananæam, sed etiam linguis Græcam, Latinam, Saxoniam, Teutonicam, Celticam, Armorican, Gallicam, Hispanicam, Italicam &c. esse totidem linguae hebraicæ dialectos, seu varias propagines, quæ e lingua hebraica, omnium prima, tamquam e radice pullularunt.

D. Fuitne hæc lingua Hebreæ, post linguarum confusionem, & hominum dispersionem, in multis familiis conservata?

M. Autumant nonnulli Auctores, linguam Hebream, post linguarum confusionem, & hominum dispersionem, in multis familiis & locis, videlicet in Syria, Assyria, & in terra Chanaan, atque in posteris *Chami*, filii Noemi, incorruptam permanisse. At, ipse probabilius esse censeo, primigeniam linguam hebraeam suisse conservatam puram & illibatam in una tantum familia, quæ, juxta promulgatam tam Hebræorum, quam Christianorum sententiam, sicut familia *Heberis*, pronepotis Patriarchæ *Semi*. Porro, hanc nostram sententiam præfertim stabiliunt nomina Patriarcharum post diluvium, nempe *Abrahami*, *Isaaci*, *Jacobi*, omniumque ejus filiorum, quæ omnia pure hebraica sunt, unde sequitur necessario, illos qui hæc indiderunt nomina, hebraice esse locutos, subindeque linguam Hebraicam, post linguarum confusionem, in familia Patriarchæ *Heberis* suisse conservatam. *Abrahamus* siquidem, *Isaacum*, *Jacobum* &c. suisse posteros Patriarchæ *Semi*, per lineam *Heberis* descendentes, omnibus e Scriptura sacra notissimum est.

D. Quænam potissimum fuit causa, ob quam lingua Hebreæ post linguarum confusionem, in sola familia Patriarchæ *Heberis* incorrupta permanerit?

M. Duplex potest assignari causa, cur lingua Hebreæ in sola *Heberis* familia permanerit incorrupta. Primo, quia familia Patriarchæ *Heberis* nullo pacto consenserit in impium & flagitiosum fabrorum Turris Babylonica consilium. Scriptura namque expresse dicit urbem, & Turrim Babyloniam suisse extractam a *filiis hominum*, per quos, ut alibi observavimus, intelligit homines impios & prophanos, qui e *Caino*, filio *Adami*, genus suum duebant, quemadmodum Scriptura Sacra per *filios Dei* solet indigitare posteros *Sethi*, alterius filii *Adami*, & posteros itidem Patriarchæ *Semi*. Cum igitur familia Patriarchæ *Heberis*, quæ per *Semum*, filium *Noemi*, descendebat, non consenserit in flagitiosum istud extruendæ Turris Babylonica consilium, credibile non est, hanc familiam in eadem illorum pœna, seu linguarum confusione, jacuisse, quorum culpæ se participantem non reddit. Hinc est, quod familia Patriarchæ *Heberis*, tempore, quo homines, post linguarum confusionem, per omnes terras dispersi sunt, non fuerit ipsa dispersa, sed inconcussa tunc sedibus suis permanerit, donec *Abrahamus*, ex familia Patriarchæ *Heberis* descendens, speciali vocatione inde fuerit a Deo evocatus. Sicut igitur pœnam dispersionis non subiit familia Patriarchæ

*Heberis* ita verisimile est, eam nec linguae suæ confusionem esse passam, sed potius avitam lingua Hebræam conservasse puram & incorruptam. Altera causa, cur lingua Hebraea, post linguarum confusionem, in sola familia Patriarchæ *Heberis* integra & incontaminata permaneserit, hæc est, quia familia *Semi*, filii *Noemi*, ex qua Patriarcha *Heber* propagatus est, semper in vera religione, seu in sincero unius & veri Dei cultu constanter perficit: e contrario familia *Chami*, alterius filii *Noemi*, a Deo, & a vera religione delictiv. Quo factum est, ut familiam Patriarchæ *Heberis* singulari favore, gratia ac benedictione Deus profectus fuerit, cum e contra familia *Chami*, ex qua *Chanaan* prognatus est a Deo sit maledicta. Probabile itaque est primo, Deum in familia Patriarchæ *Heberis*, qua fuit familia sancta & benedicta, maluisse conservare linguam sanctam, seu Hebræam, per quam religionem & Legem suam propagare, & promulgare voluit, quam in familia prophana & maledicta. Secundo, probabile etiam est, linguam Hebræam, sic dictam fuisse a Patriarcha *Hebere*, eo quod apud ipsum, & in ejus familia fuit tempore confusionis linguarum conservata, & postmodum ad ejus posteros transfusa.

D. Interfui nuperime cœtui quorundam viorum eruditorum, quorum aliqui affirmabant *Hebreos* sic dictos esse a Patriarcha *Hebere*, qui linguam Hebræam, post linguarum confusionem, in sua familia incorruptam conservavit; Alii vero siebant, hujus Hebræorum nominis originem altius arcessendam non esse, quam a temporibus Patriarchæ *Abrahani*, qui primus a *Chanaanis* fuit vocatus *Hebreus*, quod flumen Euphratem transisset, ut relicta *Chaldaea*, quæ erat trans flumen Euphratem, habitarent terram *Chanaan*. Ob illum fluvii Euphratis transitum, *Abrahamus* fuit a *Chanaanis* *Heber*, idest, *Transitor* appellatus, indeque Hebræorum nomen omnibus *Abrahani* posteris habet, sicut dicebant viri illi eruditii. Tu quid ea de re sentias, paucis aperire ne graveris.

M. Cum utraque sententia, ut candide fatear, cum antiquorum, tum recentiorum Scriptorum testimoniis fulciatur, neutri suam probabilitatem adimere volo, sed illius delectum tuo arbitrio lubeo permitto. Hi qui *Hebreos* sic a Patriarcha *Hebere* dictos putant, nituntur testimonioi *Josephi Hebrei*, lib. 1. Antiquit. Judaic. cap. 6. *Eusebii* lib. 7. *De Preparat. Evang.* cap. 2. *Eucherii* lib. 2. in *Genesin* cap. 7. sed potissimum *S. Augustini* lib. 16. *De Civit. Dei* cap. 12. ubi luculenter docet, linguam hebraicam, ante confusionem linguam & gentium dispersionem, omnibus communem fuisse, eamque in familia Patriarchæ *Heberis*, *Phalegi*, & *Abrami*, integrum mansisse tradit, idque hinc probat, quod diversorum populorum nomina, qui suis coloniis orbem terrarum impleverunt, ea ipsissima sunt, quæ in Sacris Litteris sunt consignata: *Illarum*, inquit Aquilinus ille Doctor, gentium vocabula partim manserunt, adeo ut etiam hodie appareat, unde sint vocabula derivata, sicut ex *Affur Assyrii*; ex *Heber Hebrei*; partim temporis vetustate mutata sunt: Ita ut vix homines

doctissimi, antiquas Historias perscrutantes, net omnium, sed aliquarum ex ipsis origines potuerint reprire. Haec tenus *S. Augustinus*, in cuius sententiana manibus pedibusque descendunt moderni Scriptores undecimque doctissimi, quos inter numerantur *Perevius*, *Steuchus*, *Genebrardus*, *Cornelius a lapide*, *Bonfrerius*, *Buxtorfius*, &c. inter Rabbinos vero, *Aben-Esra*, *Kimki*, & *Abarbanel*. At vero, alii Scriptores, qui hujus Hebreorum nominis originem ab *Abrahano* repetendam esse afferunt, bene multos proferunt cum antiquos, tum recentiores Autores, qui eorum sententia aperte patrocinantur. Hi autem sunt *Julius Africanus*, ab *Eusebio* citatus, qui hæc habet: *Hebrei*, dicti quasi transatores, quia *Abraham* Euphratem transit, non, ut quidam, ab *Heber*. *Origenes* in *Matthæum* p. 239. ait: *Hebrei*, qui exponuntur trajecliti. Idem repetit Hom. 19. in *Numeros*, & Homil. 35. in *Genesin*. *S. Hieronymus* in *Ezechiele* cap. 7. *Abraham Hebreus*, idest, *transitus*, & *peregrinus* transitorque nominatur. In eandem sententianam conpirant Patres Graci, *Diodorus Tarsensis*, *S. Joannes Chrysostomus* Homilia 35. in *Genesin* & Homilia *De nomine Abraham*, & *Theodoreetus* Quæst. 60. in *Genesin*. Eadem sententia suffragantur itidem pluri-mi Rabbini, & peritiores Scriptura Sacrae moderni Interpretes, *Paulus Burgensis*, *Reuchlinus*, *Isidorus Clarius*, *Eftius*, *Arias Montanus*, *Morinus*, *Munsterus*, *Scaligerus*, *Seldenus*, *Cappellus*, *Grotius*, *Vossius*, *Waltonus*, &c. Cum igitur utraque sententia circa nominis Hebreorum originem probabilibus nitatur conjecturis, suoque habeat defensores, sua utrique debet constare probabilitas, maxime cum ea de re fileat Scriptura Sacra, nec in ea curiosius inquirere par sit, quæ ipsa silentii sapientia obexit.

D. Quo pacto intelligi debent hæc Dei verba, que cap. 11. Lib. *Geneeos* leguntur: *Venite, descendamus, & confundamus ibi linguam eorum, ut non audiat unusquisque vocem proximi sui?*

M. Communis est Scriptura Sacra Interpretum sententia, Deum in confusione Babelica, sic primigeniam linguam, quæ, ut ostendimus, Hebræa erat, confusisse, ut omnes homines, antequam dispergerentur in 70. vel 72. linguas, juxta totidem Patriarchæ *Noemi* nepotum numerum, divisserit. Scriptores Latini, quia numerant dumtaxat septuaginta *Noemi* nepotes, videlicet ex *Japheto*, filio *Noemi*, quatuordecim; ex *Chano*, altero *Noemi* filio, triginta; & ex *Semo*, tertio *Noemi* filio, viginti sex; ideo dicunt, Deum in confusione Babelica divisisse hominum genus in 70. linguas omnino diversas. Ait, Scriptores Graci affirmant, Deum, antequam homines in omnes terras dispergeret, illos in 72. linguas plane distinctas divisisse, quia, præter illos septuaginta *Noemi* nepotes, quos percensent Latini, duos alios admittunt, nempe *Elisani* inter filios *Japheti*, & *Cananæ* inter nepotes *Se-mi*. Sed hæc veterum, tam Gracorum, quam Latinorum, de 70. vel 72. linguis, in quas ante dispersionem gentium divisus est humanus sermo, cum certa non sit, sicut alibi me observasse memini, longe probabilius ipse arbitror Deum in confusione Babelica non novas in mentibus hominum produxisse linguas,

a lingua hebraica, quæ erat antiquissima, & qua omnes homines antequam dispergerentur loquuntur, omnino diversas; sed Deum dumtaxat confusisse linguam hebraicam qua tanquam vernacula utebantur omnes, & ex ea lingue hebraicæ confusione ortos esse diversos loquendi modos, seu varias linguis, quæ tamen erant totidem linguae hebraicæ dialecti, non secus ac linguae Italiæ, Gallica, Hispanica, sunt dialecti linguae latine. Illa quippe linguae hebraicæ confusio, quam Deus ad dispergundos homines per omnes terras induxit, idem effecit, quod ipsa dispersio gentium temporum lapsu efficeret, in varias enim dialectos abiisset. Hinc lingua Orientales, scilicet Chaldaicum, Syrorum, Phœnicum, seu Chanaanorum &c. faciliter discinunt ab his, qui Hebraice sciunt, quia sunt linguae hebraicæ dialecti, majorem cum ipsa affinitatem habentes. Sed de his plura leges apud jam citatos doctissimos Auctores, *Ludovicum Thomassium* in Præfatione sui *Glossarii Hebraici*, & *Paulum Pezronum* in libro, quem concinnavit *De Antiquitate & origine nationis & lingue Celtarum*, seu veterum Gallorum.

D. Cainam ille, quem Scriptores Græci, at mox dixisti, enumerant inter nepotes *Semi*, filii Noe, fuitne verus Patriarcha, aut suppositius? audi vi quippe nudiustertius viros eruditos ea de re inter se acerrime digladiantes; aliis afferentibus, hunc *Cainanem*, quem Graci Scriptores inter *Semi* nepotes numerant, esse plane suppositum, ac subinde e serie Patriarcharum post Diluvium jure optimo esse expungendum; aliis vero, affirmantibus, hunc *Cainanem* vere inter nepotes *Semi* locum habere debere, eumque inter *Arphaxad*, cuius filius fuit, & *Salem*, quem genuit, esse reponendum. Hanc igitur, si placet, elucida difficultatem, quæ rabi, ut verum fatear, fatis intricata videtur.

M. Justissima de causa hanc difficultatem satis intricatum appellas. Si enim aqua lance libremus singula momenta, quibus hinc inde sulti Scripturæ Sacrae Interpretes, *Cainanis generationem*, *Arphaxad* inter & *Salem*, aut admittunt, aut inficiantur; compierimus, difficultem ad dirimendam lance difficultatem patere aditum. In primis, hi, qui *Cainanis* generationi refragantur, his nituntur momentis. Ajunt primo, *Moysen* in primigenio Textu Hebræo, sive in cap. II. Libri Genesis, sive cap. I. lib. I. Paralip. ubi Patriarcharum ante & post Diluvium generationes accuratissime persenserit, altissimo silentio prætermisso in serie Patriarcharum post Diluvium istum *Cainanem*, quem Graci Codices *Arphaxad* inter & *Salem* inserunt. Nec tantum in Textu Hebræo desideratur iste *Cainan*, sed nec invenitur in Textu Samaritano, & in Antiquis Scripturæ Sacrae Versionibus Chaldaica, Syriaca, Arabica, Persica, & in nostra Versione Vulgata, quæ ab Æcumenico Concilio Tridentino Authentica est declarata, ne vola quidem, aut ullum hujus *Cainanis* post diluviani apparet vestigium. Fatentur quidem istius sententiae Assertores, hunc postdiluvianum *Cainanem* extare in versione lxx. Interpretum, ejusque nomen etiam legi in Evangelio S. Luce cap. 3. Sed contendunt, nomen *Cainanis* reperiiri dumta-

xat scriptum in Versione lxx. Interpretum, quæ erat corrupta & interpolata, sed non in ea Versione lxx. Interpretum, quæ erat illibata atque incontaminata. Geminam quippe Versionem lxx. Interpretum distinguit Sanctus Hieronymus in Epist. 125. ad *Suriam*, & *Fretellam*, unam nimis, quæ extabat in Hexaplis *Origenis*, & aliam, quam *Origenes*, *Eusebius Cesariensis*, omnesque veteres Græci Tractatores appellant *Kurēv*, idest, *communem*, quia communī fidelium usui inserviebat. Observat autem ibidem S. ille Doctor, id discriminis fuisse inter utramque lxx. Interpretum Versionem; quod illa, quæ erat in Hexaplis *Origenis*, pura, emendata, & castigata esset; alia vero lxx. Interpretum Versio, quæ vulgo *Communis* dicebatur, quod manibus omnium passim tereretur, pro locis & temporibus, & pro voluntate Scriptorum esset vitiosa, multisque scateret mendis. Hoc posito, dicunt illi Auctores, qui *Cainanem*, seu Patriarcham insititum, explodunt, nomen quidem *Cainanis* irrepisse in Versionem lxx. Interpretum, quæ corrupta erat, sed non extitisse in ea Versione lxx. Interpretum, quæ erat in Hexaplis *Origenis*, & emendatissima censebatur, quæque in Alexandrina Regina Egypti Cleopatra insigni Bibliotheca fuit asservata, donec anno ante Natale Christi Domini circiter quadragesimo octavo fuit hæc Bibliotheca incendio consumpta, quando videlicet Bello priori Alexandrino, a *Cæsare* confecto, ex militum seditione, maximo Reipublicæ literariae damno, conflagratione periit. Quod spectat Evangelium S. *Luce*, in cuius capit. 3. legitur nomen *Cainanis* postdiluviani, respondent Scriptores, qui istius *Cainanis* generationem non admittunt, interpolatrice manu hujus *Cainanis* nomen in Evangelium S. *Luce* fuisse intrusum, idque evincere se posse putant ex libro S. *Luce* Græco-Latino, in antiquioribus membranis, literis majusculis, sine spiritalibus & accentibus descripto, in quo nulla omnino *Cainanis* postdiluviani fit mentio. Hic autem liber, Historias quatuor Evangeliorum, & Auctorum Apostolorum complectens, ex Græcia olim in Gallias aportatus, in Monasterio S. *Irenei*, in Suburbio Lugdunensi est repositus, ibique, oriente bello anno 1562. repertus est a *Theodoro Beza*, Hæresiarchæ *Calvini* Discipulo, qui anno 1581. illum Cantabrigensi Academia Bibliothece dono dedit.

Aliud probationis genus ad excludendum hunc *Cainanem* e serie Patriarcharum postdiluvianorum defumunt multi Scriptores latini ex Sanctis Patribus, qui in serie Patriarcharum postdiluvianorum juniorum *Cainanem* omnino prætermittunt, quos inter sunt *Epiphanius* Hæresi lv. quæ est Melchisedechianorum, *Julius Africanus*, *Theophilus Antiochenus*, lib. 3. ad *Autolicum*, quibus addunt *Eusebium*, *Episcopum Cæsariensem*, in suo Chronico a *Scaligerio* græce edito, *Josepham* Hebraum, lib. I. Antiq. Jud. c. 8. & duos Scriptores prophanos, *Berojum* videlicet Chaldaeum, citatum apud *Eusebium* lib. 3. *Præparationis Evangelicae*, & *Eupolemum*, laudatum ab *Alexandro Polybistore* apud *Eusebium*, qui diserte afferunt, Patriarcham *Abrahamum* yixisse decima post Diluvium generatione. Porro, si *Cainan* inseratur inter *Arphaxad* & *Salem*, compier-

tur, Abrahamum non vixisse decima post Diluvium generatione, sed undecima. Haec sunt in summa precipuae rationes, quibus adducantur multi Scriptores latini ad repudiandum Cainanem, tanquam Patriarcham insitum, & intrusum in Evangelium S. Luce.

At, non defunt viri erudit, qui his momentis alia non minoris ponderis opponunt, probantque, Cainanem in Patriarcharum postdiluvianorum chorum esse admittendum. In primis dicunt, lxx. Interpretetes in sua Versione Graeca cap. II. Lib. Geneeos Cainanem laudare tanquam filium Arphaxad, eumque reponere Arphaxad inter & Salem. Quis autem dicere audeat, quempiam aliquando mortalium fuisse adeo temerarium, qui in Sacrum Textum intrudere voluerit Cainanem, si revera esset Patriarcha supposititus, & nunquam in rerum natura extitisset? Quæ malitia? Quæ spes utilitatis septuaginta Seniores, aut eorum Amanuenses poruit ad tam putidum mendacium impellere? Præterea, S. Lucas, Evangelista, cap. 3. sui Evangelii Genealogiam Christi Domini texens, Cainanem reponit Arphaxad inter & Salem, dicens: *Qui fuit Salem, qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxad.* Porro, temeritatis est summa ex Evangelio S. Luce quod omnibus Sacro-Sanctum esse debet, expungere velle, quod non solum vetustissimi Scripturæ Sacrae Interpretates, sed etiam Sancti Patres, præsertim Augustinus lib. 16. De Civitate Dei, & Hieronymus in Translatione Evangelii S. Luce, legerunt, agnoverunt, retinuerunt, quodque etiam Romana, post Sacrorum Codicum emendationem, iusli Summorum Pontificum Sixti V. & Clementis VIII. factam, etiamnum legit, agnoscit, retinet & approbat Ecclesia, quæ nec falli, nec fallere potest. Addunt denique, Cainanem, postdiluvianum, omitti quidem in nostra Editione Vulgata Veteris Testamenti, sed hanc omissionem arguere dumtaxat Amanuensem memoriam, & diligentia defectum, quem ita contigisse longe credibilius esse putant, quam si dicatur, Cainanem in Graeca lxx. Interpretum Versione, & in Evangelio S. Luce confutò & data opera fuisse interfatum, & adjectum, quia haec additio absque insigni auctoritate, & falsitate fieri haud potuisset. His potissimum momentis nituntur generationis Cainanis patroni ac defensores.

D. Circa Cainanis postdiluviani generationem duas Scriptorum cum Græcorum, tum latinorum sententias e diametro oppositas video, sed cuiam sententia palmarum adscribere debeam, dubius adhuc hæreō, & instar stateræ, hac illac æqua lance librata, neutro propendo.

M. Cum nomen Cainanis legatur in Evangelio S. Luce, nec ulla ratione dici possit, istud Evangelium sub mendo cubare, auctor tibi sum, ut in illorum sententiam descendas, qui albo Patriarcharum postdiluvianorum Cainanem accentent. Ne autem ea, quæ ab opposita sententia assertoribus proferuntur, quæque superius perstrinx, momenta tibi aliquid faceant negotii, his breviter, quantum fieri poterit, faciam satis. Et primo quidem dico, Moysem in Textu Hebræo generationem Cainanis,

Patriarchæ postdiluviani, de industria transiliisse. Statuerat quippe Moyses (Sicut, post Josephum lib. I. Antiq. Jud. c. 6. observant vetustissimi Hebraeorum Scriptores) decem dumtaxat Patriarcharum post Diluvium generationum gradus percensere, hoc est, a Noemo usque ad Abramum, non fecus ac ab Adamo usque ad Noeum, decem dumtaxat Patriarcharum antediluvianorum generationes recensuit. Quomodo etiam videmus, Matthæum, Evangelistam, in describenda Genealogia Christi Domini tres tessaredecades animo complexum, in earum altera tres generationes de industria praeterisse. Ait enim c. 1. sui Evangelii: *Joram genuit Oziam; cum tamen l. 4. Regum c. 8. & II. Joram genuerit Ochosiam, Ochosias genuerit Joam, Joas genuerit Amasiam, Amasias vero genuerit Oziam.* Quemadmodum igitur Evangelista Mattheus, ob illum quatuordenarium mysticum numerum, quem, in texenda Genealogia Christi retainendum sibi præscripterat, tres in secunda tessaredecade refecuit generationes, quæ huic mystico numero officere potuissent; ita pari jure Moyses, qui in recensendis generationibus Patriarcharum, qui ante & post Diluvium vixerunt, decadem, seu mysticum denarium numerum sibi servandum præpouerat, generationem Cainanis postdiluviani silentio prætermisit, quia, si eam recensuisset, non decem, sed undecim, Patriarcharum generationes secundæ Mundi ætatis numerare debuisset, sive fine, in putandis Patriarcharum primæ & secundæ ætatis annis sibi præfixum, non obtinuisse. At, lxx. Interpretes, qui in sua Graeca Scripturæ Sacrae versione non meros agebant interpretes, sed Prophetas, quique spiritum sanctum, Sacraru[m] scripturarum Autorem, inhabitantem habebant, sicut plerique Sancti Patres, potissimum S. Augustinus lib. 18. De Civitate Dei cap. 43. Scripto tradiderunt, non tam ex Textu Hebreo converterunt in Græcum sermonem ea, quæ in Pentateucho Moysis repererunt, sed etiam suppleverunt quæ ab illo, justa quidem, licet nobis ignota quandoque ratione, fuerunt prætermissa. Cainanis itaque generationem, a Moysi omissam, lxx. Interpretes, afflati Spiritu sancto, in sua Versione Graeca Arphaxad inter & Salem inseruerunt. Quod quidem palam adstruere videtur auctoritas S. Luce, Evangelistæ, qui cap. 3. sui Evangelii describendo genealogiam Christi Salvatoris nostri, disertam Cainanis mentionem facit, quia hanc generationem Cainanis repererat in pura & immaculata, quam consuluit, Versione lxx. Interpretum. Quis enim, amabo, inficias ire audeat, S. Lucam, Evangelistam, habuisse penes se puram & castigatissimam lxx. Interpretum Versionem? Falsum igitur est quod diatribant nonnulli, generationem Cainanis extitisse quidem in Versione lxx. Interpretum, quæ corrupta, & adulterata erat, sed non in Versione lxx. Interpretum, quæ pura & incontaminata erat; alioqui dicendum esset S. Lucam, nulla habita ratione puræ & castigatæ Versionis lxx. Interpretum, consuluisse tantum, ad describendam genealogiam Christi, corruptos jam Codices Versionis Græcæ lxx. Interpretum, quod sane citra temeraria-

ritatem, ne quid gravius dicam, nec proferri, nec cogitari potest. Longe itaque credibilis est, generationem *Cainanis*, postdiluviani, extitisse in Versione emendatissima lxx. Interpretum donec quidam sciolii, & male seriat homines, quos non pudet grassari, & virgam censoriam exercere in Scripturam Sacram, fuerint exorti qui, postquam Græcos Codices cum Hebraicis contulissent, vidisse atque, *Cainanem*, postdiluvianum, ab Hebraicis abesse codicibus, quem licenter in Sacris Codicibus adjectum sibi perperam persuaserunt, licentius etiam, tanquam Patriarcham additum, eraserunt, ac de medio sustulerunt. Hujus nostræ conjecturæ vim non infringit liber ille Græco-latinus, complectens quatuor Evangeliorum, & Actorum Apostolorum Historias, Cantabrigensi Academiæ anno 1581. donatus, in quo non extat *Cainanis* postdiluviani generatio: Hic, inquam, manuscriptus Codex, licet antiquissimus, hujus conjectura nostra robur non infringit, tum quia tantam auctoritatem non habet, ut opponi, & præferri debeat omnibus aliis manuscriptis Codicibus Græcis, qui asservantur in Bibliothecis, in quibus invenitur *Cainanis* nomen, nec prædictus Codex jus dare potest hominibus, aliunde rerum novarum cupidis, carpendi, aut perturbandi receptam ubique gentium Evangeliorum, & reliquorum Sacrorum librorum editionem a *Sacro-Sancto* & *Ecumenico Concilio Tridentino* & a Sede Apostolica probatam, emendatam, ejusque iussu publicam in lucem emissam. Tum quia etiam prædictus Codex Greco-Latinus nec *Eusebii*, Episcopo Cæsariensi, qui quartus Ecclesie florebat Seculo, nec *S. Hieronymo*, qui in quinto Ecclesiæ Seculo Chronicon ejusdem *Eusebii* Græcum latine vertit, & auxit, antiquior est, sicut asserunt periti hujus temporis Critici; Atqui tamen *Eusebius* in suo Chronico inter Patriarchas postdiluvianos recentet *Cainanem*, & *S. Hieronymus*, tam in sua translatione latina *Evangelii S. Lucae*, quam in sua versione itidem latina Chronicæ *Eusebii* eumdem *Cainanem* retinuit, nec expungendum esse putavit; tanti ergo facere haud debemus hunc manuscriptum Codicem Græco-Latinum, in quo *Cainanis* postdiluviani generatio non legitur, ut illum preponere debeamus aliis antiquioribus Codicibus Græcis, quos *Eusebii*, & *S. Hieronymus* consuluerunt, & in quibus *Cainanis* postdiluviani nomen inter Patriarchas *Arphaxad* & *Salem* inveniebatur scriptum. Hinc facile inferre potes, nullam fidem adhibendam esse *Scaligeri*, qui dum Græcum *Eusebii* Chronicum edidit, vel potius pro arbitrio suo consarcinavit ac interpolavit, ex eo *Cainanem* postdiluvianum expunxit, cum tamen omnes aliae Græca Chronicæ *Eusebii* editiones hunc *Cainanem* nem admittant, eumque *Arphaxad* inter & *Salem* in serie Patriarcharum postdiluvianorum reponant.

Ex his, que haec tenus diximus, in promptu est responso ad testimonia antiquorum Scriptorum, qui *Cainanis* postdiluviani nullam mentionem fecerunt. Nam ideo *Origenes*, *Julius Africanus*, *Theophilus Antiochenus*, *Epiphanius*, & tres Scriptores Prophæ-

ni, seu *Berosus*, *Eupolemus*, & *Alexander Polystor* generationem *Cainanis* prætermiserunt, quia Textum Hebraicum, non versionem lxx. Interpretum sunt fecuti, quod sane nihil omnino facit contra nos, qui ultro fatemur, multos antiquos sanctos Patres, & Ecclesiasticos atque prophanos Scriptores, Textum Hebraeum sequentes, generationem *Cainanis* postdiluviani omisisse. At, nemo professe unquam poterit aliquem sive ex sanctis Patribus, sive ex Ecclesiasticis aut prophanicis Scriptoribus, qui disertis verbis dicat, *Cainanem* in serie Patriarcharum postdiluvianorum non esse admittendum.

D. Miror profecto, quod *Cainanem* postdiluvianum, tanquam verum Patriarcham, agnoscas. Sapientius enim monuisti me, Chronologiam lxx. Interpretum mendosam esse, eique preferendam esse Chronologiam Textus Hebræi. Et tamen si semel admittatur *Cainan*, tanquam verus Patriarcha, & ut filius *Arphaxad* & pater *Salemi*, sequetur primo, standum esse, circa generationem *Cainanis*, Chronologiam lxx. Interpretum. Deinde, consequens erit, *Moysen* Chronologiam, quæ extat in primigenio Textu Hebræo, esse viatiatam, cum in ea deessent centum & trinaginta quinque anni, quos, juxta lxx. Interpretum Chronologiam, habuisse dicitur *Cainan*, quando genuit *Salem*. Id autem de Chronologia Textus Hebræi dici minime potest, cum certum sit, *Moysen* temporum Historias, & Patriarcharum, qui ante & post diluvium vixerunt, annos integre, exacte, ac perfecte in Libro Genesis describere voluisse, cum singulorum vita annos minutatim persequatur. Hic mihi videtur nodus implicatissimus, & labyrinthus intricatissimas, unde emergere difficillimum sit, tua igitur opera in gressu tam lubrico versans maxime indigeo. ( a )

( a ) Juvat hic integrum testimonium recitatum, re Millii Anglicani scriptoris viri in conferendis Græcis Biblicis novi testamenti codicibus exercitatisim; ille enim ad cap. IIII. *Lucæ* 36. ubi *Cainan* occurrit, hæc notat. *Deest* (*Cainan*) in *Cantuari*. ( Qui ipse est Codex *Bezae* ) repugnat te ceterorum Codicum omnino fide. Quid mirum autem si scriba iste ( Codex Cantuariensis ) qui in *Evangelii infinita pro arbitrio addere, mutare, detrahere ausus est, qui ex suopere cerebro prognatam genealogiam quandam in genuine locum substituerit, qui denique *Evangelium* hoc adeo misere passim interpolavit, ut monosticharon quoddam fere quam ipsius *Luce* *Evangelium* dixeris. Fateor equidem Millium infenso extitisse animo in hunc Codicem, eo quod ejus auctoritate Morinus vulgariter latine cui adamussim coheraret, defenderit veritatem. Verum omnium aliorum Codicum ab eodem Millio consultorum consensus in tenuenda lectione *Cainan* ad illos refutandos, qui vocem illam in textum *Evangelii* contendunt, plurimum valet; semel autem admissa sinceritate lectionis hujus in *S. Luca*, moneatque Millius ibidem *Evangelistam* sequi per omnia lectionem septuaginta interpretum, in iis pariter, in quibus ab Hebraico textu recedunt; firma hinc deducitur conjectura ejusdem versionem septuaginta, lectionem *Cainan* retulisse,*

, quo fit , ut lectio ista nequaquam addita in se-  
" ptemviralem lectionem judicetur .

M. Ut adjectio Cainanis postdiluviani non va-  
riet Sacram Chronologiam Patriarcharum , quam  
Moyses in Libro Genesis describit , dicendum est  
cum Genebrardo lib. 1. Chronographia , quod Ar-  
phaxad anno ætatis suae 18. genuit Cainanem , &  
quod Cainan anno ætatis suae 17. genuit Salem ,  
qua ratione vere dici potest , Salem natum esse  
ipsi Arphaxad non quidem immediate , ut ajunt ,  
sed mediate per Cainanem , cum Arphaxad an-  
num ætatis sua ageret trigesimum quintum , sicut  
legitur in Textu Hebreo & in Editione vulga-  
ta Gen. cap. II. v. 12. Nam more loquendi , Sa-  
ceris Literis non inasitato , nepotem genuisse avus  
vere dicitur , licet non eum immediate genuisse  
sed tantum mediate , hoc est per alium . Sic  
Evangelista Mattheus , ut antea dicebam , cap. I.  
sui Evangelii ait : Joram genuit Oziam : quam-  
vis Joram non immediate genuerit Oziam , sed  
tantum mediate , idest , per nepotes ; nam Joram  
genuit immediate Ochosiam , Ochosias ge-  
nuit Joam , Joas genuit Amasiam , Amasias ge-  
nuit Oziam . Hanc Genebrardi sententiam am-  
plectitur Joannes Harduinus , recens Societatis Je-  
tu Scriptor , in sua Veteris Testamenti Chronolo-  
gia , quæ extat inter selecta illius Opera Am-  
stelodami edita an. 1709. Ceterum , quod in Ver-  
sione lxx. Interpretum legitur , Arphaxad anno  
ætatis suae 135. genuisse Cainanem , & Cainanem  
anno ætatis suae 130. genuisse Salem , mendum  
est Chronologia , sicut fatentur omnes Scripto-  
res latini , etiam hi , qui generationem Cainanis  
admittunt , quique putant , Arphaxad anno æta-  
tis sua 35. genuisse Cainanem , Cainanem anno æta-  
tis sua 30. genuisse Salem , detractis illis centum  
adjectitis annis , qui non solum in generatione  
Cainanis , sed etiam in generationibus aliorum  
Patriarcharum ante & post Diluvium irrepferunt  
in Chronologiam lxx. Interpretum , sicut , post S.  
Augustinum lib. 15. De Civitate Dei cap. 13. pro-  
lixe ostendi in Dissertatione quinta Tractatus De  
Mysteriis , & Annis Christi . Verum , quia illi Scripto-  
res latini , qui admittunt generationem Cainanis ,  
ajunque , eum anno ætatis sua trigesimo genuis-  
se Salem , hanc parum turbant ac confundunt ea  
30. annorum Cainanis adjectio Chronologiam ,  
quæ describitur in Textu Hebreo , Patriarcharum  
post diluvium ; ideo ipse , ne tantillum varietar ,  
aut immutetur Chronologia Textus Hebrei , lon-  
ge probabilius cum Genebrardo , & Hardxino , mox  
a me laudatis Scriptoribus , censeo , Arphaxad ge-  
nuisse Cainanem anno ætatis sua 18. Cainanem  
vero ætatis sua anno 17. genuisse Salem . Quo  
posito annorum calculo , vere dici potest , circa  
ullam Textus Hebrei Chronologie immutationem ,  
Salem natum esse ipsi Arphaxad non quidem im-  
mediate , sed mediate , hoc est , per Cainanem ,  
patrem suum , cum Arphaxad , avus Cainanis ,  
annum artigisset ætatis sua trigesimum quintum ,  
sicut legitur in Textu Hebreo , & in Editione Vulgata cap. II. v. 12. Libri Genesis : Porro Ar-  
phaxad vixit triginta quinque annis , & genuit Sa-  
lem , non quidem immediate , ut mox dixi , sed

mediate , idest , per filium suum Cainanem , qui  
fuit pater Sale .

D. Cum Textus Hebrei Chronologiam , jux-  
ta tuum explicandi modum , non perturbet haec  
Cainanis in serie Patriarcharum postdiluvianorum  
adjectio , in tuam sententiam lubens ipse descen-  
do , & Cainanem , ceu verum postdiluvianum Pa-  
triarcham , Arphaxadi filium , & patrem Sale , ul-  
tro agnosco . Sed subiit nunc animum altera dif-  
ficultas Chronologica , nimirum , quanto anno æta-  
tis sua Thare genuerit filium suum Abrahamum ?  
Multi quippe Interpretes , quorum in Scripturam  
Sacram Commentarios perlegi , asserunt , Thare  
anno dumtaxat ætatis centesimo trigesimo genuis-  
se Abrahamum . Alii vero Scriptura Sacra Inter-  
pretes dicunt , Thare anno ætatis sua septuage-  
simu genuisse Abrahamum , idque propter illa ver-  
ba Moysis cap. II. v. 26. Libri Genesios : Vixit  
que Thare septuaginta annis , & genuit Abram ,  
& Nachor , & Aran . Inde enim colligunt , non  
quidem hoc velle Moysen , tres istos esse genitos a  
Thare septuagenario ; sed illud solum , post septua-  
gesimum ætatis sua annum cœpisse Thare gignere  
filios : cum autem primo loco ponatur Abrahamus ,  
ab eo esse factum gignendi exordium , ac proinde  
Abrahamum genitum esse , cum Thare , ipsius pater ,  
explevisset annum ætatis sive septuagesimum . Hæc  
autem opinionum circa ortum Abrahami discre-  
pantia haud parum perturbat Textus Hebrei Chro-  
nologiam . Nam si Abrahamus non anno patris  
sui Thare lxx. sed cxxx. natus fuit , necessario se-  
quitur , sexaginta annis in serie Chronologica Pa-  
triarcharum postdiluvianorum ab iis aberrari , qui  
septuagesimo Thare anno Abrahamum natum ef-  
fe arbitrantur . Huic ergo Chronologica difficultati  
expeditissimam , quæso , adhibe nunc solutionem .

M. Expeditissimam hujus Chronologica difficultatis solutionem dant illi Scriptura Sacra Inter-  
pretes , qui docent , Thare anno ætatis sua non  
lxx. sed cxxx. genuisse filium suum Abrahamum ,  
idque luculentissime colligunt ex Scriptura Sacra ,  
quæ cap. II. v. 32. Libri Genesis ait : Et facti  
sunt dies Thare ducentorum quinque annorum , &  
mortuus est in Haran . Capite vero sequenti , seu  
duodecimo , v. 4. Subdit : Septuaginta quinque  
annorum erat Abram , cum egredieretur de Haran .  
Si ergo annos septuaginta quinque , quos na-  
tus erat Abrahamus , quando ex Harane excessit ,  
ut veniret in terram Chanaam , subtrahas e summa  
annorum ccv. quos natus erat Thare , pater ipsius  
quando in Harane mortuus est , manifesto pate-  
bit , Abrahamum natum esse anno ætatis Patris  
sui non lxx. sed cxxx. Præterea , si Abrahamus  
natus esset anno ætatis patris sui Thare lxx. iam  
attigisset annum ætatis sua 135. quando , mortuo  
patre suo in Harane , iter in terram Chanaan  
instituit , ac subinde Isaac , filius ejus , egisset  
tum temporis annum ætatis sua 35. Isaac nam-  
que natus est Abraham centenario : Purus cen-  
tenario nascetur filius ? Genesis cap. 17. Atqui tam-  
en Scriptura Sacra cap. 7. Act. Apostolorum a-  
perte tradit , Abrahamum , quando exiit ex Hara-  
ne , & in Chanaan regionem se contulit , necdum

genuisse filiam suum *Iсаacum*, dici igitur non potest, *Abrahamum* natum esse anno ætatis patris sui septuagesimo. Denique, *Abrahamus* senior erat decem tantum annis *Sara*, uxore sua, sicut testatur Scriptura Sacra loco mox a me laudato; *Putasne centenario nascetur filius & Sara nonagenaria pariet?* Porro, *Sara* erat filia *Aranis*, fratris *Abrahami*. Si ergo *Abrahamus* natus esset anno ætatis patris sui *Thare* septuagesimo, essetque primogenitus fratrui sui *Aranis*, debuisset *Aran* gignere anno ætatis sue nono *Saram*, conjugem *Abrahami*, quod quidem, ut nemo non videt, consueto naturæ ordini, & experientia omnino adveratur. Probabilius itaque est, & Scriptura Sacra magis consentaneum, non fuisse *Abrahamum*, filium patris sui *Thare* primogenitum, natumque anno patris sui *Thare* septuagesimo, sed illum ju niorem fuisse fratre suo *Aran*, & natum esse anno patris sui *Thare* centesimo trigesimo. Elumbe autem est, seu valde infirmum argumentum, quo nonnulli Scriptores probare se posse putant, *Abrahamum* esse filium primogenitum *Thare*, eumque subinde natum esse anno ætatis Patris sui septuagesimo, quia Scriptura Sacra *Abrahamum* inter filios *Thare* primo loco nominat; hoc, inquam, argumentum nullius plane roboris est, cum non sit Scriptura Sacra insolens, ut in liberis referendis dignitatis potius, quam naturæ, si ve temporis, ordinem observet, quod in Patriarchæ *Noemi* liberis factum fuisse superius ostendimus, & in *Tdare* liberis revera actum esse, *Cajetani*, & aliorum doctissimorum Scripturæ Sacrae Interpretum, cum antiquorum, tum modernorum opinio est, asserentum, *Abrahamum* natum esse anno Patris sui non lxx. sed cxxx. Proindeque *Moysem*, recensendo filios *Thare*, meminisse primo loco *Abrahami*, non tanquam primogeniti *Thare*, sed tanquam ejus filiorum præcipui, & communis Israelitarum parentis, in cuius semine Deus omnibus Gentibus bene precari, seu benedicere debebat, sicut ex his, quæ deinceps dicturi sumus, liquido constabat.

D. Fuitne *Thare*, antequam e Chaldaea una cum filio suo *Abrahamo* discederet, Idolorum cultor? audivi enim nuperrime viros quosdam eruditos ea de re acriter inter se disputantes, & ea in utramque partem proferentes momenta, quæ animum meum adhuc anticipitem tenent.

M. Sunt quidam inter Hebraeos Rabbini, qui, mentem suam chymeris pascere soliti, ajunt, *Thare* in cultu Idolorum tam perdite insaniisse, ut filium suum *Abrahamum*, ab Idolatria penitus abhorrentem, apud *Nembrodum* accusaverit, ejusque jussu in ardente fornacem conjectus fit, & ex ea divino auxilio liberatus, incolumis evaserit; *Aran* autem, fratrem *Abrahami*, in eadem fornaci extinctum esse ajunt Rabbini, idque significari volunt his verbis Scripturæ Sacrae: *Mortuus est Aran ante Thare, patrem suum, in terra naivitatis sue in UR Chaldaeorum*, Genesis cap. II. v. 28. Nam per UR Chaldaeorum intelligunt illi Rabbini *Ignem*, quem Chaldaei colebant tanquam Numen, & cuius flammis *Abrahami* frater *Aran*, fidelis quidem, sed du-

bitans, statim absemptus est. Hanc fabulam referunt quidam Hebrei, cum hoc tamen discrimine, quod aliqui inter illos dicant, *Abrahamum* fuisse a *Nembrodi* in fornacem ignis conjectum, indeque ope Dei liberatum, quia ignem, quem colebant Chaldaei, adorare noluit; alii vero affirmant, *Abrahamum* in ardente fornacem ignis esse conjectum, quod Idola *Nembrodi* confregisset. Verum, hæc historiola somnia sapit delirorum Rabbinorum, quibus ita somniare inter vigilandum plerumque contingit. Nam primo falsum est, *Abrahamum*, jussu *Nembrodi*, ut comminiscuntur Rabbini, fuisse in ignem conjectum, *Nembrodus* siquidem, qui juxta veterum cum SS. Patrum, tum prophaniorum Scriptorum traditionem, quam in superiori nostro Colloquio retuli, idem est ac *Belus*, pater *Nini* Assyriorum Regis, imperavit in Chaldea antequam *Abrahamus* nasceretur: *Abrahamus* enim anno 43. Regni *Nini*, filii *Beli*, seu *Nembrodi*, sicut, post *Eusebium* in Chronico, sentiunt Scriptores Historici, prodidit in lucem. *Abrahamum* itaque jussu *Nembrodi*, in Chaldaea regnantis, in ignem fuisse conjectum, purum putumque figmentum est. Secundo UR Chaldaeorum non significat *ignem*, quem colebant Chaldaei, sicut sibi falso perfuerunt istius fabulae confarctinatores, sed indicat Urbem Chaldaeorum dictam UR, ex qua exivit *Abrahamus*. Sic enim lxx. Interpretes UR Chaldaeorum graece verterunt; *Regionem Chaldaeorum, & Iosephus lib. I. Antiquit. Jud. cap. 7. ait, Aranem*, fratrem *Abrahami*, mortuum esse in Urbe, quæ UR Chaldaeorum vocatur. Et sane, per UR Chaldaeorum designari Urbem Chaldaeorum, ex qua *Thare* eduxit filium suum *Abrahamum*, ut simul irent in terram *Chanaan*, manifesto colligitur ex capt. II. v. 31. Lib. Geneseos: *Tulit itaque Thare Abram filium suum, & Lotb, filium Aran, filium filii sui, & Sarai, nurum suam, uxorem Abram filii sui, & eduxit eos de UR Chaldaeorum utarent in terram Chanaan &c.* Fieri tamen potuit, ut Urbs illa Chaldaeorum, ex qua exivit *Abrahamus*, dicta fuerit UR Chaldaeorum, idest, Civitas *Ignis*, quia in ea præcipue colebatur *Ignis*, cui, ceu supremo Numinis, summos honores deferebant Chaldaei, non secus ac in Ægypto Urbs quedam est *Heliopolis*, seu Civitas *Solis*, quod *Soli*, quem adorabant Ægyptii, esset potissimum consecrata. Vel etiam fieri potuit, ut hec Chaldaeorum Urbs dicta fuerit UR, seu Civitas *Ignis*, quia *Thare*, pater *Abrahami*, aliique veri numinis cultores, qui in ea Civitate erant, & *Ignem*, Chaldaeorum Idolum, adorare detrectabant, gravissimis fuerint exagitati persecutionibus, quas interdum Scriptura Sacra per ignem designare solet: *Transivimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium;* & in eo sensu Sacer Auctor lib. 2. Eldæ cap. 9. v. 7. ait: *Tu ipse Domine Deus, qui elegisti Abram, & eduxisti eum de igne Chaldaeorum.* Rejecta itaque hac fabula de *Thare*, patris *Abrahami*, Idolatria, censeo cum S. Augustino, lib. 16. *De Civitate Dei* cap. 12. quem sequuntur multi viri eruditæ, *Tharem*, patrem *Abrahami*, Idolorum cultui non fuisse addictum, sed potius veri Numinis cultorem eximium;

*Una igitur, inquit Aquilinus ille Doctor, Thare domus erat, de qua natus est Abraham, in qua unius veri Dei cultus ..... Prinde, sicut per aquarum Diluvium una Domus Noe remanerat ad reparandum genus humanum; sic in Diluvio multarum superstitionum per universum Mundum una remanerat Domus Thare, in qua custodita est plantatio Civitatis Dei.*

D. Quo pacto iutelligi debent haec promissiones, quas Deus (sicut legitur cap. 12. v. 1. Libri Geneseos) fecit Abrahamo, dum, ipsis iussu, exivit e Chaldea ut veniret in terram Chanaan, ei dicens: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de Domo patris tui, & veni in terram, quam monstrabo tibi..... erisque benedictus?* In quo, quæso, confirmit divina illa benedictio promissa Abrahamo?

M. Deus multiplicem promissionem fecit Abrahamo in præmium ipsius obedientiae, qua patriam suam, ut divino obtemperaret Mandato, reliquit, & venit in terram Chanaan. Prima promissio fuit de donatione terræ Chananeæ; Genes. cap. 12. v. 1. *Veni in terram, quam monstrabo tibi.* Altera promissio fuit de magna posteritate; *Faciam te in genetum magnam*, Genes. cap. 12. v. 2. Et cap. 13. v. 16. *Faciamque Semen tuum sicut pulvorem terræ: Si quis potest hominum numerare pulvorem terræ, Semen quoque tuum numerare poterit.* Similiter, cap. 15. vers. 5. Libri Genes. sic Deus affatur Abramum: *Suspice Cælum, & numera stellas, si potes, & dixit ei: Sic erit Semen tuum.* Quæ divina pollicitatio eo major erat, quod Abrahami uxor esset sterilis. Tertia promissio est de benedictione, quam Deus datus erat Abrahamo, quæque fuit duplex, universalis una, particularis altera. Benedictio universalis sita erat in bonis cum animi, tum corporis, rerumque externarum, & in eo sensu ait Deus Abrahamo cap. 12. vers. 3. Libri Geneseos: *Magnificabo nomen tuum, & eris benedictus.* Et verl. 3. *benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi.* Denique, particularis benedictio, quam promisit Deus Abrahamo, spestat Jesum Christum, servatorem nostrum, qui e semine, seu ex stirpe Abrahami erat orundus. Hinc Dens cap. 12. v. 3. Lib. Geneseos dicit Abrahamo: *In te benedicent omnes cognationes terre.* Et cap. 22. v. 18. ejusdem libri: *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terre.* Quid vero significet: *In semine tuo*, aperte declarat Apostolus Paulus Epist. ad Galatas cap. 3. vers. 16. dicens: *Abra dicte sunt promissiones, & semini ejus.* Non dicit: *Et seminibus, quasi in multis:* Sed quasi in uno: *Et semini tuo, qui est Christus.*

D. Legitur cap. 14. libri Genes, quod Chodorlabomor, & Reges, qui erant cum eo, percusserint tempore Abrahami, omnem regionem Amalecitarum. Porro, constat, necdum extiisse tempore Abrahami Amalectas; immo nec natum adhuc esse Amalechum, quia Amalechus (sicut legitur cap. 36. v. 12.) ab Esau descendit. Ibi enim sic habetur: *Erat autem Thanna, concubina Eliphax, filii Esae, que peperit ei Amalech.* Concilia igitur, si placet, istam Antilogiam, quam parit tam gravis anachronismus.

M. Nullo negotio conciliari potest haec apprens contradicatio, dicendo: hoc per anticipationem

a Moyse scriptum esse, scilicet quod Chodorlabomor, & cæteri reges, qui cum ipso erant, percusserunt omnem regionem Amalecitarum, ita ut sensus sit, quod Chodorlabomor, & alii Reges, qui cum eo erant, percusserint omnem illam regionem, quam Amalecita, tempore, quo scribebat Moyse, jam occupabant. Moyse itaque, ut illa Regio, quam Chodorlabomor, & alii Reges, tempore Abrahami devastarunt, Hebreis notior eset, illam appellavit regionem Amalecitarum, non quod Amalecita tempore Abrahami eam incolerent (tum enim nondum erant Amalecita) sed quia tempore, quo scribebat Moyse, jam illius regionis Amalecita possessores erant. Et sic plane evanescit proposita apprens Antilogia.

D. Quis est iste Melchisedechus, cui (sicut legitur cap. 14. v. 18. & 19. libri Geneseos) Abrahamus, postquam viceret quatuor Reges, latus pro victoria decimas dedit, & ab ipso benedictionem accepit?

M. Qualis fuerit iste Melchisedechus, non una est omnium sententia. Alii existimarent, Melchisedechum esse Semum, filium Patriarchæ Noemi, & haec fuit sententia Hebreorum, sicut testatur S. Hieronymus in Traditionibus Hebraicis. Alii putarunt, Melchisedechum esse supernam quamdam virtutem majorem Christo, & ipsum esse Spiritum sanctum; & in crasum illum errorem impegerunt quidam Hæretici, dicti Melchisedechiani, quos sancti Patres confutarunt, praetertim S. Hieronymus in Epistola ad Evagrium, & S. Epiphanius Hæresi lxx. Nonnullis visum est, Melchisedebum fuisse Angelum, qui fœle Abrahamo conspicuum exhibuit, & ita sensit Origenes. Aliqui affirmarunt, Melchisedechum esse filium Dei, qui Abrahamo fœle sub humana specie videndum præbuit. Postremo, alii opinati sunt, Melchisedechum fuisse quemdam hominem iustum, probum, & Altissimi Sacerdotem, sed spuriū eo quod neque ejus patris, neque ejus matris ultra in Sacris Literis mentio fiat. Has de Melchisedecho discrepantes sententias hic breviter rellassum. Dein, quid de Melchisedecho Catholice sentiendum sit, paucis ostendam. In primis, Melchisedechum non fuisse Semum filium Patriarchæ Noemi, ex eo invicte probatur, quod Melchisedechus ab Apostolo Paulo in Epistola ad Hebreos dicatur *sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem habens.* Quod sane nullo pacto dici potest de Semo, filio Noemi, cuius genus, parentes, nativitas, ætas expresse ac diserte in Sacris Scripturis traduntur. Secundo, Melchisedechum non fuisse supernam quamdam virtutem, majorem Christo, & ipsum Spiritum sanctum, sicut effutiebant Hæretici Melchisedechiani, patet ex capite 14. libri Genes., ubi Melchisedechus appellatur *Sacerdos, & Rex Salem;* ex quo manifesta consecutione deducitur, Melchisedechum nec fuisse coelestem quamdam virtutem majorem Christo, nec Spiritum sanctum. Tertio, Melchisedechum non fuisse Angelum, humana specie Abrahamo apparentem, evincitur itidem ex iisdem verbis, quibus Melchisedechus

*fedebus* in Sacris Literis *Rex Salem*, & *Sacerdos Altissimi* nuncupatur. *Omnis enim Pontifex*, inquit *Apostolus Paulus* in Epistola ad Hebreos, *ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his, que sunt ad Deum.* Igitur *Melchisedechus* fuit verus homo, & non Angelus, alioqui non potuisset esse *Sacerdos Altissimi*. Quarto, *Melchisedechum* non fuisse filium Dei, qui in carne assumpta Abrahamo apparuerit, liquet ex Psalmo 109, ubi de Christo Domino, vero Dei filio, dicitur: *Tu es Sacerdos in aeternum, secundum Ordinem Melchisedech.* Porro, ille, qui secundum ordinem, morem & ritum *Melchisedechi* Sacerdos est, sane idem esse non potest cum *Melchisedecho*, igitur *Melchisedechus* idem esse non potuit ac Christus Dominus, qui verus fuit filius Dei. Praeterquam quod *Apostolus Paulus* in Epistola ad Hebreos cap. 7. ait: *Melchisedechum assimilatum fuisse Filio Dei.* Nullum autem simile idem est cum illo, cui simile est. Quinto, a vero maxime deflectunt illi, qui fatentur quidem, *Melchisedechum* fuisse hominem, & Dei Sacerdotem, sed pertendunt, illum fuisse spuriū, eo potissimum nomine, quod de illius patre & matre altum sit in Sacris Literis silentium; a vero, inquam, hujusc sententiae patroni maxime deflectunt, quia dum *Melchisedechus* in Epistola *Pauli* ad Hebreos dicitur *sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem habens*, hoc non est ita intelligendum, quod *Melchisedechus* revera patre & matre atque genealogia caruerit; sed quod ex Levitis originem non duxerit, & in hoc Christi Domini, qui non fuit Sacerdos secundum Ordinem Leviticum, typum gesserit. Sed præstat auscultare *S. Hieronymum*, qui in Epistola 126. ad *Eusebium*, juxta ordinem veteris Editionis, hac habet: *Melchisedechus dicitur absque patre & matre, non quod absque patre & matre fuerit, cum Christus quoque secundum utramque naturam & parentem habuerit, & matrem; sed quod subito introducatur in Genesi occurrisse Abraham, a cede hostium revertenti, & nec ante, nec postea ejus nomen inveniatur adscriptum.* Affirmat autem *Apostolus*, quod *Aaronis Sacerdotium*, id est populi *judicorum* (quod dicitur *Leviticum*) & *principium* habuerit & *finem*; *Melchisedechi* vero, id est, *Christi, & Ecclesie Sacerdotium & in preteritum & in futurum eternum sit, nullumque habuerit Auctorem*, hæc *S. Hieronymus*. Dicendum itaque est, juxta traditionem *S. Hieronymi*, aliquumque Sanctorum Patrum, *Melchisedechum* fuisse verum hominem, natione *Chananæum*, Regem *Salem*, id est, Urbis *Hierusalem*, qui *Abrahamo*, a cede quatuor Regum revertenti, obviā ivit, victoriā ei gratulatus est, & in gratiarum actionem obtulit Deo Sacrificium: *Proferens panem & vinum, erat enim Sacerdos Dei altissimi*, sicut legitur cap. 14. v. 18. libri *Genes*. Conflans autem est ac perpetua omnium antiquiorum SS. Patrum, cum Graecorum, tum latinorum sententia, isto, quod *Melchisedechus* obtulit, Sacrificio, adumbratum, seu præfiguratum fuisse augustinum Corporis, & Sanguinis Christi Domini Sacrificium in Eucharistia Sacramento,

idque ex mox laudato libri *Genesis* cap. 14. evidenter colligitur. Ibi quippe tres actiones Sacerdotales *Melchisedechi* accurate notantur. Benedixit enim *Melchisedechus* Abrahamo: Decimas ab eo accepit, & Sacrificium protulit. Illa siquidem prolatio panis & vini vere Sacrifica fuit. Sacer enim *Textus* rationem reddens, cum *Melchisedechus* protulerit panem & vinum? hanc dumtaxat assert: *Erat enim Sacerdos Dei altissimi.* Nec quemquam movere debet quod Lutherani & Calvinistæ, contra obstrepentes, dicitant, in *Textu Hebreo* non esse hanc particulam causalem *Enim*, sed tantum particulam conjunctivam *Et*, vel *autem*, atque ideo in *Versione lxx*. Interpretum non legi: *Erat enim Sacerdos Dei altissimi*, quemadmodum habet nostra *Vulgata Editio*; sed legi: *Erat autem Sacerdos Dei altissimi.* Ex quo inferunt non redi in *Textu Hebreo* rationem ejus, quod præcessit, sed dumtaxat narrationem facti Historici continuari. Hæc, inquam, Hæretorum Lutheranorum, & Calvinistarum sculnea objectio neminem movere debet, cum passim apud Hebreos particula conjunctiva vim habeat particula causalis, sicut ex pluribus Scriptura Sacra locis palam ostendunt Scriptura Sacra Interpretes, lingua Hebraicæ peritissimi (a). Unum tantummodo, ut brevitatè consulam, producam Scriptura Sacra locum videelicet cap. 20. lib. *Genesios*, ubi vers. 3. hæc verba leguntur: *Venit autem Deus ad Abimelech per somnum nocte, & ait illi: En morieris propter mulierem, quam tulisti, habet enim virum.* Sic legitur in nostra *Vulgata*. Sed in *Textu Hebreo* legitur: *Et ipsa habet virum.* Quæ particula conjunctiva, *Et*, habet eo loci, ut in confessio est apud omnes peritos Rabbinos, vim particula causalis.

” (a) Cum particula *Vau*, qua hic est in testu Hebraico, interdum in Scriptura pro causativa accipiatur, ipso fatente inter Protestantes Buddeo in *Hift. Eccles.* vet. testam. peri. 1. sect. 3. & in vulgata eo sensu redditæ sit per conjunctivam *enim*, atque SS. Patres in hanc interpretationem fere omnes convenerint, ut P. Natalis Alexander in *hist. eccl. vet. testam.* atate III. *Dissert.* 3. *propos.* 4. *demonstrat*, ultra melior interpretatio nostra an Protestantium habenda sit, æqui rerum æstimatorum judicent.

D. Fuitne *Abrahamus* Sacerdos, sicut & *Melchisedech*?

M. *Abrahamum* fuisse Sacerdotem probat *S. Thomas*, Doctor Angelicus 3. Part. Quæst. 31. Art. 2. ex eo præcepto, quo Deus cap. xv. lib. *Genesis* vers. 9. jussit *Abrahamo*, ut Sacrificium ei offeret: *Et respondens Dominus: Sume, inquit, mihi vaccam triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium, turturam quoque, & columbam &c.* *Abrahamum* etiam fuisse Sacerdotem colligitur ex canone Missæ, in quo Sacerdos Deum orat, ut gratum, acceptumque habeat *Sacrificium Patriarchæ nostri Abrahami*. Et sane maxime decebat, ut *Abrahamus* esset Sacerdos, cum esset pater credentium, primusque omnium mortalium, cui venturi Messiae, seu Christi Domini, promissio facta est, cuius fide, & obedientia omnes gentes erant benedicenda, & apud quem, tanquam totius

totius populi Hebrei parentem, veri Dei cultu ulque ad Christi Domini adventum perpetuo visuit, atque ab illo fuit ad omnes ejus posteros propagatus.

D. Sarah fuisse uxorem Abrahame, & filiam Aranis, fratris Abrahame, superius insinuasti. Quo pacto igitur potuit Abrahamus, ingressus in Aegyptum, consulere Saræ, uxori sue, ut diceret Pharaoni, Aegyptiorum Regi, quod esset illius soror: *Dic ergo, obsecro te, quod Soror mea sis*, Genesis cap. 12. vers. 13. & cap. 20. lib. Genes. vers. 2. idem Abrahamus dixit Abimelecho, Regi Geraræ, quod Saræ esset sua Soror: *Dixisse de Saræ uxore sua: Soror mea est: Non potuit autem Abrahamus citra mendacium conjugem suam Saræ appellare sororem suam, quæ revera non erat ipsius soror, sed dumtaxat ejus neptis, utopte filia Aranis, fratris Abrahame*. Hunc igitur, si placet, nodum dissolve.

M. Quamvis prima fronte videatur, Abrahamus, protulisse mendacium, dum Regi Abimelecho ait, Saræ esse sororem suam, & tacuit eam esse conjugem suam, revera tamen non fuit mendacium, sicut S. Augustinus lib. contra mendacium, n. 23. alias c. 12. docet his verbis: *Non hoc est occultare veritatem, quod est proferre mendacium. Quamvis enim omnis, qui mentitur, velit celare quod verum est, non tamen omnis, qui vult quod verum est celare, mentitur. Plerumque enim vera, non mentiendo, occulimus, sed tacendo..... Unde qui asserunt, aliquando esse mentiendum, non convenienter commemorant, Abraham hoc fecisse de Saræ, quam Sororem suam esse dixit. Non enim dixit: Non est uxor mea; sed dixit: Soror mea est; quod erat revera tam propinqüa genere, ut Soror non mendaciter diceretur. Ea redditæ, confirmavit, respondens illi, dicens: Et vere Soror mea est de patre, non de matre, hoc est, de paterno genere, non de materno. Aliiquid ergo veri tacuit, non falsi aliquid dixit, quando tacuit uxorem, dixit Sororem..... Non est ergo mendacium, cum silendo, absconditur verum, sed, cum loquendo, promittit falsum. Potuit itaque Abrahamus citra mendacium appellare Saræ fororem suam, cum esset filia fratris sui Aran, ac subinde ipsum Neptis. Sæpe enim in Sacris Literis nepotes dicuntur fratres, & neptes appellantur forores. Sic Abram Genesis cap. 13. dicit nepoti suo Lotib: *Fratres nos sumus*; Sic etiam Laban Genesis cap. 29. vers. 15. Jacob generum suum, fratrem itidem appellat, dicens, *Quoniam frater meus es, non servies mihi gratis*, Quidni igitur Abrahamus potuit absque mendacio Saræ, neptim suam, appellare, juxta morem Hebreorum, fororem suam?*

D. Obtinuitne Abrahamus, statim ac jussu Dei exivit e Chaldaea, dominium ac possessionem terræ Chanaan, quam in premium ejus obedientiae Deus ipse, & posteris illius promiserat?

M. Quando Deus promisit Abrahamo possessionem terræ Chanaan, præmonuit eum, quod ipsius nepotes hanc terram essent dumtaxat occupaturi post elapsos quadrigentos annos: *Scito, ( inquit Deus Abrahamo Genesis cap. xv. vers. 13, )*

prænoscens quod peregrinum futurum sit Semini tuum in terra non sua, & subficiens eos servituti, & affligenit quadringentis annis. Tu autem ibis ad patres tuos in pace, sepultus in senectute bona. Generatione autem quarta revertentur hic. Abrahamus itaque Isaac, & Jacob per 215. annos peregrinati sunt in terra Chanaan ante descensum in Aegyptum. Israelitæ vero, seu nepotes Abrahame, peregrinati sunt, & servierunt in Egypto per alios annos 215. Id aperte innuit Apostolus Paulus cap. 3. Epistola ad Galatas sic loquens: *Abrahae dictæ sunt promissio[n]es, & Semini ejus, non dicit & Seminibus, quasi in multis, sed quasi in uno, & Semini tuo, qui est Christus. Hoc autem dico Testamentum confirmatum a Deo, que post 430. annos facta est lex non irritum fecit ad evanescendam promissionem. Nam si ex Lege hereditas, jam non ex promissione. Abrahae autem per repromissiones donavit Deus. Quibus ex verbis patet, initium 430. annorum sumi debere ab anno septuagesimo quinto Abrahame, quo ille Patriarcha a Deo vocatus est, & Divinam accepit promissionem possidendi terram Chanaan; finem vero illorum 430. annorum referendum esse ad tempus, quo lex a Deo lata est, & data Moysi. Porro Legem a Deo datam esse Moyis in monte Sinai, & tertio mense, ex quo Israelitæ in libertatem asserti exceperunt ex Aegypto, promulgata fuisse, perulgata est Sanctorum Patrum, & Scripturæ Sacrae Interpretum sententia. Non me latet, quosdam esse Chronologizæ Sacrae peritos, qui asserunt, Israelitas mansisse in servitute Aegyptiaca per 430. annos, idque se colligere putant ex cap. 12. v. 40. libri Exodi, ubi hæc habentur: *Habitatio filiorum Israel, qua manerunt in Aegyptos, fuit quadringentorum triginta annorum. Idem legitur cap. 5. libri Judithæ, & Actuum Apostolorum cap. 7. vers. 6. At, omnes ferme Sancti Patres, & Scripturæ Sacrae Interpretes, docent, horumce 430. annorum exordium desumendum esse non ab ingressu Israelitarum in Aegyptum, sed a promissione, quam Deus fecit Abrahae, de possidenda terra Chanaan anno illius Patriarchæ 75. Sic inter Sanctos Patres sensit S. Hieronymus Comment. in cap. 3. Epist. S. Pauli ad Galatas: *Computandi ( ait S. ille Doctor ) isti anni 430. ab eo tempore, quo Deus locutus est ad Abraham dicens: In Semino tuo benedicentur omnes gentes*. Hæc fuit etiam apud veteres Hebreos receptissima sententia, quam Josephus lib. 2. Antiquitatum Judaicarum cap. 5. exprimit his verbis: *Reliquerunt ( Israelitæ ) Aegyptum mensæ Xanthico, luna quarta decima, anno quadringentesimo trigesimo, postquam Abraham, pater nostor in Chanaanem venit: & post Iacobi migrationem in Aegyptum, anno ducentesimo quinto decimo. Ad ea igitur citata Scripturæ Sacrae loca, que innueri videntur peregrinationem Israelitarum in Aegypto fuisse quadringentorum triginta annorum, respondentium est, illud spatium 430. annorum peregrinationis Israelitarum non tantum comprehendere ducentos & quindecim annos, per quos Israelitæ peregrinati sunt in Aegypto, sed etiam alios ducentos & quindecim annos, pet***

per quos *Abrahamus*, post acceptam anno ætatis sue 75. a Deo promissionem de possessione terræ Chanaan, & filii ejus, *Iaacus*, & *Jacobus*, peregrinati sunt in terra Chanaæa, donec tandem *Jacobus*, cum tota familia sua ingressus est in Ægyptum; ex ducentis autem & quindecim annis, per quos *Abrahamus*, post promissionem sibi a Deo factam, & filii ejus, *Iaacus*, & *Jacobus* peregrinati sunt in terra Chanaæa, & ex aliis ducentis, & quindecim annis, per quos Israelitæ, post ingressum *Jacobi* in Ægyptum, peregrinati sunt in Ægypto, coalescit summa 430. annorum, qui interfluerunt a vocatione Patriarchæ Abrahami usque ad profectionem Israelitarum ex Ægypto.

D. Et quorsum, amabo, Deus, per quadringentos & tringinta annos passus est ut Amorphae & alii populi habitarent terram Chanaan, quam tamen possidendum promiserat Abrahamo, & semini ejus?

M. Hac longa annorum 430. dilatione, qua Deus patienter sustinuit Amorphaos, aliosque populos, qui habitabant terram Chanaan, cuius tamen possessionem promiserat *Abraham* & semini ejus, hac, inquam, longa annorum dilatione, voluit Deus ostendere immensam suam erga peccatores misericordiam ac lenitatem. Nec enim peccata Amorphaorum, aliorumque Chanaæam terram incolentium visitavit Deus, statim ac illius terræ possessionem promisisset *Abraham* & semini ejus, sed per 430. annos procrastinavit pœnas, quas iuste commirebantur, donec tandem emenso illorum annorum spatio, exterminati ac profligati penitus fuerint; postquam videlicet implevissent mensuram peccatorum suorum. Hanc summam Dei erga peccatores clementiam egregie commendat Apostolus *Paulus* cap. 2. Epist. ad Romanos, dicens, *An divitias bonitatis ejus & patientie, & longanimitatis contemnis? ignoras quoniam benignitas Dei ad paenitentiam te adducit?* Secundum autem duritiam tuam & impunitens cor, thesaurizas tibi iam in die ire, &c. & cap. ix. verl. 22. ejusdem Epistolæ: *Quod si Deus volens ostendere iram, & non tam facere potentiam suam, justinuit in multa patientia vase ire apta in interuum.* Ut igitur Deus suam erga peccatores summam clementiam ac misericordiam demonstraret, non statim concessit Abrahamo terræ Chanaæa possessionem, quam ipsi ejusque semini promiserat: sed per quadringentos & tringinta annos, a tempore illius promissionis factæ Abrahamo, passus est ut Amorphae, aliquæ populi, cultus veri Dei osores, terram Chanaan habitarent; sic eis locum dantes agendæ pœnitentiae, quam tamen obstinatione & malitia occæcati agere nunquam voluerunt, similes illis, qui, ut ait Scriptura sacra, dicunt Deo: *Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus.*

D. Si Deus erga Amorphaos, aliosque populos, terra Chanaæa incolas, infinitæ suæ misericordiae præbuit argumentum, profecto non minus bonum ac indulgentem se exhibuit erga *Abrahamum*; quem ob solam, quam habuit, fidem, justitiae dono actum donavit, eumque patrem multarum gentium constituit. Postquam enim Deus (sicut

legitur cap. xv. v. 5. libri Genesis) dixisset *Abrahamo: Suspice celum, & numera stellas, si potes, sic erit semen tuum:* statim versu sequenti subdit Scriptura sacra: *Creditit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam.* Quibus verbis inuenire videtur Scriptura Sacra; *Abrahamum* per solam fidem fuisse justificatum. Quod sane fuit singulari beneficium soli Abrahamo concessum, cum doceat Catholica Ecclesia contra Lutheranos, Calvinistas, aliosque hujus furfuris heterodoxos, neminem per solam fidem absque bonis operibus justificari posse.

M. Cum Calvinista & Lutherani, aliique nefarii Hæretici hoc prælaudato abutantur Scripturæ Sacrae loco, ut suum de sola fide absque bonis operibus peccatorem justificante virulentum dogma stabilire possint, necesse est ut veram ac nativam illius loci explicationem proferamus. Et primo quidem hæc verba: *Creditit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam,* non significant (sicut volunt Hæretici) *Abrahamum* tunc primum acceptisse a Deo justificationem, seu peccatorum suorum remissionem, quando creditit Deo promittenti ipsi semen; jam quippe antehac per fidem, & obedientiam, qua, relicta patria, seu Chaldaea, exiverat, ut veniret in terram alienam, idest Chanaæam Deo placebat, ut patet ex cap. xi. Epist. *Pauli* ad Hebreos, ubi hæc leguntur: *Fide qui vocatur Abraham, obediuit in locum exire, quem accepiterus erat in hereditatem, & exiit, ne scis quo ierit.* Fide demoratus est in terra re-promissionis, tanquam in aliena, in casulis habitando cum *Iaac*, & *Jacob*, cohæredibus re-promissionis ejusdem. Jam igitur *Abrahamus* justitiae donum, seu remissionem peccatorum per fidem & obedientiam suam fuerat a Deo consecutus, antequam Deus illi promitteret semen. Quo fit, ut hæc Scripturæ verba: *Creditit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam,* significant dumtaxat, hanc fidem, qua *Abrahamus* Deo, semen ipsi promittenti, incunctanter creditit, illi valuisse ad incrementum, & nutrimentum justitiae, quatenus erat opus Deo singulariter gratum. Apostolus quidem *Paulus* cap. 4. Epist. ad Hebreos, hæc Scripturæ verba: *Creditit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam,* accommodat primæ nostræ justificationi; inde tamen perperam inferunt Hæretici docere Apostolum, quod sola fides absque bonis operibus sufficiat ad justificationem. Vult enim dumtaxat Apostolus *Paulus* primo, justificationem nostram pendere ex fide in Christum mediatorem, tanquam ex fundamento, radice, & initio renovationis, & reparacionis nostræ in Christum, quia fides, ut docet Sanctus Augustinus, prima datur, per quam cætera ad justificationem impetrantur. Secundo idem Apostolus negat quidem *Abrahamum* fuisse justificatum, ex operibus, quæ vel ipsius fidem antecesserunt, vel ex ipsius solo libero arbitrio profecta sunt; & ita eo sensu dicit jam citato loco: *Si Abraham ex operibus justificatus est, babet gloriam, sed non apud Deum.* At, Apostolus non negat *Abrahamum* fuisse justificatum ex operibus factis ex fide & divina gratia; immo, ejusmodi opera ad ju-

justificationem esse necessaria diserte docet in eadem epistola ad Romanos cap. 2. ubi haec habet: *Qui, seu Deus, reddet unicuique secundum opera ejus, iis quidem, qui secundum patientiam boni operis, gloriam, & honorem, & incorruptionem querunt, vitam eternam: iis autem, qui sunt ex contentione, & non acquiescent veritati, credunt autem iniuriant, ira & indignatio.* Et versu 13. eiusdem capituli ait: *Non enim auditores Legis iusti sunt apud Deum, sed factores Legis justificabuntur.*

D. Quid sibi vult Apostolus *Paulus*, dum in eodem cap. vers. 16. Epistolæ ad Romanos, ait, *Ideo ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio?* Loquitur enim Apostolus ibi de promissione vocationis gentium ad fidem, iustitiam, & salutem, quorum patrem Deus constituerat *Abrahamum*, & quibus ex illius semine oritur, benedicere debebat?

M. Hæretici nostri temporis, sibi, aliisque falso persuadere tentant, promissionem illam, de qua eo loci sermonem habet Apostolus, esse promissionem remissionis peccatorum, seu specialis misericordia divinæ fiduciam, qua quis hanc divinam promissionem de remissione peccatorum sibi applicans & firmiter credens, ac certissime confidens, sibi per Christum peccata esse remissa, confessim circa paenitentiam, circa ullum bonorum operum exercitium consequitur plenissimam omnium peccatorum suorum condonationem. Sed in hoc Heretici a vera, ac genuina Apostoli *Pauli* mente, non tantum toto, ut ajunt, ostio, sed totis ædibus aberrant. Loquitur enim Apostolus loco citato, non de promissione remissionis peccatorum, sed de promissione a Deo facta *Abrahamo*, quod multarum Gentium futurus esset pater; seu agit Apostolus de promissione vocationis gentium ad fidem, iustitiam, & salutem; qua quidem divina promissio firma, & rata esse haud poterat, si justificatio ex Lege Moysis, seu ex operibus Legis Mosaica facta fuisset: tunc enim soli in toto orbe Judæi, fidem, iustitiam, & salutem essent consecuti. Quocirca, ut promissio de vocatione gentium a Deo facta Abrahamo firma esset, atque gratuita, probat Apostolus, Deum non iustificare homines ex operibus Legis Mosaica, neque ex operibus e naturæ pene depromptis, sed ex fide Iesu Christi, qua sola est vera, & gratuita iustitiae initium, radix, ac fundamentum, non Judæis modo, sed etiam gentibus. Certe Apostolum *Paulum* eo loci non de scititia illa promissione remissionis peccatorum, sicut pertendunt Hæretici, agere, sed de promissione a Deo facta Abrahamo vocationis gentium ad fidem, & salutem, liquet ex ejusdem Apostoli verbis, qua omnes dissipant tenebras, quas eis Hæretici offundere moluntur: sic enim ibidem loquitur Apostolus: *Non enim per Regem promissio Abraham, sed semini ejus, ut heres esset mundi: sed per iustitiam fidei: si enim qui ex Lege heredes sunt, exinanita est fides, abolita est promissio.... Ideo ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio omni semini, non ei, qui ex Lege est fulum, sed & ei, qui*

*ex fide est Abraham, qui pater est omnium nostrum, sicut scriptum est, quia patrem multarum gentium posuit te, &c. Cæcus sit oportet, qui non videat, Apostolum Paulum, ibi loqui, non de promissione remissionis peccatorum, per solam fidem, seu certam fiduciam absque bonis operibus obtinenda (sicut oggianire solent Hæretici) sed hunc Apostolum loqui duntaxat de promissione a Deo facta Abrahamo, vocationis gentium, qua nec ex solius liberi arbitrii viribus, nec ex operibus Legis Mosaica fieri debebat, sed ex pura & speciali misericordia Dei, seu ex fide in Jesum Christum, mediatorem, ac redemptorem omnium hominum, qua fides initium est veræ, gratuitæque justificationis, non Judæis tantum, sed & aliis gentibus, & nationibus, qua in Christum salvatorem nostrum, sunt creditur. Sed de his plura videbis in Dissertatione XVII. Tractatus (quem anno MDCCXIV. Roma secundis curis edidimus) *De vita, mysteriis, & annis Iesu Christi.* Ibi siquidem ostendimus primo, fidem in Christum mediatorem fuisse omni ævo ad salutem necessariam. Secundo fidem in Christum mediatorem esse dispositionem necessariam ad justificationem, in eam tamen solam refundi haud debere justificationem nostram. Postremo, fidem, qua dispositio est ad justificationem necessariam, non esse fiduciam de singulari Dei misericordia, qua sibi quisque promissio-nes divinas de remissione peccatorum applicat, sed esse assensum præstatum his omnibus, qua a Deo sunt revelata.*

D. Legimus c. 17. v. 10. lib. Genesis, Deum fœdus cum *Abrahamo* iniisse his verbis: *Hoc est pactum meum, quod observabitis inter me, & semen tuum post te: Circumcidetur ex vobis omne masculinum, & v. 12. Infans octo dierum circumcidetur in vobis, &c.* Quibus verbis palam innuere videtur Scriptura sacra, Circumcisionem fuisse institutam a Deo, eamque Judeos ab *Abrahamo* acceptam sedulo ad hæc usque tempora observasse. Et tamen audivi, nonnullos esse scriptores, qui asserunt, Circumcisionem non esse institutam a Deo, nec Judeos ab *Abrahamo* illam accepisse; sed potius Circumcisionem ex Ethnicorum, maxime Ægyptiorum superstitionis ritibus, ad Judeos fuisse derivatam. Ab hoc inani commento licet ipse vehementer abhorream, vellem tamen in praesentia præcipua scire momenta, quibus ab orthodoxis Theologis con-suntur.

M. Duo præsertim scriptores, *Marshamus*, videlicet, & *Spencerus*, rerum novarum cupidissimi, & suo ingenio plus aequo indulgentes, hoc insulsum, & a seculis inauditum commentum inverxerunt, temere dictantes, circumcisionem, & alios ritus, qui in veteri, seu Mosaica Lege continentur, ex Ethnicorum superstitionibus ad Hebreos promanasse; scilicet *Circumcisionem* ex Ægyptiorum, Æthiopum, & Colchorum moribus: *Tabernaculum* ex profano *Molochi* cultu: *Arca* ex Ethnicorum Cistis: *Cherubinos* ex Ægyptia- cis simulacris: *Templum Hierosolymitanum* ex ru-ditate gentium originem duxisse. Verum, ut miseros hic faciam plures Hebreorum ritus, de quibus *opportunius agam* in *Colloquiis nostris* in hi-

historiam quartæ Mundi ætatis , ubi de Lege Mosaica late differendi fere dabit occasio : de Circumcisione dumtaxat hic agam , paucisque offendam , eam revera fuisse a Deo institutam : subindeque non ex Ethnicorum superstitione ad Hebraos esse derivatam . Et primo quidem circumcisionem fuisse a Deo institutam patet ex c. 17. libri Genesios , ubi Deus Abrahamo , & omnibus Hebreis , ex ipsis femine oriundis , circumcisionis preceptum imposuit , dicens : *Infans octo dierum circumcidetur in vobis* , &c. Secundo credibile non est , Deum voluisse ex Ethnicorum superstitionibus , seu ex dæmonis officina , circumcisionis ritum , quo suum cum Abrahamo pactum firmavit , mutuari , ut eo deinceps ritu ab Hebreis coleretur , maxime cum Deus c. 12. lib. Deuteronomii , & cap. 17. lib. Levitici districte inhibeat Hebreis , ne imitentur , aut requirant cærenonias Gentium , neve minuant , aut adjicant quidquam præceptis , aut cærenonias , quas ipsis per Moysen , eorum Legislatorem , dederat . Non infiior quidem , Herodotum lib. 2. cap. 104. & Diodorum Siculum lib. 1. Bibliothecæ cap. 17. testari Cholcos , Ægyptios , & Æthiopes ab initio statim pendenda circumcidisse , & hunc circumcidendi modum ab Ægyptiis originem traxisse : id , inquam , non inficias eo , sed contendeo , nullam his duabus scriptoribus prophaniis , in iis quæ de circumcisionis origine literis mandarunt , fidem adhibendam esse , primo quia multis facilius Moysè , auctore Pentateuchi , & primo omnium gentium Scriptore recentiores fuerunt : Herodotus namque floruit dumtaxat tempore Darii Hystaspis , Xerxis , & Artaxeris Longimanî , Perfarum Regum . Diodorus vero Siculus ævo Julii Cæsaris , & Augusti Imperatoris , vixit . Quo fit , ut audiiri minime debant in his , quæ de circumcisionis origine , quæ anteverit tempora Moysis , scriperunt . Præterea , hi duo auctores , sicut & alii Scriptores prophani , in historia & ritibus Judæorum non fuerunt versati , adeoque testes idonei esse haud possunt , perinde ac Cornelius Tacitus , Historia Romanæ Scriptor , cum eset in Historia Judæorum omnino peregrinus , & hospes , sibi omnem fidem abrogat , narrans initio libri quinti prodigiosa de Judæis commenta . Ait quippe , *Judæos dici quasi Ideos ab Ida , Cretæ monte . Eos Hierosolymo , ac Juda Ducibus , in proximas terras exoneratos , solymos , carminibus Homeri celebratam gentem , conditæ urbi Hierosolyme nomen e suo fecisse* . Fortuitum iter , Ægypto effectos , incepisse , gregis asinorum sylvestrium ductu , e rupe nemore opaca Moysen largas aquarum venas aperuisse , eos sex dierum iter emensos , septimo pulsis cultoribus obtinuisse terras , in quibus urbs , & templum dicata sunt : effigiem animalis , asini videbatur , quo monstrante , errorem , siue depulerint , ab iis penetrali fuisse sacrificatam . Sue ideo abstinere memoria clavis , quod ipsos scabies quandam turpaverit , cui id animal obnoxium : longam olim famem cibris adhuc jejuniis fateri : raptarum frugum argumentum , panem judaicum , nullo fermento detineri . Septimo die otium placuisse , quia his finem laborum tulerit , dein , blandiente inertia , septimo quoque annu datum honorem eum , secundum alios , haberi

Saturno , catere instituta sinistra , fœda pravitate valuisse . Hæc crassa commenta de Judæorum ritibus cum referat Cornelius Tacitus , quid mirum , si ipse , & alii Scriptores prophani , in historia , & ritibus Judeorum plane rudes , ausi sint scribere judaicos ritus non fuisse a Deo institutos ; sed vel a Moyse proprio marte esse excogitatos , sicut asserit Cornelius Tacitus , loco mox a me laudato , vel ab Ethniciis ad Judæos esse derivatos , sicut falso tradiderunt jam citati Scriptores prophani , Herodotus , & Diodorus Siculus . (a)

” (a) Ad illustrandam Auctoris nostri sententiam , quæ communis est omnium catholicon corum , valet plurimum testimonium Artabani vetustissimi historici , relictum nobis , in tantâ scriptoris hujus dispersione , ab Eusebio lib. iv. præpar. Evang. cap. 27. Æthiopes tametsi hostes tam propenso in Mosen fuisse animo , ut ipsius quoque circumcisionis ritum ab eo acciperent ; idque a sacerdotibus etiam omnibus ( Ægyptiorum ) præstitum fuerit . Ex Ægypto autem plures alias gentes id accepisse , vix ambigo . Insuper quo tempore Abrahamus & Deo circumcisionem accepit , nullas alias gentes ritum hunc servasse ex eo deduco , quod Deus illud velut signaculum Judæis indidit , quo ceteris aliis nationibus distinguerentur , id vero adeo persuasum fuit Hebreis , ut alias gentes nomine populi præputium habentis desinare confieverint , ut ex multis Scripturæ testimoniis discimus . Vid. Genes. xxxiv. 14. Jud. xv. 18. Ezech. xxviii. 10. & alibi passim .

D. Vis igitur , circumcisionis ritum nunquam viuisse apud Ægyptios , Æthiopes , & Cholcos , sed solum obtinuisse apud Judæos , qui circumcisionem a Patriarcha Abrahamo acceptam jugiter retinuerunt ?

M. Non nego quidem Ægyptios , Æthiopes , & Cholcos circumcisione fuisse usos , sed dico . I. circumcisionem non ab Ethniciis ad Hebraos fuisse derivatam , sed potius Ethnicos ab Hebreis circumcisionem fuisse mutuatos . At enim Ægyptii , aliquæ Ethnici vicini populi circumcisionem , & quosdam alios Hebraeorum ritus in Sacris suis retinuerunt , sive propter societatem , quam habuerunt cum Abrahamo , Josepho , & Moysi , quos in summo pretio & honore habuerunt ; sive etiam propter famam longe , lateque divulgatam Religionis Judaicæ , innumeris a Deo illustratae prodigiis , sive denique propter Judaicorum rituum splendorem , pompam , ac frequens Judæos inter & Ægyptios , aliosque populos Ethnicos commercium , præfertim , Regis Salomonis temporibus . Et sane , si Ptolomeus Philadephus , Ægyptiorum Rex , statim ac notitiam habuit Legis Mosaicæ , jussit ut in gracum sermonem transferretur , & in sua Bibliotheca Alexandrina reponeretur ; mirum certe videri haud debet , si Ægyptii , aliquæ populi Ethnici , postquam circumcisionem , & quosdam alios Hebraeorum ritus perspectos , exploratosque habuerunt , voluerint illos in Sacris suis usurpare , initigante præfertim Diabolo , qui culturae solidi Deo debitum , affectat , sive suos dementat culto .

cultores, ut in illo, quem ei exhibent, cultu easdem, aut similes adhibeant ceremonias, quibus colitur Deus. Dico etiam secundo, Circumcisionem Judaicam in multis discrepasse a circumcisione, quam usurpabant Aegyptii; ex quo palam evincitur, circumcisionem non ab Ethnicis ad Hebreos fuisse derivatam. Aegyptiis siquidem solemne erat non solum masculos, sed & foeminas circumcidere, sicut docet Strabo lib. 17. Hebrei vero masculos tantum ex Lege, & more circumcidebant. Praeterea, Judæi die octavo a nativitate circumcidere solent ex praescripto Legis: Aegyptii autem appetente anno ætatis decimo quarto ut plurimum circumcidebantur, sicut refert S. Ambrosius lib. 2. De Abraham cap. 11. Tertio, apud Aegyptios soli Sacerdotes circumcidi solebant, teste S. Epiphanius hæresi 30. qua est Ebionitarum: At, Judæis omnes ad unum masculos circumcidere præcipiebat lex. Quarto ipsimet Sacerdotes Aegyptii dumtaxat majoris puritatis ergo, & munditiae corporæ gratia, teste Herodoto, circumcidebantur, sed Judæi religionis causa circumcidebantur, ut videbilem morem gererent Divinæ Legis præcepto, & ut ab aliis gentibus discernerentur. Decebat quippe, ut populus Dei, seu Judaicus, e quo Christus Dominus, totius Sanctitatis Auctor, nasciturus erat, aliquo speciali signo distinguetur a ceteris populis, qui tum temporis in densissimis Idololatriæ tenebris erant immersi, ac verum Deum ignorabant. Denique, Aegyptiis, aliisque gentibus circumcisione erat superflitiosa cærementia, qua parentum Ethnicorum infantuli devovebantur Dæmoni: Sed contra, Judæi suos infantes recens natos circumcidunt, ut illos in hac affulgenti vita aurora Deo, quem Supremam vitæ, & necis Dominum agnoscunt, consecrent. Hæc igitur, quæ haec tenus adduximus, discrimina aperte demonstrant, circumcisionem Judaicam non ex Ethnicorum superstitione originem habuisse, sed a Deo fuisse institutam, eam a Patriarcha Abraham acceptam observasse Judæos, illamque tandem transmississe in Legis Mosaica Sacramentum, ut legitur cap. 12. vers. 3. Libri Levitici: *Die octavo circumcidetur infantulus.* Hinc Christus Dominus cap. 7. vers. 22. Evang. S. Iohannis sic alloquitur Judæos: *Propterea Moyses dedit vobis circumcisionem (non quia ex Moyse est, sed ex patribus) quibus verbis declarat Christus Dominus circumcisionem non a Moyse primum ortam esse, sed patres, seu Patriarchs, Moyse antiquiores, eam ab Abraham acceptam observasse. Sed de circumcisione plura, auxiliante Deo, dicemus in colloquiis nostris, in Historiam quartæ Mundi ætatis, ubi de Lege Mosaica sermonem instituemus.*

D. Cum plenissime omnibus Dubiis, quæ haec tenus propofui, feceris satis, non te diutius hic detinebo, sed cum bona tua venia ad ædes meas me recipiam, & postridie ad te redibo, ut de Gestis Patriarcharum secundæ Mundi ætatis, & de accurata in illorum computandis annis Chronographia, commodius in eo, quod habituri sumus, Colloquio differere valeamus.

## COLLOQUIUM III.

*De Gestis Patriarcharum secundæ Mundi ætatis, & de accurata in illorum subducendis annis Chronologia.*

MAGIST. Structuram Turris Babelicæ, confusione lingnarum, & hominum per totum orbem terrarum dispersionem sub Patriarcha Phalego, jam adulto, contigisse, in superiori Colloquio commonstravimus, ex quo colligere debes antiquissimorum Imperiorum, qualia sunt Aegyptiorum, Assyriorum, seu Chaldaeorum, & Serum, seu Sinensium, initia non altius esse arcessenda quam ab anno ætatis Patriarchæ Phalegi nonagesimo secundo, qui concurrit cum anno a creatione Mundi 1848. & cum anno 192. a tempore Diluvii. Ab hoc, inquam, anno putari debet series Regum Aegyptiorum, Assyriorum, seu Chaldaeorum, & Sinenium, quorum ingentem sed fabulosum catalogum, prophani & alii Scriptores contexuerunt, ut hac commentitia antiquitate gratificarentur genti sua, Reges quamplurimos & suo fingentes cerebro, qui nunquam in rerum natura extiterunt. Hinc etiam manifestum est, Sicyoniarum, & Argivorum Reges, qui ante Ogygis, & Deucalionis Diluvia vixisse perhibentur, omnino fabulosos esse, quia, ut ostendimus in Colloquio tertio in Historiam primæ Mundi ætatis, Diluvia Ogygium, & Deucalionem nec re, nec tempore differunt a Diluvio universali, quod sub Patriarcha Noemo accidisse Sacra Literæ narrant. Asserere autem ante Diluvium universale, seu Noeticum, condita fuisse Imperia & Regna, jamque vixisse Reges, qui conditorum Imperiorum, ac Regnum clavum gubernarent, figmentum est poetarum, aut quarundam nationum, quæ, ut primordia sua augustinia redderent, putida protulerunt mendacia, & Regum suorum catalogos auxerunt nominibus, & personis illorum Heroum, qui ante Diluvium vixerunt, & quorum fama diu celebris etiam fuit post Diluvium. Id autem multis, atque invictis momentis hic demonstrare possem, nisi timerem, ne juste dices, me actum agere, cum ita provincia jam peregregie defunctus sit Illustrissimus Daniel Huetius, Episcopus Abricensis, in aureo illo Operè, cui hunc titulum dedit: *Demonstratio Evangelica.*

D. Aegyptiorum, Assyriorum, seu Chaldaeorum, & Sinenium Imperia suam dumtaxat originem habuisse a dispersione Gentium, quæ sub Patriarcha Phalego facta est, jam probe intellexi ex his, quæ in nostris superioribus Colloquiis post Daniëlem Huetium, & Samuelem Bochartum observasti, subindeque fabulis jure optimo accenserit debere autumo quæcumque de Dynastis suorum Regum, & Imperiorum suorum origine, & antiquitate excogitarunt Aegyptii, Assyrii, seu Chaldaei, & Sinenses. Explosis itaque fabulosis illis antiquitatibus, in quas inquirere velle, nihil aliud esset, quam olem, & operam perdere, & bonas horas male collocare; præstat, ut in praesenti nostro Colloquio agamus dumtaxat de Gestis Patriarcharum

charum secundæ Mundi ætatis, & de accurata in illorum putandis annis Chronologia.

M. Cum inter Patriarchas secundæ Mundi ætatis emineat *Abrahamus*, cuius præclara Gestæ late prosequitur Scriptura Sacra, hic in referendis rebus, quæ hunc Patriarcham spectant, & a Sacris Literis prodite sunt, unice hærebimus, de aliquo vero secundæ Mundi ætatis Patriarcharum, qui præcesserunt *Abrahamum*, Gestis, cum fileat omnino Scriptura Sacra, nos quoque, ne ariolari, aut e fabulosis traditionibus quidquam expicari videamur, lubentissime prætermittamus. *Abrahamus* itaque, quem Deus specialiter elegerat, ut esset pater credentium, natus est in UR Chaldaeorum, seu in Chaldaea, Mesopotamia finitima, quæ etiam Mesopotamia dicitur, utpote Mesopotamiae Provincia. Vocatus a Deo, patriam suam actutum reliquit, & una cum patre suo Thare habitatum venit in Haran, seu Charan, in Chaldaea; mortuoque ibidem patre suo, eductus est a Deo de terra & cognitione sua, trajecto fluvio Euphrate, deductus est in terram Chanaan, quam Deus ei & posteris ejus daturum se promiserat. Uxorem duxit *Abrahamus* *Saram*, cumque ambo essent ætate proiecti, sic Deus *Abrahamum* est allocutus, *Suspice celum, & nunera stellas, si potes: & dixit ei, sic erit semen tuum.* Credidit *Abraham* Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. Genesis cap. 15. v. 5. Postea Deus huic Patriarchæ, ejusque uxori nomen mutavit, & qui prius *Abram* appellabatur, deinceps *Abraham* vocatus est, & ejus uxor, quæ antea *Sara* dicebatur, cœpit nuncupari *Sara*. Contigit autem hæc nominis immutatio, quando *Abrahamus* accepit a Deo signum circumcisionis, signaculum iustitiae fidei. Ex *Sara*, conjugi sua, filium suscepit *Abrahamus*; quem vocavit *Iaacum*: & ut inquit Scriptura Sacra, circumcidit eum octavo die, sicut ei preceperebat Deus. Fidem *Abrahami* pluribus temptationibus seu experimentis probavit, totoque orbe illustrem reddidit Deus, sed præsertim dum ei præcepit, ut carissimum filium suum *Iaacum* immolaret, eunque Domino in holocaustum offerret. Huic divino præcepto confessim obtemperavit *Abrahamus*. Assumpsit filium suum *Iaacum*, eumque, nihil minus cogitantem, & infacia matre *Sara*, secum duxit. Jam ambo pervenerant ad montem, quem *Abrahamo* monstraverat Deus, qui dicitur esse mons *Moria*. Jam *Iaacus* humeris suis holocausti ligna in hunc montem portaverat, cumque ipsum altari supra lignorum fruem imposuisset pater, in eum stricto gladio manum extendebat, eratque ipsum reapse immolaturus, nisi *Angelus* de celo missus oblitisset, dicens ei: Non extendas manum tuam super puerum, neque facias illi quidquam, nunc cognovi quod timeas Deum, & non pepercisti unigenito filio tuo propter me. Levarunt *Abraham* oculos suos, vidiique post tergum vietem inter vepres herentem cornibus, quem assumens obtulit holocaustum pro filio. Genesis cap. 22. v. 12. & 13. Hoc suæ fidei, siue erga Deum ardentissimi amoris illustre exemplum præbuit *Abrahamus*, eoque palam demonstravit, se soli Deo, ut summo bono adhædere,

Hist. Vet. Test. Tom. I.

cætera vero ab eo non diligi, nisi propter Deum, in quo totius spei ac fiduciae suæ sacram, ut ajunt, anchoram colloocabat. Quo factum est, ut in præmium suæ obedientiæ, celebre illud promissum, quod jam acceperat a Deo, rursus audire meruerit, his verbis Genesios cap. 22. v. 18. Benedicetur in semine tuo, id est, Christo, omnes gentes terre, quia obedisti voci mea.

D. Gravem fateor fuisse hanc temptationem, qua Deus ad explorandum, probandumque *Abrahami* fidem & obedientiam, jussit ei, ut unigenitum filium suum, quem in effeta ætate divinitus susceperebat, immolarebat, sed recense, quæso, alias temptationes, quibus, ut mox dicebas, Deus fidem *Abrahami* probare, totoque orbe illustrem reddere voluit.

M. Decem temptationibus *Abrahamum* fuisse tentatum, docent Hebrei, quas singulas ordine hunc in modum recenset R. Moses Maimonides: Omnes, inquit ille Rabbinus, temptationes, quas *Abrahamus* suscepit, Scriptura recenset. 1. Est peregrinatus, cum Deus ait, Genesis cap. 12. vers. 1. Egressus de terra tua. 2. Fanes, que grassata est in terra Chanaan, cum eo venisset *Abrahamus*, & a Deo accepisset hujus terre promissionem, Genesis cap. 12. v. 2. Faciam te in gentem magnam, atque haec ingens erat tentatio. 3. Raptus, quo Ægyptii ei, seu *Abrahamo*, uxorem *Saram*, absulerunt. 4. Bellum, quod gessit cum quatuor Regibus. 5. Cum extraneam uxorem duxit, postquam spem prolis ex *Sara* suscipienda abjecisset. 6. Cum circumcisio ei jam provecka atatis fuit a Deo imperata. 7. Quando Rex Gerara uxorem itidem *Saram* ei rapuit, Genes. c. 20. v. 2. Octavo: Quando jussu Dei Agarem, ex qua prolem suscepserat, ejectit. 9. Dum Ismaelem expulit, Genes. cap. 21. v. 12. Decimam & ultimam temptationem passus est *Abrahamus*, quando Deus præceptum ei imposuit, mandandi, & immolandi filium suum unigenitum *Iaacum*, quem ex *Sara* conjugi sua suscepserat. His decem temptationibus a Deo probatus *Abrahamus*, eximia cum fidei & obedientiæ suæ tum in tolerandis adversis semper sibi constantis æquanimitatibus præbuit argumenta.

D. Ecce, quæso, Deus tot temptationibus, *Abrahamum*, virum, quem noverat, iustum, probare voluit?

M. Singularem Dei in tentandis hominibus, præsertim justis, bonitatem commendaturus Apolonus Paulus prima Epist. ad Corinth. cap. 10. v. 13. hæc habet; Tentatio vos non apprehendat nisi humana, fidelis autem Deus est, qui non patietur vos temari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum temptatione preventum, ut possitis sustinere. Hæc igitur piorum hominum fors est, ut his varia temptationa Deus decernat, eos rebus asperis exerceat, adversisque fortuna casibus interdum jactari permittat; vires tamen illorum arcans & infabilibus auxiliis augendo, quibus contra inopinatos ingruentes casus, nihil veriti, impetus illorum fortiter excipiant, & aquissimo animo ferre queant. Qui tandem in pietatis studio robustiores ac vegetiores facti, fidei, & in Deum amoris documenta præbentes, velut in totius orbis

theatrum producantur, ut & alii habeant, quod imitentur. Hic est electorum triumphus, qui in afflictionibus praesidio Dei sunt invicti, immo incredibili laetitia perfunduntur. Sicut enim in humana militia vices rerum sunt, & labores otio, dura jucundis recreantur, post diros in praeliis conflictus celebrantur epinicia: ita & Deus Opt. Max. probat tribulationibus militum suorum, seu electorum fortitudinem, & rursus solatio quodam invitat ad gratulationem & gratiarum actionem, quemadmodum ait Apostolus: *Superabundo gaudio in omni tribulazione mea.* Hoc patet probavit Deus *Abrahamum*, *Jobum*, *Tobiam*, & alios viros justos, qui in rebus adversis se ferentes divinae providentiae arbitrio permittentes, aequaliter mentem servabant; si quid vero prosperitatis ipsis affulgeret, id totum gratis animis adscriberent bonitati, munificentiaque divinae, ita ut nec favente fortuna despondent animum, nec rebus prosprioribus infolescerent.

D. Quanam ex his decem temptationibus, quibus Deus fidem & obedientiam Abrahami probavit, fuit huic Patriarchae gravior atque molestior?

M. Non est dubium, quin decima tentatio, qua Deus *Abrahami* fidem & obedientiam probare volens, ei praecipit, ut maestaret dilectissimum filium suum unigenitum *Iaacum*, fuerit ceterum temptationum longe gravissima, & *Abrahami* constantia, quam in hac sustinenda temptatione exhibuit, extiterit omnium omnino operum, quae unquam edidit ille Patriarcha, praestansissimum. Et sane, si rem exacte, ut par est, expendamus, excellentissimum *Abrahami* obsequium hac temptatione adeo gravi, adeo ardua probatum esse deprehendemus, ut ceteræ aliae temptationes, quibus Deus, tanquam aurum in fornace, *Abrahami* Fidem & obedientiam probare voluit, cum ista decima temptatione ne in computum venire queant. At enim, quamvis *Abrahamus* tunc quoque, cum dulce patriæ solum, propriisque relinquaret lares, & peregre variis adversitatibus urgeretur, Fidei sua, & amoris divini, quo succensus erat, complura prodiderit documenta haud vulgaria, tanto tamen hæc prompta voluntas, quam habuit, maestandi dilectissimum filium suum *Iaacum*, reliquas omnes temptationes magis superat, quanto magis hæc tentatio est singularis, quippe cuius similem, qua unus homo nominatim a Deo tentatus legitur, ab orbe condito reperire non est, & quo pluribus, iisque gravioribus circumstantiis, sed maxime paterna inclinationi, qua *Abraham* serebatur in filium suum unigenitum & innocentem *Iaacum*, repugnabat divinum iustud de mandando, seu immolando *Iaacum* Mandatum, cui tamen *Abrahamus*, nihil querens, nihil obmurmurus, nihil cunctans, sed viva fide animatus, & incredibili animi fortitudine roboratus, morem gesse.

D. Habuitne hæc *Iacuic* mactatio, quam Deus *Abrahamo* imperavit, aliquam mysticam significationem?

M. Hæc *Iacuic* immolatio, a Deo Patriarchæ *Abrahamo* imperata, adumbrabat, seu typice figurabat futurum Sacrificium, quod Iesus Christus æterno suo Patri in ara Crucis pro salute omnium hominum erat oblatus, totum pretiosum sanguinem fundens. Quemadmodum enim, *Iaacus*, a Patre suo *Abrahamo* cruento Sacrificio destinatus, & ad mortem ductus est; ita & Pater aeternus Iesu Christo proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, ut scribit Apostolus *Paulus* in Epistola ad Romanos. Insuper, *Iaacus* ligha, quibus imponendus & immolandus erat, in montem portavit: similiter Iesus Christus Crucem, cui suffigendus erat, in montem humeris suis gestavit. Sed & Aries ipse, quem *Abrahamus* in locum filii sui *Iacaci* immolavit, typum pariter gesit Iesu Christi. Cornibus quippe hærebat in vepreto Aries *Abrahami*; Iesu vero spinis coronatus est, totoque vita tuæ tempore summas difficultates & angustias toleravit. *Abrahamus* post tergum suum confexit Arietem, quem immolavit; sed & Iesum, post multos annos de se oriturum, & in Cruce mactatum iri, previdit *Abrahamus*, idque luculenter significat Iesus Christus, dicens Iudeis: *Abraham, Pater vester, exultavit, ut vide-ret diem meum: Videlicet gavifus est.* Deo sacrificavit *Abrahamus* Arietem, quem sufficit in locum *Iacaci*, filii sui: Similiter, passus est quoque Deus, ut pro hominibus, a se procreatis, sibi Iesu Christus mactaretur. Arietem *Abrahamus* Deo sacrificavit in monte *Moria*: Iesu Christus in crucem actus est in monte *Golgotha*. Utterque autem mons ( seu *Moria*, & *Golgotha* ) est Hierosolymitanus. Quin, opinantur Iudei, in monte *Golgotha*, in quo mortem tulit Christus Dominus, Arietem *Abrahami* suisit itidem immolatum, idemque, post sanctum *Hieronymum*, sentire se profitetur *S. Augustinus* Serm. 71. De Tempore, ubi hæc habet: *Audite Sacramentum, Fratres carissimi, Hieronymus Presbyter scripsit, se ab antiquis & Senioribus Iudeis certissime cognovisse, quod ibi immolatus sit *Iaacus*, ubi postea Christus crucifixus est.* Nolim tamen, ut candide fatear, pro traditionis illius Judaicæ defensione vadimonium suscipere. Quapropter, licet ipse *Iaacum* in alterutrum montem, vel *Moriam*, vel *Golgotham*, ductum esse a parente ut necaretur, a nemine negari posse censem, illum tamen montem, silentे præsertim Scriptura Sacra, determinare non audeo, teque tuo in sensu abundare permitto. Non hic etiam immorabor in refellendo impio errore *Mahometis*, qui in Alcorano asserere audet, non *Iaacum*, sed *Ismædem*, quem *Abrahamus*, ex *Agare* suscepit, suisit hæredem præmissionum, quas Deus fecit *Abrahamo*, eumque non solum aequat, sed præfert *Iacuic*. Quo vel uno solo gravissimo errore insignis ille impostor dissipat ac convelliit divinam totius Veteris Testamenti revelationem. Hoc igitur repudiato errore, quem retulisse, abunde confutasse est, addam hic dumtaxat egregium testimoniū *S. Joannis Chrysostomi*, qui Homilia 43. in Genesim eximiā *Abrahāmi*, omnem affectum

sum paternum superantis, &c, ut ita dicam, proculcantis, fortitudinem, & singularem Isaaci mansuetudinem considerans, in hæc verba erumpit: *O religiosam animam, o fortè mentem, o ingens animi robur, omnem humanae nature affectum vincentem.* Utrum admirer & obstupefaci justus, fortè spiritum Patriarchæ, an tam constantem pueri obedientiam? quod neque reluctatus est, neque factum agre tulit, sed cessit, & obtemperavit iis, que a patre fiebant, & sicut agnus cum silentio super altari decubuit, expectans patris dexteram.

D. Admiror quidem obedientiam Abrahami, sed obedientiam Isaaci longe ei præferendam esse arbitror. Abrahamus quippe ita obedivit Deo præcipienti immolationem filii Isaaci, ut tamen vel per Fidem, vel per specialem revelationem certo cognosceret, Deum, qui promiserat ei Semen ex Isaaco, non permisurum unquam ut immolaretur, verbum namque Divinum sciebat irritum esse non posse. Hinc Apostolus in Epist. ad Hebreos cap. 11. v. 17. & seqq. ait: *Fide ob tulit Abraham Isaac ... ad quem dictum est: Quia in Isaac vocabitur tibi Semen, arbitrans, quia & a mortuis suscitare potens est Deus.* Hinc etiam Abrahamus, in monte ascensurus in quo filium suum immolare debebat, his verbis servos suos allocutus est: *Expectate hic cum asino: ego, & puer illuc usque properantes, postquam adoraverimus, revertemur ad vos,* Genes. cap. 22. v. 5. quæ verba: *Ruitemur ad vos*, aperte innunt, Abrahamum pro comperto habuisse, quod Isaac reapse non macaretur, sed potius fospes & incolumis e monte ad proprios lares reverteretur; alioquin hæc Patriarchæ verba excusari haud possent a mendacio, quod certe in tam exsimium virum, & a Deo impense landatum, cadere minime potest. Posita autem feme hac certa notitia, quam habuit Abrahamus de non immolando filio suo, obedientia illius Patriarchæ haud parum minuitur, aut saltē longe inferior videtur ea obedientia, quam exhibuit Isaac, qui statim ac audivit a Patre suo Abraham, te esse victimam Sacrificio destinatam, in tam luctuoso, horrifico, & insperato nuntio omnem vitæ sue conservandæ spem perdidit, & tamen dicto audiens, & e nutu patris unice pendens, depositus vestimentum, procubuit in genua, manus obtulit ad vincula, corpus ad cædem, latus ascendit ad struem lignorum rogo paratam, patri ultimum vale dixit lacrymis perfusus, animam Deo commendavit, jamque exerto gladio jugulum præbuit. Hanc igitur Isaaci obedientiam dum ipse attento animo considero, eam perfectiorem fuisse obedientia Abrahæ mi pronunciare nullus dubito.

M. Et que perfecta fuit obedientia Abrahæ ac obedientia Isaaci. Quamvis enim tanta esset Abrahæ fides, sicut ait Apostolus Paulus loco mox a te laudato, ut non dabitaverit, filium suum Isaacum, a se immolatum, posse a Deo ad vitam denuo excitari, nunquam tanien ille Patriarchæ sive per fidem, sive per specialem revelationem cognovit, quod Deus impediturus esset,

ne immolatio Isaaci executioni mandaretur. Nec contrarium innunt hæc verba Abrahæ, dicentes servis suis: *Expectate hic cum asino ... postquam adoraverimus, revertemur ad vos:* hæc, inquam, Abrahæ verba non innunt, Abrahæm certe cognovisse, fore ut Deus impidiret, ne immolaretur Isaacus, seque subinde reducturum e monte salvum & incolumem filium suum Isaacum, sed hæc Abrahæ verba, alia sensa habent, quæ juxta varias doctissimorum Interpretum explicaciones, hic breviter subjiciemus. In primis, sunt quidam Interpretes, qui, post Menochium, docent, *Abrahamum*, licet haberet animum vere immolandi in monte filium Isaacum, non tamen mentitum esse, quando dixit servis suis: *Expectate ... postquam adoraverimus, revertemur ad vos*, quia Abrahamus dicendo: *Revertetur*, vel de se solo loquitur numero plurali, more Hebræorum, vel credidit Abrahamus, filium a se immolatum, e mortuis a Deo excitatum iri. Alii Interpretes dicunt, Abrahamum, dum dixit servis suis: *Expectate ... postquam adoraverimus, revertemur ad vos*, non esse mentitum, sed prophetasse, quia dixit verum, quod tunc ignorabat. Alii volunt in his Abrahæ verbis: *Expectate ... postquam adoraverimus, revertemur ad vos*, subintelligendam esse hanc conditionem: *Si Deus velit*, non secus ac dum Deus cap. 20. v. 3. lib. Genes. Regi Abimelecho, qui Sarah, uxorem Abraham, sustulerat, mortem comminatus est, dicens: *En morieris propter mulierem, quam tulisti*, non comminatus est Deus Abimelecho mortem tanquam absolute futuram, sed sub hac tacita conditione: *Si nolueris reddere*. Quam conditionem Deus eodem in cap. v. 7. exprimit, dicens iterum Regi Abimelecho: *Nunc ergo redde viro suo uxorem ... si autem nolueris reddere, scito, quod morte morieris tu, &c.* Non defuit etiam quidam Interpretes, qui assertunt, Abrahamum, attento solo ordine causarum secundarum, potuisse, citra mendacium, dicere servis suis: *Expectate ... postquam adoraverimus, revertemur ad vos*, quia inquit illi Interpretes, quos inter censemus noster Cajetanus, mors Isaac futura non erat, secundum ordinem causarum secundarum, sed tantum secundum ordinem & dispositionem causæ superioris, seu divinæ voluntatis. Quo fit, ut Abrahamus, attento dum taxat ordinem causarum secundarum, juxta quem mors Isaac accidere non debebat, potuerit vere & absque mendacio dicere servis suis: *Expectate ... postquam adoraverimus, revertemur ad vos*: Non fecit ac mentitus non est Propheta Isaías, quando missus a Deo ad Ezechiam, Regem Juda, in lecto decumbentem, dixit ei: *Morieris, & non vives*. Nec etiam mentitus est Propheta Jonas, quando missus itidem a Deo ad Ninivitas, dixit eis, *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subverteretur*. Non sunt, inquam, mentiti ambo illi Prophetæ, licet neutrum horum, quæ prædixerunt, evenirit, quia id tantum prædixerunt, quod juxta ordinarium rerum, seu causarum secundarum cursum futurum erat. Ezechias quippe, Rex Juda, juxta ordinem

causarum secundarum moriturus erat, lethali namque morbo decumbebat. Ninivit etiam juxta solitum divinae justitiae ordinem, ultimam ruinam propediem experti erant. His interpretationibus, quas hactenus adduximus, a mendacio tam pie, quam vere excusari debet Abrahamus, dum dixit servis suis: *Expectate .... postquam adoraverimus, revertentur ad vos.* Quamvis ipse veram, fixum, ac constitutum haberet propositum immolandii filium suum Isaacum, eumque in monte Deo in sacrificium offerendi. Jure itaque optimo omnium Scripturae Sacrae interpretum censura vapulat noster Melchior Canus, vir aliqui doctissimus, quod cap. 4. lib. 2. de locis Theologicis dicat, mentitum esse Abrahamum, dum *contra preventem, dissimulandi gratia locutus*, sunt verba Melchioris Cani, ait servis suis: *Expectate .... postquam adoraverimus, revertentur ad vos.*

D. Inter tentationes, quibus Deus fidem & obedientiam Abrahami probare voluit, percensuisti bellum quod Abrahamus cum quatuor Regibus gefit, at nunc scire vellem, cur Abrahamus hocce bellum suscepit?

M. Hoc bellum cum quatuor Regibus eo potissimum fine suscepit Abrahamus, ut in libertatem affereret nepotem suum Lotum, quem quatuor Reges, fortunis omnibus exutum, in captivitatem una cum ipsis familia abduxerant. Narrat enim Scriptura Sacra cap. xiv. lib. Genesios, *Cordolabomorum*, Regem Elamitarum, tribus aliis sociatum Regibus, bellum iniisse contra quinque Reges, videlicet Regem Sodomorum, Regem Gomorrhæ, Regem Seboim, Regem Segor, & Regem Adamæ, tamque feliciter mariis aleam cessisse Regi *Cordolabomoro*, aliisque tribus Regibus, qui cum illo erant federati, ut devictis quinque illis Regibus, & direptis vastatisque oppidis, non solum omnia illorum, sed & *Lothi*, qui erat Abrahami nepos, quiq[ue] habitabat in Sodomis bona, suam in potestatem redegerint: *Tulerunt*, inquit Scriptura Sacra, *annem substantiam Sodomorum, & Gomorrahorum ... Nec non & Loth, & substantiam ejus, filium fratris Abram, qui habitabat in Sodomis.* Hæc cum innotuissent Abrahamo, non impune fenda esse duxit, sed continuo armatis ex familia sua 318. vernaculis, viatores quatuor Reges insequebatur, illosque per intempestam noctem ex improviso aggressus, vicit, fudit, compulit in fugam, ex eorum manibus opima, quam tulerant, excussa præda, salva omnia, cum *Lotho*, nepote suo, totaque ejus familia recuperavit.

D. Estne hic *Lothus*, Abrahami nepos, idem ac ille *Lothus*, quem Deus ministerio Angelorum eripuit ex incendio Sodomorum, quos, propter execranda flagitia, & infamem, præposterramque libidinem, de calo dimissa flamma, pice, ac sulphure illata, penitus exusit, nihilque in his terris, olim aspectu amanissimis, reliquit, præter putidissimæ aquæ paludem (Mare mortuum vulgo vocant) horrendum, fere diffissimæ voluptatis residuum adhuc monumentum?

M. Hic *Lothus* Abrahami nepos, idem plane est, ac *Lothus* ille, quem Deus ex Sodomorum conflagratione salvum & incolumen eripuit. At enim, Abrahamus, iussus a Deo patriam deferere, & venire in terram Chanaan, socium profecionis sibi adscivit *Lothum*, nepotem suum, eumque contubernalem habuit, donec, propter exorta inter pastores ovium hinc inde iurgia, coactus est se se ab illo divellere, suumque figere tabernaculum in Hebron ad convallem Mambre. Hoc pacto *Lothus*, a patruo separatus, Sodomis confedit, ibique suum constituit domicilium. Sed cum impurissimi Sodomæ, aliarumque quatuor finitimarum urbium cives se abominandis libidinum monstros fœdarent, decrevit tandem Deus incendio perdere quinque illas urbes, videlicet Sodomam, Gomorrham, Adamam, Seboim atque Segor, & uni dumtaxat *Lotho*, nepoti Abrahami, ejusque familiæ parcere. Tres itaque Angelos, sub specie venustissimorum adolescentium, Deus immisit Sodomam, qui *Lothum*, ejusque familiam incolumem præflarent, & ab illo pentapolitano liberarent incendio. Tres illos Angelos hospitio exceptit *Lothus*, quos cum lacrimosi cives putarent, non esse Angelos, sed formosos quosdam juvenes, quorum pudicitia abuti possent, cœperunt, proh pudor! ejusmodi hospites ad infamem, abominandamque libidinem frustra *Lotho* reclamante, omniaque moliente, exposcere, & ab obscenissimo fulcepto proposito non desliterunt, donec a Deo caccitate perculti, & in meridie palpantes, nunquam domus *Lothi* januam querere aut invenire potuerunt. Tum *Lothum*, ejus uxorem, duasque filias, & Sodoma Angeli traxerunt, districte illis, juxta Dei mandatum, prohibentes, ne post se respetarent, & ne pentapolitanum incendium, vel uno adspexit dignarentur, nec mora; Deus sulphureo imbre obruit, & penitus evertit quatuor memoratas urbes, quintam enim, seu *Segor*, precebus *Lothi* exoratus Deus ab incendio exemptus, & asylum esse voluit, quo se reciperet *Lothus*. Hoc est horrendum, & omnium seculorum perenni memoria dignum iræ divinae monumentum, Sodomæ & vicinarum urbium excidium, quod sibi accerivere flagitosissimi homines, nefandis immersi sceleribus, ipsamque naturam oppugnantes, Deo & hominibus exosi. Unum inter tot celestissimos homines innocentem *Lothum*, ejusque familiam mirabilis liberatione remunerari, ac mundo commendare voluit Deus vindex & ultior Sodomorum. Sed, seipsum tanto Dei beneficio *Lothi* uxor reddidit indignam, quippe quæ, post habito divino Mandato, retro morose, curioseque spectans, & oculos suos incendii pentapolitani contemplatione pascens, e vestigio, quasi repentina fulmine tacta, & stupenda metamorphosi in statuam salis conversa, inauditam inobedientiæ suæ pœnam jure ac merito luit.

D. Perstatne adhuc illa statua salis, in quam *Lothi* uxor fuit conversa?

M. Sunt quidam Scriptores, qui afferunt, non amplius existere hanc statuam salis, sed eam, statim ac *Lothus*, una cum suis duabus filiabus, ex

ex urbe *Segor* fuit egressus, istu fulminis perculsum ac penitus contritam esse. At *Josephus*, *Hebreus*, lib. 1. Antiq. Jud. cap. 12. testatur, hanc statuam salis suo adhuc tempore extitisse. Aliquot etiam probatissime fidei Scriptores, qui illas regiones perlustrarunt, referunt in suis Itinerariis, se propriis oculis eamdem statuam conspexisse. Quorum testimoniis refragari, nec possum, nec debeo, maxime, cum vero simillimum sit, voluisse Deum sive ad metum peccatoribus incutendum, sive ad excitandos fideles, ut in via justitiae, quam semel arriperunt, recta pergant, nec retro aspiciant, tam insigne terribilis sui erga peccatores iudicii documentum conservare. Hinc Christus Dominus *Luce* cap. 17. v. 31. & 32. sic fideles monet: *Et qui in agro est, similiter non redeat retro.* *Memores estote uxoris Loti.* His verbis quasi indicare volens, norem *Loti* retro respicientem, id eo in statuam salis fuisse a Deo conversam, ut perpetuum quoddam posteris foret monumentum, ne qui semel elegerunt viam Domini, atque eam ingressi sunt, retro unquam adspicere & redire concupiscant: sed si salvi esse velint, perpetuo in via Domini recta procedentes ulterius, perveniant tandem aliquando ad optatum finem, seu ad beatitudinem eternam. Non est ergo quod negem, aut in dubium vocare velim, an existat etiamnum haec statua salis. (a) Ceterum, an hac statua salis durare debeat usque ad resurrectionem mortuorum? (sicut *Targum Hierosolymitanum* affirmit) an etiam tam altas radices egerit haec statua salis, ut nullo pacto evelli possit? Postremo, an semper renascatur, si quid salis pecora delambant, vel homines desfringant? Harum & similium questionum examen a foro nostro omnino alienum esse putamus, illudque lubentissime discutiendum permittimus *Rabbinis*, qui mentem suam, Poetarum more, vento a chymarēs, seu vanis figurantis, ac fabulis pascere solent.

(a) Non me fugit *Josephum* affirmasse suis " te oculis aspexisse statuam salis, in quam Lo- " thi uxor conversa est, sua adhuc aetate perse- " verantem; idem autem affirmant de se viri alii " nonnulli graves, & veridi ci Scriptores. Vix ta- " men adducor ut credam, eandem ipsam fuisse " statuam mulieris; facile enim contingere po- " tut, ut pristina illa vel temporis elacitate, " vel celi injuriis absumpta, ac dispersa, alia " similis in perpetuam miserabilis casus memo- " riā a *Judeis* posita fuerit, quam *Josephus*, " aliique cernentes, novam pro antiqua incante " acceperint. Neque id novum *Josepho*, qui & " geminas columnas, lapideam alteram, alteram " vero lateritiam, literis ignotis inscriptas, " & a posteris Semi post diluvium in campo " Sennar flatutas aetate sua adhuc persevera- " se affirmavit, quod nemini persuadere- " tur.

D. Perge porro narrare cetera, quae *Loti* con- tingerunt, postquam ex urbe *Segor* cum suis duabus filiabus egressus est.

M. Postquam *Lotibus* ex urbe *Segor*, quam im- minenti cladi suis precibus exemisit, duabus suis filiabus stipatus excessisset, vicinum in collēm

*Hist. Vet. Test. Tom. I.*

subiit, ubi a duabus suis filiabus, intempestivo suscipienda prolis amore flagrantibus, vino de industria ingurgitatus, per noctem inter dormendum ebrietate victus, rem habuit cum illis, quæ ex eo incesto concubitu popererunt *Ammonem*, & *Moabum*, quorum prior fuit parens Ammonitarum, ab altero autem, seu *Moabo* propagati sunt *Populi Moabitæ*. Persuaserant quippe sibi, sed perperam, duas filias *Loti*, omnes ad unum mortales incendio pentapolitano esse omnino extintos, non fecus ac a parente suo audierant, universum genus humanum (excepta *Noemi* familia) aquis generalis diluvii olim periisse. Istud itaque reparandi generis humani studium, quod eorum animis insidebat, ad incestum cum parente concubitum illas incitavit. Nec tamen excusari debent, tum quia ab illo carnali cum parente congressu facile eas revocare poterat haec, quam filiabus erga parentem natura inlevit reverentia: tum quia etiam a parente suo *Loti* percontari poterant, num aliqui homines adhuc in mundo superstites essent, & flammam pentapolitani incendiī effugissent? tuncque a suo parente veritatem edocere, nullo ad patrandum tam grande facinus specioso illo extincti generis humani reparandi obtenuit instigari potuissent. Nec ergo duas *Loti* filias ab incestu, nec earum parentem a gemina, in quam lapsus est, ebrietate in praesentia vindicare volo. Obiter tamen advertas velim, ex hac *Loti* ebrietate, ejusque cum suis duabus filiabus incesto concubitu inficite quosdam incredulos, & Scripturæ Sacrae osores, ansam & occasionem arripere, fidem detrahendi Historiæ Sacrae, quæ describitur in Libro Genesis, quia, inquit, in hac Historia, quæ apud Christianos sacra habetur, referantur, perinde ac in Historia Gentilium, turpissimi hominum mores, quibus ad flagitiolam vitam, & ad explendam effrenem libidinem mortales stimulari possunt. Verum, in hoc turpiter halucinari illos incredulos proclive est breviter hic demonstrare ex maximo discriminé, quod intercedit inter Historiam, quæ apud Christianos sacra habetur, & Historiam Prophanam, seu Gentilium. Historia siquidem Sacra refert interdum vitia quorundam hominum, sive Patriarcharum, sive Regum, sed ea non laudat, sed reprobat. Ast, Prophana, seu Gentilium Historia, non solum turpissimos mores, & propudiósos Deorum amores narrat, sed etiam approbat, commendat, extollit, ac summis laudibus prædicat virtus, & spurcissimos amores Deorum, quos inter *Bacchus* temulentus fuit, *Mars* homicida, qui cum *Veneri* adulterium commisit; *Mercurius* fur ac nebulo, qui nihil ad famam sui reliquit, nisi memoriam fraudum suarum. Sed quid omnium horum pater *Jupiter*, qui ne parum videretur, si in expugnanda sceminarum pudicitia maculofus esset, etiam sexui suo injuriam fecit? Prætermitto obscenitates *Veneris*, omnium libidinibus prostitutæ, non Deorum tantum, sed & hominum. Quæ tamen horrenda vita, & abominanda Deorum monstra libidinum Historia Prophana, seu Gentilium, proponit tan-

quam exempla, quæ homines debeat imitari, ea-  
que Poetæ suis carminibus celebrare non dubita-  
runt. Quod sane (ut alia, quæ suppetunt, missa  
faciam momenta) ineluctabile est falsitatis Gen-  
tilium Historiæ argumentum, & veritatis Histo-  
riæ, quæ apud Christianos Sacra habetur, perenne  
monumentum.

D. Ebrietatem *Lotbi*, ejusque cum duabus suis  
filiabus propudosum incestum non approbat qui-  
dem Historia, quæ apud Christianos Sacra habe-  
tur; laudat tamen hæc Sacra Historia omnia ge-  
sta Patriarchæ *Abrahami*, qui *Lotbi* patruus fuit,  
quique, præter legitimam, quam habuit, uxori-  
rem, *Saram* videlicet, ex qua filium *Isaacum*  
procreavit, postea cum *Agare*, ancilla sua, ex  
qua filium *Ismælem* suscepit, illico concubitu  
permixtus est, ac tandem cum altera concubina,  
*Cetura* scilicet, ex qua plures sustulit filios, im-  
pudice volutatus est. *Agarem* namque & *Cetu-  
ram* non fuisse legitimas uxores *Abrahami*, sed  
eius dumtaxat concubinas, non obscure innuit  
Scriptura Sacra, cap. xxv. Lib. Genesis, ubi hæc  
habet: *Dedit Abram cuncta quæ posse dederat, I-  
saac, filio suo, quem ex Sara, legitima uxore,*  
*suscepit: Filiis autem concubinarum, seu Agaris,*  
*& Ceture, largitus est munera, & separavit eos ab*  
*Isaac filio suo*, Historia igitur, quæ apud Chris-  
tianos sacra habetur, vitia, & turpes Patriarcha-  
rum amores perinde laudare & approbare videtur  
ac Prophana, seu Gentilium Historia commendat  
& extollit nefanda Deorum flagitia, obscenisque  
amores.

M. Optimo jure Historia Sacra vitio non ver-  
tit, nec criminis dat Patriarchæ *Abrahamo*, qui  
post diluvium Noeticum vixit, quod filios pro-  
creaverit ex *Sara*, *Agare*, & *Cetura*, quia cum  
tribus illis uxoribus legitimum matrimonium con-  
traxit *Abrahamus*, ac subinde nullo pacto, ob il-  
lam simultaneam polygamiam, culpandus. Da-  
mnat quidem Historia Sacra *Lamechum*, qui ante  
diluvium Noeticum plures duxit uxores, cœpit  
que primus violare Legem monogamiaæ a Deo la-  
tam ab exordio mundi, & scriptam cap. 2. v. 24.  
Lib. Genesis: *Relinquet homo patrem & matrem,*  
*& adhæredit uxori sue, & erunt duo in carne una.*  
At, non damnat Historia Sacra, neque culpat *A-  
brahamum*, aliosque Patriarchas, qui post dilu-  
vium vixerunt, quod plures simul duxerint uxori-  
res. Ratio in promptu est, quia Deus hominibus  
post diluvium polygamiam, seu specialem dispensa-  
tionem, plures simul ducendi uxores, concessit,  
sicut docent omnes sancti Patres, & Scriptura Sa-  
cra Interpretes. Cum enim post diluvium vita ho-  
minum longe brevior esset quam ante diluvium;  
nimis lente propagatum fuisset genus humanum,  
aquis diluvii (excepta Noemi familia) extinctum,  
si unam tantum quisque tum temporis habuisset  
uxorem, & hac potissimum de causa Deus post  
diluvium indulxit hominibus polygamiam. Non  
peccarunt igitur *Abrahamus* aliique postdiluvia-  
ni Patriarchæ, qui, accedente dispensatione di-  
vina, plures uxores duxerunt, siisque, ut ait S.  
*Augustinus* cap. 46. lib. 22. contra *Faustum*, Ma-  
nichæum, non lasciviendi, sed gignendi causa ute-

bantur. Sed Historia Sacra, inquis, *Agarem*,  
& *Ceturam* appellat *Concubinas Abrahami*; pec-  
cavit itaque *Abrahamus*, qui non contentus *Sa-  
ra*, legitima conjugé sua, cum duabus concu-  
binis, ut effreni luæ libidini indulgeret, im-  
pudice commixtus est. Hanc tuam difficultatem  
solvit eadem Historia Sacra, quæ *Agarem*, &  
*Ceturam* appellat modo *uxores*, modo *concubinas*  
*Abrahami*. Capite enim xvi. Libri Genesis *A-  
gar* nuncupatur uxor *Abrahami*, & cap. 25. e-  
jusdem libri *Cetura* dicitur itidem uxor *Abra-  
hami*, sed paulo post, id est, v. 6. ejusdem cap.  
25. Libri Genesis, tam *Agar*, quam *Cetura* di-  
cuntur concubinae *Abrahami*. Hujus diverse in  
Historia Sacra appellationis ratio peti debet ex  
consuetudine, quæ vigebat tam apud Hebræos,  
quam apud Gentiles, quibus solemne erat duo  
habere uxorum genera. Quasdam enim uxores du-  
cebant, non solum ad procreandos liberos, sed  
etiam ad individuum societatem bonorum o-  
mnium, atque economicam totius domus, seu  
familiae gubernationem, & harum uxorum filii so-  
li erant hæredes, & illæ uxores proprie diceban-  
tur matres familie. Alias vero uxores, tam He-  
brei, quam Gentiles ducebant, quæ veræ ac le-  
gitimæ erant uxores, utpote ad liberorum pro-  
creationem, vero & indissolubili matrimonii vin-  
culo cum suis viris copulatae; sed non admitten-  
turbant ad societatem familie bonorum, & do-  
mus gubernationem, indeque uxores illæ non vo-  
cabantur matres familias, neque eorum filii hæ-  
redes erant, eaque de causa nunc *uxores*, nunc  
*concubinae* nominabantur. Ut igitur ad *Abra-  
hamum* revertamur: dicendum est, hunc Patriar-  
cham, juxta morem, qui inoleverat apud He-  
bræos, matrimonio sibi junxisse *Saram* non tan-  
tum ad procreationem liberorum, verum etiam ad  
societatem bonorum, & familiæ gubernationem,  
subindeque solam *Saram* fuisse dictam matremfa-  
milias, & ejus filium *Isaacum* habitum esse ve-  
rum hæredem bonorum patris sui *Abrahami*; a-  
lias autem duas *Abrahami* uxores, seu *Agarem*  
& *Ceturam*, fuisse veras illius uxores, cum ex  
his per legitimum matrimonium liberos suscep-  
perit *Abrahamus*; sed quia duæ illæ uxores *A-  
brahami* admissæ non erant ad bonorum societa-  
tem, & domus gubernationem, ideo earum fi-  
lios non fuisse hæredes, nec illas fuisse appella-  
tas matresfamilias, sed juxta morem, id tem-  
poris receptum apud Hebræos, nunc uxores, nunc  
concubinas indiscriminatim in Historia Sacra num-  
cupari.

D. Patriarchas primæ mundi ætatis typum Je-  
su Christi, veri Messiae, Salvatoris nostri, ges-  
sifile, ostendisti sub finem tertii colloqui in Hi-  
storiam primæ mundi ætatis, nunc commonstra-  
re debes, quo pacto *Abrahamus*, in cuius semi-  
ne benedicenda erant omnes Gentes propter Mes-  
siam, qui ex ejus stirpe proditus erat, ty-  
pum gesserit Iesu Christi veri Messiae, Salvato-  
ris nostri. Audivi enim nuperrime a viris erudi-  
tis, non tantum Patriarcham *Abrahamum* variis  
typis præfigurasse Jesum Christum, sed  
etiam uxores, quas duxit *Abrahamus*, *Saram*

videlicet & *Agarem*, nec non filios, quos ex his duabus uxoribus suscepit idem Patriarcha, *Iaacum*, scilicet, & *Sara*, & *Ismaelem* ex *Agare*, typice ad umbras tam Synagogam Judæorum, qua aliquid desituta erat, quam Ecclesiam a Christo Domino institutam, qua æternum est duratura.

M. *Abrahamum*, quem Deus constituerat patrem credentium, seu fidelium, gessisse typum Jesu Christi, Salvatoris nostri, qui ex ejus stirpe nasciturus erat, sic breviter ostendit: Abrahamus, Dei iussu, patriam suam reliquit, venitque in terram Chanaan; eam sibi, posterisque suis accepturus in possessionem, sicut ei promiserat Deus: ita Christus, Mandato Dei, Patris sui æterni, patriam, cælum, seu celestem gloriam, quam ab æterno apud Patrem suum habuit, quodammodo reliquit, & de cælo in terras miseras, per incarnationem & nativitatem e Virgine *Maria*, venit in Judeam, terrestrem Chanaan, celestem sibi & posteris suis in æternum accepturus. Abrahamus, mox ut venit in Chanaan, fame coactus secessit in Ægyptum: Jesus Christus, vix natus in mundo, ad necem quæsus ab *Herode*, Judæorum Rege, fugit in Ægyptum, ut evaderet persecutionem, quam in ipsum moliebatur ille Rex post hominum memoriam crudelissimus. Ex Ægypto, cessante fame, egressus est *Abrahamus*, & reversus est in terram Chanaan: Jesus Christus, mortuo *Herode*, Judæorum Rege, ex Ægypto profectus est, & rediit in Judeam, Nec solum Abrahamus typum gessit Jesu Christi, qui suum ex eo genus ducere debebat, verum etiam duas uxores, quas habuit Abrahamus, videlicet *Sara* (ex qua filium suscepit *Iaacum*) & *Agar* (qua ei peperit *Ismaelem*) præfigurabant five Legem Mosaicam, & Judæorum Synagogam, quæ veniente Messia, desituta erat, five Legem Evangelicam, & Christianorum Ecclesiam, quam Jesus Christus in terris instituturus erat, quæque æternum duratura erat. Et primo quidem, Apostolus *Paulus* cap. 4. Epistola ad Galatas diserte docet, duas *Abrahami* uxores, *Saram*, nimirus, & *Agarem*, natione Ægyptiacam, esse typum duorum Dei Federum, seu Testamentorum, Veteris videlicet, seu Mosaici, & Novi, seu Evangelici, *Saram* quidem Novi, id est, Evangelici, *Agarem* vero Veteri, seu Mosaici, fuisse typum. Præterea, *Ismael*, filius *Agaris*, typus fuit Judæorum, qui per opera Legis justificari volunt. *Iaacus* autem, *Sare* filius, fuit typus fidelium, credentium in Christum, seu verorum Christianorum. Tertio, *Agar* genuit filios ad servitum, *Sara* vero libera, genuit liberum filium *Iaacum*, paternorum bonorum hæredem. Hinc Judæi, quorum typus fuit *Ismael*, filii Legis sunt, & servi ac mercenarii: Christiani autem liberi sunt, Legi libertatis, seu Evangelio subditi. *Ismael* una cum matre *Agare*, ejicitur e domo *Abrahamei*, & ejectus per desertum oberrat: Judæi a Deo rejecti sunt, & Lex eorum Mosaica abrogata & antiquata est: ipsi e domo Dei, Ecclesia nempe Christi, ejiciuntur,

patrioque suo solo expulsi, vagantur per orbem terrarum exiles, miseri, omnibusque excoli. *Ismael* itidem, filius *Agaris*, fuit homo onager, habitans in deserto, sagittarius, cuius manus contra omnes, & omnium manus contra ipsum: id est, homo fuit rixosus, jurgiosus, contentiosus, cui amans, duris & asperis moribus: Judæi pariter duri sunt & asperi erga peccatores, aliorum omnium præ se contemptores, cui amantes, gloriæ cupidi, alieni a Christiana lenitate & mansuetudine, magni rerum carnalium hujus mundi amatores. *Iaacus* contra, *Sare* filius, qui typus extitit Christianorum, lenis fuit, humanus, mansuetus, natus ad bene de omnibus merendum, blandisque admodum moribus præditus. Tales sunt veri fideles Christiani, qui spiritu Christi ducuntur. Postremo *Agar*, ex ædibus *Abrahamei*, una cum filio suo *Ismaele* ejecta, tenuissimo Viatico, pane & aqua instructa, per desertum desolata oberravit, nec exitum invenit, unde hoc levissimo deficiente Viatico, fame & siti oppressa, certam prævidens imminentem mortem, in desperationem aëta, filium suum *Ismaelem* abjectit, & simul cum illo in lacrymas, & planctum prorupit, donec Deus, utriusque misertus, Angelum miserit, qui fontem aquæ indicavit, ex quo hausta aqua, vires suas refocillarunt *Agar*, ejusque filius *Ismael*, & sic consoluerunt periclitanti vitæ suæ. Eamdem infelicem sortem experiuntur nunc, velint nolint, miseri Judæi, quorum typum gesserunt *Agar* & *Ismael*. Enim vero, Judæi, ex Ecclesia Christi ejecti, Lege Mosaica, cuius genuinum sensum, mentem, & intellectum minime tenent, neconon Talmudicis suis Traditionibus, tanquam levissimo instructi Viatico, hac illac per orbem terrarum palabundi dissipantur, eoque deficiente Viatico, nec ullum ex eo verum capientes solatum, sortem suam, & miserrimum, ad quem in præsentia redacti sunt, statum deplorant, e quo dumtaxat emergent, quando Deus, eorum misertus, mittet ad illos Angelum, seu Verbi Dei præcōnes, qui Jesum Christum, verum Messiam, tamdiu ab eis frustra quæsitus, verum fontem aquæ vivæ & salientis in vitam æternam, ipsis patefaciet, ex quo verum solatum & vitam perennem consequentur. Hi sunt in summa typi, quibus Deus Mysteria, quæ in Novo testamento completa sunt, præcipue adventum Jesu Christi, veri Messiae, ruinam Synagogæ Judæorum, & Christianorum Ecclesiæ institutionem, voluit in Veteri Testamento delineare, & per *Abrahamum*, & duas ejus uxores, *Saram*, & *Agarem*, atque duos ipsius filios, *Iaacum*, & *Ismaelem*, variis figurarum iuvolucris adumbravit.

D. Antequam de rebus a Patriarcha *Abrahamo*, præclare gestis finem dicendi faciamus, vellem, ut breviter confutares Joannem Marshamum, Scriptorem Anglum, qui (sicut nuperrime legebam) in suo *Canone Ægyptiaco, Hebreo, & Greco*, pag. 77. audet afferre, *Abrahamum* ad immolandum filium suum *Iaacum* inductum fuisse exemplo Ethnicorum, seu Ægyptiorum, vel aliarum

Gentium, quibus solempne erat filios suos, etiam ante Abramini tempora, Diis immolare. Ex quo concludit ille Scriptor, *Novum & inauditum Abramino non fuisse hujusmodi sacrificium Isaaci, cum iam Reges, & Gentes integra illud ex occasione facerent, & mactationem liberorum suorum pro lantlo opere & Diis grato, ante Abramini tempora habuerint.* Hanc certe Marshami opinionem, qua fidei & obedientiae Abramini in immolando filio suo Isaac phurimum derogat, meo calculo probare minime possum.

M. Quam temerarius, & in proferendis insulis commentis sit liberalis iste *Joannes Marshamus*, memini, me sub finem praecedentis nostri Colloqui, sat super ostendisse, refellendo videleet aliud inane ejusdem Scriptoris figuramentum, quo sibi, aliiisque frustra persuadere pertendit, circumcisionem nec a Deo fuisse institutam, nec Abramino praeceptam a Deo, nec Judaeos ab Abramino illam accepisse, sed potius circumcisionem ex Ethnicorum superstitionibus, maxime Aegyptiorum ritibus, originem duxisse, indeque ad Judaeos fuisse derivatam. Variis argumentis, quæ ibidem adduximus ad explodendum male natum illud Marshami systema, paucas hic rationes adiungam, quibus certo confitabit Abramum voluisse immolare filium suum, non ut sequeretur morem Gentium, filios suos Diis immolantium, sed ut obtemperaret singulari præcepto Dei, qui ut eius fidem & obedientiam exploraret, ei iustit, ut filium suum unigenitum *Isaacum*, quem secundum Deum, unice diligebat, & in deliciis habebat, mactaret; eique in holocaustum offerret. Et primo quidem, constat, Deum præcepisse Abramino, ut filium suum *Isaacum* immolare: *Tolle, inquit ei Deus, cap. 22. v. 2. lib. Genesis, filium tuum unigenitum, quem diligis Isaac, & vade in terram visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum super unum montium quem monstravero tibi.* Non est autem credibile, Deum, qui in Lege Mosaica districte inhibuit Israelites, ne imitarentur, aut requirent cæteronias Gentium, præcipere voluisse Abramino, ut, juxta superstitiones Ethnicorum, qui plusquam Scythica barbarie filios suos Diis immolabant, filium suum unigenitum *Isaacum* immolare. Impium siquidem est dicere, Deum matuari e dæmonis officina ritus, quibus coli vult. Quod si dicatur, Abramum, proprio suo marte, & absque ullo Dei præcepto, voluisse hac in re imitari ritum Ethnicorum filios suos Diis immolantium, id, inquam, si dicatur, multis momentis falsi convinci potest. Primo, quia extat in Scriptura Sacra expressum præceptum, mox a nobis relatum, quo Deus præcepit Abramino, ut ei immolare filium suum *Isaacum*. Secundo, si Abramus secutus dumtaxat superstitiones Ethnicorum, & absque ullo divino præcepto, voluisse immolare filium suum *Isaacum*, omni procul dubio Deus hanc *Isaci* immolationem utpote juxta Ethnicorum superstitiones factam, osnino improbasset, nedum laudasset, & tamen Deus in Scriptura Sacra hanc *Isaci* immolationem adeo sibi gratam fuisse declarat, ut propter illam se

benedicturnum Abramino pollicetur his verbis: *Per memetipsum juravi, dicit Dominus, quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedic tam tibi, & multiplicabo semen tuum, sicut stellas caeli, & velut arenam, qua est in littore maris, & possidebis semen tuum portas inimicorum tuorum.* Et benedicuntur in semine tuo omnes Gentes terre, quia obedisti vocis mee, Genesis c. 22. Denique, fallo supponit Marshamus, impium illum ritum, quo Ethnici filios suos Diis immolabant, jam invaluisse apud Gentes ante tempora Abramini; id, inquam, oppido falsum est, tum quia ex nullo antiquo Scriptore, etiam ex his, quos laudat Marshamus, probari potest, ritum illum barbarum homines Diis immolandi fuisse ante Abramini tempora apud Aegyptios, aliasque truculentas Gentes sollemnem. Quia de re leges *Illustrissimum Danieliem Huotium* in sua *Demonstratione Evangelica, Propositione IV.* Tum quia, longe verosimilius est, impium illum & immanem, quæ antiquitus vigebat apud Aegyptios, aliasque Gentes, immolandi homines Diis consuetudinem duxisse originem ex prava illius Abramini sacrifici æmulatione. Nam sicut Aegyptii, aliasque Gentes ritum circumcidendi ex Judæis acceperunt, ut sub finem praecedentis nostri colloqui, diximus, sicut etiam Ethnici consecrarent *Saturno* Feriam septimam, id est, diem Sabbathi, quæ apud Judæos ex divino præcepto sacra erat; ita vero quam simillimum est, apud Aegyptios, aliasque Ethnicos invaluisse post tempora Abramini crudelem illum filios suos Diis immolandi ritum ut hoc pacto Abramini, filium suum Deo in holocaustum offerentis, imitarentur exemplum, impellentibus præfertim dæmonibus, qui humanas hostias excogitaverunt ipsi hostes humani generis, ut quam plurimas devorarent animas. De his Barbarorum Sacris *Lactantius* c. 21. lib. 1. Divin. Institutionum eleganter scribit: *De infantibus, qui Saturno immolabant propter odium Jovis, quid dicam, non irvenio. Tam barbaros, tam immanes fuisse homines, ut paricidium suum, id est, terrum, atque execrabilis humano generi facinus, sacrificium vocarent; cum teneras, atque innocentes animas, quæ maxime est etas parentibus dulcior, sine ullo respectu piatatis extinguerent, immanitatemque omnium bestiarum, quæ tamen factus suos amant, feritate superarent, O dementiam insanabilem! quid illis isti Dii amplius facere possent, si essent iratissimi, quam faciunt propitiis? cum suos cultores paricidium inquinant, orbitibus nuclant, humanis sensibus spoliant?* Quid potest esse his hominibus sancti? aut quid in prophanis locis facient, qui inter aras Deorum suorum sceleris committunt? *Pescennius Festus in Libris Historiarum per satyram refert, Carthaginenses Saturno humanas hostias solitos immolare, & cum vix essent ab Agathocle, Rege Siculorum, iratum sibi Deum putavisse. itaque ut diligentius piaculum solverent, ducentos nobilium filios immolasse: Tantum Religio potuit suadere malorum: Que peperit sepe sceleris atque impia facta, &c.*

D. Ex his, quæ hactenus retulisti, præclaris Abra-

*Abrahāni gestis facile intelligo, hunc Patriarcham extinxi illa fide & obedientia, qua Deo vocanti abjecta omni cunctatione obtemperavit, cognatiōnem suam ulti ac generose deseruit, Deum, Cœlum, & æternitatem omnibus præposuit, perfectōrum sese exhibuisse exemplar, Patrem creditum, hominem ante Christi tempora Christianum omnibus suis numeris absolutum; ante Evangelia Virum Evangelicum, ante Apostolos Apostolicum. Quo fit, ut nullatenus dubitem de æterna Abrahāni salute. Sed utrum Christianorum Ecclesia aliquam præfixerit diem, quæ sit huic Patriarcha sacra, seu in qua Christiani cultum ei exhibeant? & utrum *Lothus*, Abrahāni nepos, quem, ebrietate oppressum, incesto concubitus cum duabus suis filiabus se fœdasse antea observasti, æternam salutem sit consecutus? plane, ut candide facias ignoro.*

M. Quamvis Catholica seu Romana Ecclesia non soleat indicere dies festos in honorem Sanctorum Patriarcharum Veteris Testamenti, *Abrahānum* tamen ad diem ix. mensis Decembri adscriptum esse Fastis Sanctorum fidem faciunt, non solum multa Martyrologia Ecclesiæ Latine, verum etiam Menza, seu Menologia, & Synaxaria Ecclesiæ Græcæ, sicut ostendit *Hadrianus Bailletus* in quarto Tomo *De Vitis Sanctorum*, in quo *Abrahāni*, aliorumque Veteris Testamenti Patriarcharum Vitas accurate describitur. Profert etiam idem Scriptor nonnulla Martyrologia, & Menologia Græcorum, in quibus *Lothus*, nepos Abrahāni ad diem x. ejusdem mensis Decembri Sanctorum numero accenetur. Quo fit, ut de *Lothi* salute dubitandi nulla sit ratio. Peccavit quidem *Lothus*, dum sese vino ingurgitavit, dum duas filias, vino oppressus, incesto concubitu constupravit, dum denique easdem duas filias suas Sodomites, Cynædico furore banchantibus, obtulit ad stuprum, dicens: *Habeo duas filias, quæ necedum cognoverunt virum, educam eas ad vos, & abutimini eis, sicut vobis placuerit, dummodo viris istis ( seu Angelis, quos hospitio suscepereat *Lothus*, quoque Sodomita, rati esse adolescentes, illos ad præpostoram explendam libidinem postulabant ) nihil mali faciat. In his peccatis *Lothum* non inficias eo ( quamvis non defint Scriptores, qui non tantum *Lothum*, sed ejus duas filias vindicent & liberent ab omni culpa ) hec tamen peccata fuisse sincera pœnitentia a *Lotho* expiata, & a Deo condonata, eo facilius adducor, ut credam, quod S. Petrus cap. 2. vers. 6. & 7. Epistole sua secunda *Lothum* appellat hominem justum his verbis: *Et Civitates Sodomorum, & Gomorrheorum in cinerem redigens ( Deus ) aversione damnavit, exemplum eorum, qui impie acturi sunt, poneas: & justum Loth op̄ressum a nefandorum injuria ac luxuriosa conversatione eripuit. Sed de rebus gestis Patriarcharum secundæ Mundi Ætatis haecenus satis dictum sit.**

D. Cum nihil aliud de rebus gestis Patriarcharum secundæ Mundi Ætatis tibi dicendum suppetat, scire a te vehementer cupio, quisnam fuerit ille *Zoroaster*, quem *Artium Magicarum* inventorem extitisse, & in secunda Mundi Ætate *Abraham* supparem vivisse nuperrime audivi?

M. De *Zoroastre*, quem Persæ tanquam suum Legumlatorem, Doctrinæ & Religionis suæ Reformatorem, morumque Censorem venerantur, multiplex est virorum eruditorum sententia. Quidam sententia, hunc *Zoroastrem* fuisse *Chamum*, filium Noemi. Quidam asserunt, eum fuisse *Chami* filium, seu *Mithram*. Alii *Japhetum*. Alii *Chusum*. Alii *Ashrem*. Alii *Nembrodum*. Sed, ut cordate fatear, haec sententia frigidis ac levissimis iuntur conjecturis. Sunt qui putant, *Zoroastrem* fuisse illum Bactrianorum Regem, qui cum *Nino*, *Affyriorum* Rege, bellum gessit. Sed hæc sententia aliis præcedentibus nihil plausibilior est, quia illum Bactrianorum Regem, qui cum *Nino* parum prospere conflixit, non *Zoroastrem*, sed *Oxiarum* appellat *Diodorus* post *Ctesianum*, qui Persarum Historiam literis mandavit. Illustrissimus *Daniel Huetius* in libro, quem edidit, *De Demonstratione Evangelica*, cap. v. *Propositione IV.* probat *Zoroastrem* non alium fuisse, quam *Moysem*, *Iudeorum* Legumlatorem. Verum, quamvis certum sit, *Zoroastrem*, Persarum Doctrinæ & Religionis Reformatorem, fuisse Pentateuchi *Moyss* studiosissimum, & ex eo multa hausisse, quæ ad reformationem Religionis Persarum necessaria esse judicavit, illum tamen *Moise* *Iudeorum* Legumlatore, longe posteriorem esse, eumque vixisse circa tempora *Artaxerxis Longimanus*, Persarum Regis, longe probabilius esse arbitror. Quod quidem ut clarius intelligas, observe debes cum Viro Clarissimo *Humphrydo Pradeaux* in *Historia*, quam Anglice scripta, *Judeorum*, quæque recens in Lingua Gallicam versa est, extitisse in Perside Religionem Magorum Persarum, quam præ ceteris Persarum Regibus, accerime defendit ac propagavit *Smerdes*, dictus *Magus*, Persarum Rex. Hujus Religionis in Perside Assoctores, ut videre est apud *Diogenem Laertium* in Proemio ad *Vitas Philosophorum*, duos configebant Deos, alterum *bonum*, a quo omnia bona proficiuntur; alterum *mali*, a quo omnia mala prodirent. Quorum deliria sectati sunt postea *Cerdo*, *Marcion*, *Manichei*, aliique Hæretici. *Zoroaster* itaque, qui Natione & Religione erat *Judeus*, ut nomen saum apud illos Magos Persas celebre redderet, illorum palmarem in Religione errorem correxit, cunque esset in Libris *Mofaicis*, & in Religione Judaica versatissimus, unum dumtaxat docuit esse admittendum Deum, a quo, tanquam a causa effectrice, eaque potentissima, producuntur omnia bona quæ sunt in mundo, mala vero permittuntur tantum. Cetera autem, quæ in Religione Magorum Persarum spectabant ritum Sacrificiorum, ita *Zoroaster* immutavit, & ad normam Legum *Mofaicarum* reduxit, ut, qui legit libros *Zoroastris*, ipsosque confert cum libris *Moyss*, facile sibi persuadeat, *Zoroastrem* non alium fuisse, quam *Moysem*, sicut sibi persuasit Illustrissimus *Daniel Huetius*, non animadvertis, *Zoroastrem*, Natione & Religione *Judeum*, ad repurgandam & reformatam Magorum Persarum Religionem bene multa hausisse de industria ex Libris *Mofaicis*, indequa-

enatam esse maximam illam affinitatem, quam Leges a Zoroaster ad restaurandam Magorum Persarum Religionem sancitæ habent cum Legibus, quas Moyses, Judæorum Legislator, auctoritate Dei munitus, condidit, & quibus constat Judaica Religio. Hoc pacto Zoroaster, Natione & Religione Judæus, Magorum Persarum Religionem, a se reformatam, illustravit, ac latissime diffudit, exinde dictus, *Artium Magicarum Inventor*, non quod malas Artes Magicas invenerit (sicut falso opinati sunt nonnulli, quos merito redarguit Illustrissimus Daniel Huetius, loco mox a me laudato) sed quod Religionis Magorum Persarum fuerit influstrator, reformator, ac promotor. Hunc Zoroastrem postea, hoc est, septimo Ecclesiæ seculo, accumulatus est Mahometes, nefandissimus post homines natos impostor, & ex ejus Scriptis, Doctrina, & Religione quam plurima excerptis, & convalavit in hunc pestilentem, quem male consarcinavit, Librum, dictum *Alcoranum*, ex quo impian a se conflatam Religionem populis ad libidinum monstra propensis, seque in cano obscenarum deliciarum carnis voluntatis facile propinavit, & in variis Orbis partibus, ferro flammaque per immanem & a saeculis inauditam crudelitatem subactis, disseminavit, cum hoc tamen discrimine, quod Zoroaster, Religionis Magorum Persarum Reformato, vir fuerit, sicut referunt Historici, doctus, sagax, & Legis Mosaicæ callentissimus, utpote Natione & Religione Judæus; Mahometes vero extiterit in Lege Mosaica omnino peregrinus & hospes, immo in summa rerum omnium ignoratione versatus, totusque effræni libidini deditus.

D. Si Zoroaster, ad reformandam Magorum Persarum Religionem, bene multa, ut mox dixisti, ex Libris Mosaicis decerpit, non est dubium, quin falsa sit eorum sententia, qui Zoroastrem coævum Abrahamo faciunt, eumque fuisse Baetrianorum Regem, qui cum Nino, Assyriorum Rege, infelici Marte pugnavit, pertendunt; quo in errore, ut audivi, adhuc verlantur recentiores hujus etatis Persæ, qui Zoroastrem, tanquam Religionis sue Reformatorem, agnoscunt. Sed ostende, si placet, in quo sita sit illa affinitas, quam inveniri dicas Moysem, Judæorum Legislatorem, inter & Zoroastrem, Persarum Magorum Religionis Reformatorem, necnon inter Leges, quas condidit Moyses, & eas, quas tulit Zoroaster.

M. Errant sane hi, qui Zoroastrem supparem Abrahamo faciunt, sed turpius hallucinati sunt Eudoxus & Eriosteles, qui sex millibus annorum Platonem vetustiorem Zoroastrem finixerunt; a quorum errore non multum discedere videntur Hermodus, Platonicus, & Hermippus, qui annorum milibus quinque Trojanum Bellum præcessisse Zoroastrem fabulati sunt, & Plutarcho, ac Suidæ, idem sentientibus, præluxerunt; quos ideo jure optimo Plinius lib. 30. c. 1. egregie confutavit. Abrahamo itaque, immo & Moysæ, Judæorum Legislatore, posterior est Zoroaster, quem ex libris Mosaicis ad reformandam Magorum Persarum Religionem, quamplurimæ depropmissæ evinci potest his momentis. Primo, quia sicut Moyses veram

originis Mundi a Deo uno, rerum omnium opifice, conditi, Historiam contexit; ita Zoroaster unum Deum, rerum omnium conditorem, professus est; eum etiam creationis mysteria a Deo fuisse edoctum, affirmant Persæ, Mundi quoque tractasse principia perhibet Justinus lib. 1. c. 1. Præterea, in multis convenient Moysis & Zoroastris Leges. Nam alienas facultates concupisci vetat Moyses; vetat itidem Zoroaster. Legis, sibi a Deo traditæ, observationem Moyses sollicitate mandat Israelitis; studium pariter Legis suæ Discipulis suis commendat Zoroaster: Ciborum mundorum & immundorum discrimen statuit Moyses, atque horum usu, aliarumque rerum impurorum contactu interdixit; idem facit Zoroaster. Injuries condonari sanxit Moyses; idem præcipit Zoroaster. Ad Legem suam addi quidquam districte prohibet Moyses; idem inhibet Zoroaster. In Lege sua statuit Moyses, ut sit Pontifex Maximus, eique præscribit frequentem lavationum usum, & bonorum omnium Decimas tribuit; idem in sua Lege statuit Zoroaster. In Lege sua Moyses præcipit Israëlitæ, ut a carne suilla abstineant; Persæ, qui Legis Zoroastris sunt cultores, a carne suilla pari Religione abstinent. Moyses prohibuit Hebreis, ne Statuas haberent; Persæ, qui Zoroastris Legem observant, Statuas non habent. Postremo (ut cætera alia mittam, in quibus Zoroastris Leges plane convenient cum Legibus Moysis) certum est, Moysæ cap. 6. v. 12. & 13. Libri Levitici præcepisse Judæis, ut ignis semper arderet in Altari, his verbis: *Ignis autem in Altari semper ardebit, quem nutrit Sacerdos subiiciens ligna omnia per singulos dies, & imposito holocausto desuper adolebit adipes pacificorum. Ignis est iste perpetuus, qui nunquam deficit in Altari.* Ita similiter Zoroaster delatum ad se de Cælo ignem subjectis pabulis perpetuo & indesinenter sic ali & nutriti præcepit, ut præcipuum illud, & velut Legis suæ characteristicum Mandatum esse voluerit. Hinc vocabulum *Magus*, quod Zoroastris sequacibus tribuitur, apud Perlas & Arabes, pro cultore ignis, translatio usu sumi solet. Ex ea itaque affinitate, quæ intercedit Leges Moysis inter, & Leges Zoroastris, nullo negotio colligere potes, Zoroastrem in reformanda Magorum Persarum Religione Leges suas ex Libris Moysis mutuatum fuisse, subindeque Zoroastrem esse posteriorem Moysi. Si autem dicas, Zoroastrem vixisse longe ante tempora Moysis, adeoque non Zoroastrem suas ex Libris Moysis Leges sumpsisse, sed potius Moysæ Leges, quas dedit Hebreis, ex Zoroastris Libris depropmissæ; si, inquam, illud dicas, dupli momento te falli convincam. Primo, quia Moyses non proprio nomine, nec auctoritate sua conditas Leges imposuit Hebreis, sed Leges a nullo homine datas, & a solo Deo præscriptas, literis mandavit, earumque observationem, jubente Deo, Hebreis imperavit. Secundo, quia Moysæ esse omnium Legislatorem antiquissimum, & prius omnium Scriptorum, non solum Persarum, & Græcorum, sed & Assyriorum, ac Chaldaeorum, una est omnium Sanctorum Patrum cum Græcorum, tum Latinorum sententia, adeo ut

ut nulla ratione fieri potuerit, ut *Moyſes* ex aliquo antiquiori, vel Legislatore, vel Scriptore, Leges, quas scripto consignavit, emendicarit. Quod si iterum dicas cum *Goropio Becano*, & *Illumistrissimo Daniele Huetio*, ex ea affinitate, quæ est inter Leges *Moyſis*, & Leges *Zoroastris*, colligi debere, *Zoroastrem* esse hominem suppositum, qui nunquam extitit in rerum natura, eumque non alium esse, quam *Moyſem*, Judæorum Legislatorem, quem *Zoroastris* nomine donarunt Persæ; hoc, inquam, si illud regeras, opponam tibi consensum omnium Scriptorum, qui *Zoroastrem* vera extitisse, eumque a *Moyſe*, Judæorum Legislatore, plane diversum fuisse, disertissime tradunt. Immo, sunt quidam Scriptores, qui, sicut superiorius observavimus, asseverant, duos reapse extitisse *Zoroastres*, unum videlicet, qui vixit circa *Abrahami* tempora, quemque dicunt fuisse illum *Bachrianorum Regem*, qui parum feliciter cum *Nino*, Assyriorum Rege, bellavit; aliud vero *Zoroastrem* floruisse dicunt circa tempora Regum Persarum, eumque primo *Zoroastre*, *Bachrianorum Rege*, multo posteriorem fuisse. Verum, illorum Scriptorum sententiam, duos *Zoroastres* distinguendum, sat superque, opinor, jam confutavi, & ostendit, unum dumtaxat extitisse *Zoroastrem*, Natione & Religione Judæum, qui tempore *Artaxerxes Longimani*, Persarum Regis, ad reformatam Magorum Persarum Religionem Leges edidit ad normam Legum, quas *Moyſes* dedit Judæis, & quarum *Zoroaster* erat scientissimus. Sed de *Zoroastre* plusquam satis.

(a) Non duos tantummodo, sed plures etiam usque ad sex *Zoroastres* aliqui distinguunt, quos enumerat Buddeus in hist. vet. Testam. period. 1. sect. 3. & illi adhaeret Martinus del Rio disquisit. magis. lib. 1. cap. 3. Quæ tota eorum distinctio ex eo provenit, quod authores Græci de philosopho hoc scribentes multa simul conjungunt tempore & circumstantiis ita inter se discreta, ut uni eidem homini convenire minime possint; sed Græcis authoribus de rebus Orientalibus, quorum erant valde rudes, scribentibus nulla fides praestari potest. Thomas Hyde Scriptor Anglicus in Orientalium libris, quorum lingua peritus erat, versatissimus, testatur nonnisi de unico *Zoroastre* mentionem fieri in eisdem libris; ex quibus etiam docemur Philosophum hunc reformatam suscepisse veterum Persarum Theologiam, vixisse tempore Darii Hystaspis Regis Persarum, & huic tribuenda esse oracula illa sèpius vulgata. Fato tamen dubios adhuc harere viros doctos, num eadem oracula saltē omnia sincerum ejusdem *Zoroastris* opus habenda sint. Eadem primo quidem prodierunt numero sexaginta, cum scholiis Gemistii Plethonis, & Michaelis Pselli. Eadem ex Platonicorum libris amplificata usque ad tercetam edidit Franciscus Patricius. Eorum titulus est *Lend-Væsta*. Num idem sit opus cum sacra collectione Persarum Eusebio nota prepar. Evang. lib. 1. ambigit Fabri cius Biblioth. Græc. l. 1. cap. xxxvi. Quis autem vir fuerit Philosophus iste repetas ex Tho-

ma Hyde; ille enim consultis Persarum libris opinatur fervilem operam præstitisse in juventute Prophetæ cuidam Israelitico, & forte Esdræ. Ita a Muhammed Mustapha, qui vitam Darii Hystaspis Arabice dedit, memorie prodidit, tum est.

D. Superest nunc, ut sub finem hujusce nostri colloquii tantisper differamus de accurata in putandis annis Patriarcharum secundæ Mundi Ætatis Chronologia. Audivi quippe, Codices Hebræos, Græcos, & Samaritanos, non solum variare in subducendis annis Patriarcharum primæ Mundi Ætatis, sicut jam ostendisti ad calcem tertii Colloquii in Historiam primæ Mundi Ætatis, sed etiam prædictos Codices Hebræos, Græcos, & Samaritanos, in numerandis annis Patriarcharum secunda Mundi Ætatis diversos ponere calculos, adeo ut propter illam Codicum discrepantiam, Scriptores in contrarias abeant sententias, & in numerandis annis Patriarcharum secundæ Mundi Ætatis varient linguis & sententiis.

M. Propter hanc Codicum Hebræorum, Græcorum, & Samaritanorum, in putandis annis Patriarcharum, five antediluvianorum, five postdiluvianorum, discrepantiam, variantes cum veterum, tum recentiorum Scriptorum circumferri ac volitare sententias, tam certum est, quam quod maxime. Eas omnes si in præsentia commemore vellem, incertior esses, quam eras prius. Faciam igitur, quod & me dignius, & utilius tib[ea]re judico. In primis, exponam, in quo siti sit ista Codicum Hebræorum, Græcorum, & Samaritanorum in percensendis annis Patriarcharum secundæ Mundi Ætatis discrepantia? Dein, paucis indicabo, quo nam ex hisce Codicibus in numerandis annis Patriarcharum secundæ Mundi Ætatis potissimum sequi debeas, ne a vera, magisque probata Patriarcharum postdiluvianorum Chronologia deflectas. Ut autem facilius comprehendat ac exploratam habere possis hanc discrepantiam, quæ in suppeditandis annis Patriarcharum secundæ Mundi Ætatis invenitur; ponam primo loco calculum annorum Patriarcharum secundæ Mundi Ætatis juxta Codices Hebræos. Subijcam secundo loco epilogismum, seu calculum annorum Patriarcharum secundæ Mundi Ætatis, juxta Codices Græcos. Tertio denique loco inseram calculum Patriarcharum secundæ Mundi Ætatis juxta Codices Samaritanos.

### CALCULUS ANNORUM

Patriarcharum secunde Mundi  
Ætatis, juxta Codices  
Hebreos.

**S**EMUS, filius Patriarchæ Noemi, natus est anno Mundi millesimo quingentesimo quinquagesimo octavo, genuit *Arphaxad* anno ætatis sua centesimo, seu anno Mundi millesimo sexcentesimo quinquagesimo octavo, hoc est biennio post Diluvium. Vixit, postquam genuisset *Arphaxad*, quingentis annis. Vixit in universum annis sexcentis, & mortuus est anno Mun-

Mundi bis millesimo centesimo quinquagesimo octavo.

*Arphaxad* natus est anno Mundi millesimo sexcentesimo quinquagesimo octavo, seu biennio post Diluvium. Genuit *Salem* annos natus trigesima quinque. Vixit postquam genuisset, annos quadragesimos tres. Vixit in universum annos quadragesimos trigesima octo, & mortuus est anno Mundi bis millesimo nonagesimo sexto. Verum, observare debes, *Arphaxad* non immediate genuisse *Salem*, sed anno etatis sua decimo octavo genuisse *Cainanem*, & postea *Cainanem* anno etatis sua decimo septimo genuisse *Salem*. Quo fit, ut, juxta *Textum Hebreum*, vere dici possit, *Arphaxad* anno etatis sua trigesimo quinto genuisse *Salem*, non quidem immediate, sed medie tantum, id est, mediante filio suo *Cainane*, qui fuit pater *Sale*, sicut copiosius ostendimus in Colloquio secundo in Historiam secundam Mundi Etatis.

*Sale*, natus est anno Mundi millesimo sexcentesimo nonagesimo tertio. Genuit *Heberem* anno etatis sua trigesimo. Vixit, postquam genuisset, annos quadragesimos tres. Vixit in universum annos quadragesimos trigesima tres. Mortuus est anno Mundi bis millesimo centesimo vigesimo sexto.

*Heber*, natus est anno Mundi millesimo septingentesimo vigesimo tertio. Genuit *Phaleg* anno etatis sua trigesimo quarto. Vixit, postquam genuisset, annos quadragesimos trigesima. Vixit in universum annos quadragesimos sexaginta quatuor. Mortuus est anno Mundi bis millesimo, centesimo, octuagesimo septimo.

*Phaleg*, natus est anno Mundi millesimo septingentesimo quinquagesimo septimo. Genuit *Rebu* anno etatis sua trigesimo. Vixit, postquam genuisset, annos ducentos & novem. Vixit in universum annos ducentos trigesima novem. Mortuus est anno Mundi millesimo nonagesimo sexto.

*Rebu*, natus est anno Mundi millesimo septingentesimo octuagesimo septimo. Genuit *Sarug* anno etatis sua trigesimo secundo. Vixit, postquam genuisset, annos ducentos septem. Vixit in universum annos ducentos trigesima novem. Mortuus est anno Mundi bis millesimo vigesimo sexto.

*Sarug*, natus est anno Mundi millesimo octingentesimo decimo nono. Genuit *Nachorem* anno etatis sua trigesimo. Vixit, postquam genuisset, annos ducentos. Vixit in universum annos ducentos trigesima. Mortuus est anno Mundi bis millesimo quadragesimo nono.

*Nachor*, natus est anno Mundi millesimo octingentesimo quadragesimo nono. Genuit *Tharem* anno etatis sua vigesimo nono. Vixit, postquam genuisset, centum & novemdecim annos. Vixit in universum centum & quadragesima octo annos. Mortuus est anno Mundi millesimo nonagesimo nono.

*Thare*, natus est anno Mundi millesimo octingentesimo septuagesimo octavo, genuit *Abra-*

*hamum* anno etatis sua centesimo trigesimo. Vixit, postquam genuit annos septuaginta quinque. Vixit in universum annos ducentos quinque. Mortuus est anno Mundi bis millesimo octuagesimo tercio.

*Abrahamus*, natus est anno Mundi bis millesimo octavo, & vocatus est a *Dæo*, ut iret in terram Chanaan, anno etatis sua septuagesimo quinto, hoc est, anno Mundi bis millesimo octuagesimo tertio. Ex quo annorum Patriarcharum postdiluvianorum calculo, ad *Textus Hebrei Chronologiam* exacto, emergit summa annorum a creatione Mundi usque ad vocationem *Abrahani*, duorum millium & octoginta trium. A Diluvio autem Noetico usque ad vocationem *Abrahani*, exsurgit summa annorum quadragesitorum & virginum septem.

### CALCULUS PATRIARCHARUM

Secunda Mundi Etatis, juxta Codices Graecos, id est, juxta lxx. Interpretum Chronologiam, qualis exhibetur in Basiliensi, & Wecheliana Editione.

*SEMUS* natus est anno Mundi bis millesimo centesimo sexagesimo quinto. Genuit *Arphaxad* annos natus centum. Vixit, postquam genuit, annos trecentos trigesima quinque. Vixit in universum quadragesimos trigesima quinque. Mortuus est anno Mundi bis millesimo sexcentesimo. Observandum tamen est, quodam esse Codices Graecos, in quibus legitur, Diluvium contigisse anno Mundi bis millesimo ducentesimo quadragesimo secundo, & secundum horumce Graecorum Codicum calculos dicendum est, *Semum* genuisse *Arphaxad* anno Mundi in eunte bis millesimo ducentesimo quadragesimo quinto, hoc est biennio exploro post diluvium. Verum ipse annorum Patriarcharum secunda Mundi Etatis calculos hic apponam juxta illos Codices Graecos, qui diluvium universale prafigunt ad annum Mundi bis millesimum ducentesimum sexagesimum secundum, ex quo sequitur, *Semum* genuisse *Arphaxad* anno Mundi bis millesimo ducentesimo sexagesimo quinto, id est, biennio jam elapo a Noetico Diluvio.

*Arphaxad*, natus est anno Mundi bis millesimo ducentesimo, sexagesimo quinto. Genuit *Cainanem* anno etatis sua centesimo trigesimo quinto. Vixit, postquam genuit, annos trecentos & trigesima. Vixit in universum quadragesimos sexaginta quinque. Mortuus est anno Mundi bis millesimo septingentesimo trigesimo.

*Cainan*, natus est anno Mundi bis millesimo quadragesimo. Genuit *Salem* anno etatis sua centesimo trigesimo. Vixit, postquam genuit, annos trecentos trigesima. Vixit in universum quadragesimos sexaginta annos. Mortuus est anno Mundi bis millesimo octingentesimo sexagesimo.

*Sale*, natus est anno mundi bis millesimo quingentesimo trigesimo. Genuit *Heberem* an-

ño ætatis suæ centesimo trigesimo. Vixit, postquam genuit, annos trecentos triginta. Vixit in universum annos quadringtones sexaginta. Mortuus est anno Mundi bis millesimo nongentesimo.

*Heber*, natus est anno Mundi bis millesimo sexcentesimo sexagesimo. Genuit *Phaleg* anno ætatis suæ centesimo trigesimo quarto. Vixit, postquam genuit, annos trecentos septuaginta. Vixit in universum annos quingentos & quatuor. Mortuus est anno Mundi ter millesimo centesimo sexagesimo quarto.

*Phaleg*, natus est anno Mundi bis millesimo septingentesimo nonagesimo quarto. Genuit *Rebu* anno ætatis suæ centesimo trigesimo. Vixit, postquam genuit, ducentos & novem annos. Vixit in universum annos trecentos triginta novem. Mortuus est anno Mundi ter millesimo centesimo trigesimo tertio.

*Rebu*, natus est anno Mundi bis millesimo nongentesimo vigesimo quarto. Genuit *Sarug* anno ætatis suæ centesimo trigesimo secundo. Vixit, postquam genuit annos ducentos & septem. Vixit in universum annos trecentos triginta novem: Mortuus est ter millesimo ducentesimo sexagesimo sexto.

*Sarug*, natus est anno Mundi ter millesimo quinquagesimo sexto. Genuit *Nachorem* anno ætatis suæ centesimo trigesimo. Vixit, postquam genuit, annos ducentos. Vixit in universum trecentos triginta annos. Mortuus est anno Mundi ter millesimo ducentesimo octogesimo sexto.

*Nachor*, natus est anno Mundi ter millesimo centesimo septuagesimo sexto. Genuit *Thare* anno ætatis suæ centesimo septuagesimo nono. Vixit, postquam genuit, annos centum viginti novem. Vixit in universum annos trecentos & octo. Mortuus est anno Mundi ter millesimo trecentesimo nonagesimo quarto.

*Thare*, natus est anno Mundi ter millesimo trecentesimo sexagesimo quinto. Genuit *Abrahamum* anno ætatis suæ septuagesimo. Vixit, postquam genuit, annos centum triginta quinque. Vixit in universum annos ducentos quinque. Mortuus est anno Mundi ter millesimo quingentesimo septuagesimo.

*Abrahamus*, natus est anno Mundi ter millesimo quadringtonesimo trigesimo quinto, & vocatus est a Deo, ut e Chaldaea iret in terram Chanaan, anno ætatis suæ septuagesimo quinto, hoc est, anno Mundi ter millesimo quingentesimo decimo.

Ex hac supputatione annorum, qui juxta Codices Græcos, effluxerunt a Diluvio Noetico, quod contigit biennio ante nativitatem *Arphaxad*, usque ad vocationem *Abrahami*, coalescit summa annorum mille ducentorum quinquaginta; Cum tamen juxta Codices Hebraeos, sicut paulo ante observavimus, a diluvio usque ad Vocationem *Abrahami* numerentur duntaxat anni quadringtoni viginti septem.

## CALCULUS PATRIARCHARUM

Secunda Mundi ætatis, juxta Codicem Samaritanum, ex Eusebii Chronico.

*SEMU*S, filius Noemi, natus est anno Mundi millesimo ducentesimo nono. Genuit *Arphaxad* annos natus centum. Vixit, postquam genuit, annos quingentos. Vixit in universum annos sexcentos. Mortuus est anno Mundi millesimo octingentesimo nono.

*Arphaxad*, natus est anno Mundi millesimo trecentesimo nono (hoc est biennio post Diluvium, quod juxta Samaritanum Codicem, accidit anno Mundi millesimo trecentesimo septimo, (Quem annorum numerum in Patriarchis prima Mundi ætatis contractiorem esse convenit inter omnes sacrae Chronologiae peritos) *Arphaxad* anno ætatis suæ centesimo trigesimo genuit *Salem*. Vivit, postquam genuisset, annos trecentos tres. Vixit in universum annos quadringtones triginta tres. Mortuus est anno Mundi millesimo septingentesimo quadragesimo secundo.

*Sale*, natus est anno Mundi millesimo quadringtonesimo trigesimo nono. Genuit *Heberem* anno ætatis suæ centesimo trigesimo. Vixit, postquam genuit, annos trecentos tres. Vixit in universum annos quadringtones triginta tres. Mortuus est anno Mundi millesimo octingentesimo septuagesimo secundo.

*Heber*, natus est anno Mundi millesimo quingentesimo sexagesimo nono. Genuit *Phaleg* anno ætatis suæ centesimo trigesimo quarto. Vixit, postquam genuit, annos ducentos septuaginta. Vixit in universum quadringtones quatuor annos. Mortuus est anno Mundi millesimo nongentesimo septuagesimo tertio.

*Phaleg*, natus est anno Mundi millesimo septingentesimo tertio. Genuit *Rebu* anno ætatis suæ centesimo trigesimo. Vixit, postquam genuit, annos centum novem. Vixit in universum annos ducentos triginta novem. Mortuus est anno Mundi millesimo nongentesimo quadragesimo secundo.

*Rebu*, natus est anno Mundi millesimo octingentesimo trigesimo tertio. Genuit *Sarug* anno ætatis suæ centesimo trigesimo secundo. Vixit, postquam genuit, annos ducentos septem. Vixit in universum annos trecentos triginta novem, & mortuus est anno Mundi bis millesimo centesimo septuagesimo secundo.

*Sarug*, natus est anno Mundi millesimo nongentesimo sexagesimo quinto. Genuit *Nachorem* anno ætatis suæ septuagesimo nono. Vixit, postquam genuit, annos centum. Vixit in universum annos ducentos triginta. Mortuus est anno Mundi bis millesimo centesimo nonagesimo quinto.

*Nachor*, natus est anno Mundi bis millesimo nonagesimo quinto. Genuit *Tharem* anno ætatis suæ septuagesimo nono. Vixit, postquam genuit, annos sexaginta novem. Vixit in universum annos centum quadragesima & octo. Mortuus est anno

no Mundi bis millesimo ducentesimo quadragesimo tertio.

*Thare*, natus est anno Mundi bis millesimo centesimo septuagesimo quarto. Genuit *Abrahamum* anno ætatis suæ septuagesimo. Vixit, postquam genuit, annos septuaginta quinque. Vixit in universum annos centum quadraginta quinque. Mortuus est anno Mundi bis millesimo trecentesimo & decimo nono.

*Abrahamus* natus est anno Mundi bis millesimo ducentesimo quadragesimo quarto. Vocatus est a Deo, ut e Chaldaea veniret in terram Chanaan anno ætatis suæ septuagesimo quinto, hoc est, anno, Mundi bis millesimo trecentesimo decimo nono.

Ex hac supputatione annorum Patriarcharum secundæ Mundi ætatis, juxta Codicem Samaritanum, perspicuum est, a Diluvio Noetico, quod biennio integro præcessit nativitatem *Arphaxad*, effluxisse usque ad vocationem *Abrahami* mille & duodecim annos.

D. His certe diversis calculis memoriam meam onerare nolo. Sed sufficit mihi, ut in genere sciam, discrepantium illam, quæ in numerandis annis Patriarcharum ante & post Diluvium reperitur inter Codices Hebraeos, Græcos, & Samaritanos, ad isthac duo potissimum capita revocari. Et primo quidem, juxta Codices Hebraeos a creatione Mundi usque ad Diluvium universale numerantur anni mille sexcenti quinquaginta sex. Juxta vero Codices Græcos a creatione Mundi usque ad Diluvium universale percensentur anni bis mille ducenti sexaginta duo anni. Juxta autem Codices Samaritanos a creatione Mundi usque ad generale Diluvium numerantur duumtaxat anni mille trecenti septem. Præterea, a generali Diluvio usque ad vocationem *Abrahami* interfluxerunt juxta Codices Hebraeos, anni quadringenti viginti septem. Juxta autem Codices Græcos, anni mille ducenti quinquaginta. Denique, juxta Codices Samaritanos, mille & duodecim anni. Quo fit, ut a creatione Mundi usque ad vocationem *Abrahami* putari debeant, Juxta Codices Hebraeos, anni 2083. Juxta Codices Græcos, anni 3510. Postremo, juxta Codices Samaritanos, anni 2319. Hæc duo Chronologica capita, quæ annos Patriarcharum primæ & secundæ Mundi ætatis spestant, & in quibus sita est tota discrepantia, quæ invenitur inter Codices Hebraeos, Græcos, & Samaritanos, mihi in præsentia scire abunde sufficit. Sed dicas, rogo te, quosnam ex his Codicibus, Hebraeos, Græcis, & Samaritanis, calculos in putandis annis Patriarcharum primæ & secundæ Mundi ætatis seferunt Ecclesia Romana, cuius Doctrinam sequi, & auctoritatibz obtenerare, summo semper honoris & religionis loco ducam?


M. Codices Hebraeos, in putandis annis Patriarcharum primæ & secundæ ætatis, præferendos esse Codicibus Græcis, seu Chronologiaz lxx, Interpretum, & Codicibus Samaritanis, jam, ut bene memini, comonstravimus sub finem Colloquii tertii in Historiam primæ Mundi ætatis. His autem, quæ ad id evincendum ibidem adduximus,

momentis pauca hic adjiciam, quibus palam fiet, Ecclesiam Romanam, seu Catholicam, in numerandis annis Patriarcharum primæ & secundæ ætatis, præponere Chronologiam Textus Hebrei Codicibus Græcis, seu Chronologia Versionis lxx. Interpretum, necnon Codicibus Samaritanis. Et primo quidem certum est, Ecclesiam Romanam in quinque primis a Christo nato sæculis seculata fuisse Latinam Scripturæ sacræ Versionem, dictam *Italam*, in qua anni Patriarcharum primæ & secundæ Mundi ætatis putabantur juxta Chronologiam Versionis lxx. Interpretum; at in sexto sæculo hanc Scripturæ Sacræ Versionem, dictam *Italam*, fuisse ab Ecclesia Romana repudiata, & in ejus locum suscepit esse Latinam Scripturæ Sacra Editionem, quam *Vulgatam* appellamus, a S. Hieronymo concinnatam, in qua annorum Patriarcharum primæ & secundæ ætatis calculi cum Chronologia Textus Hebrei optime coherent, & quam longissime recedunt ab Epilogismo Codicum cum Græcorum, tum Samaritanorum. Hanc autem Latinam Scripturæ Sacræ Versionem, dictam *Vulgatam*, quæ ab Ecclæsumenico Concilio Tridentino *Authentica* declarata est, Ecclesia Romana etiam studiose retinet, & ab ea neminem ne transversum quidem digitum discedere debere editit, quod sane argumento est, Ecclesiam Romanam, in numerandis annis Patriarcharum primæ & secundæ ætatis, approbare Chronologiam sacri Textus Hebrei, non vero calculos Codicum Græcorum, seu lxx. Interpretum, nec etiam calculos Codicum Samaritanorum. Hanc esse veram Ecclesiæ Romanæ mentem declararunt sacra Congregations super hac re, jubentibus Romanis Pontificibus habitæ Romæ. At enim, sacra *Indicis* Congregatio, dum censorio stigmatis confixit tertium sancti Juliani, Archiepiscopi Toletani, Librum, in quo prædictus Archiepiscopus, in numerandis annis Patriarcharum primæ & secundæ Mundi ætatis, mordicus adhaeret Chronologiaz lxx. Interpretum; hæc, inquam, sacra *Indicis* Congregatio declarat, certum & omnibus exploratum esse debere, Ecclesiam Catholicam in Editione Vulgata approbare annorum rationem, quæ est in Codicibus Hebraeos. Hæc sacra Cardinalium Congregationis censoria nota legitur ( teste nostro *Malventina lib. 2. de Antichristo c. 8.* ) in margine Operis S. Juliani in Editione posteriori *Bibliotheca Patrum*. Eadem etiam sacra Congregatio, damnando Annotationes, quas *Anthonius Countius*, Doctor Bituricensis, in Chronologiam *Nicephori*, Patriarchæ Constantinopolitanæ, edidit, hunc Auctorem ideo censura perfrinxit, quod dum nimis studio Chronologiam lxx. Interpretum propugnabat, non videbat, se incaute hebraici fontis, & Editionis Vulgatae Chronologiam labefactare, & sanctos Patres corruptelam Chronologiaz lxx. Interpretum ultro profiteri. Hæc censoria istius sacrae Congregationis Nota Tomo septimo *Bibliotheca Patrum*, Editionis Parisiensis, anni MDLXXXV. in Chronologia *Nicephori* affixa est. Præterea, sacra Bibliorum Congregatio, sub Gregorio XV. Pontifice Maximo, habita, & cuius Acta manuscripta Roma in Bibliotheca Angelica Patrum Augustinianorum asservantur

tur sanxit ut in emendandis & castigandis Sacris Bibliis, quotiescumque Codices Græcos inter & Hebraeos aliqua occurrit dissonantia, Codices Hebræi semper anteponantur Græcis, juxta Regulam, quam c. 13. lib. 15. *De Civit. Dei* suppeditat *S. Angustinus*. Ex his iraque momentis nullo negotio colligere potes, Ecclesiam Romanam in numerandis annis Patriarcharum primæ & secundæ Ætatis, Chronologiam Textus Hebræi præferre Chronologiæ Codicum Græcorum, seu lxx. Interpretum, & calculo Codicum Samaritanorum, quia, ut inquit Sacra *Indicis Congregatio*, Ecclesia Catholica approbat in Editione Vulgata calulum annorum Patriarcharum primæ & secundæ Ætatis, qui cum sacri Textus Hebræi Chrono-

logia apprime cohæret, & a calculo cum Græcorum, tum Samaritanorum longe lateque discrepat, sicut in Codicibus Græcis agnoverunt sancti Patres, qui ideo corruptelam Chronologiæ lxx. Interpretum candide professi sunt. Sed tempus est ut vela contrahamus, & tam Colloquio nostro, quam Historiæ Sacrae in secundam Mundi Ætatem cor nondem imponamus postridie, si nos Deus, Optimus Maximus, sospites & incolumes servet, priuum Colloquium in Musæo nostro pomeridianis horis habituri in Historiam tertiaræ Mundi Ætatis, quæ auspiciatur a vocatione Patriarchæ Abrabami, & protenditur usque ad egressionem Israelitarum ex Ægypto.

*F I N I S T O M I P R I M I.*



AMERICAN MOTEL INN

FR. IGNATII HYACINTHI AMAT  
**DE GRAVESON**  
ORD. FF. PRÆDICATORUM  
SACRÆ FACULTATIS PARISIENSIS DOCTORIS,  
ET COLLEGII CASANATENSIS THEOLOGI,  
**OPERA OMNIA**

NUNC PRIMUM DILIGENTER COLLECTA, IN UNUM CORPUS  
REDACTA, ET LUCULENTISSIMIS ADDITIONIBUS,  
PERPETUISQUE ADNOTATIONIBUS ILLUSTRATA

A P A T R E

JOANNE DOMINICO MANSI

*Congregationis Matris Dei Lucensi.*

T O M U S   S E C U N D U S

C O M P L E C T E N S

Historiæ Ecclesiasticæ Veteris Testamenti Volumen Secundum.



V E N E T I S,

M D C C L X I.

Ex TYPOGRAPHIA REMONDINIANA.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

DE GRAESEN  
IGNATII HAYTINTIIAMA

## АИМОАЯЭО



# HISTORIA ECCLESIASTICA VETERIS TESTAMENTI, SEU TERTIAE MUNDI ÆTATIS,

*Quæ incipit a vocatione Abrahæ, & protenditur usque ad ingressum Populi Israelitici in Ægyptum.*

**H**ISTORIAM Ecclesiasticam Veteris Testamenti ab *Adamo*, primo omnium hominum parente, usque ad vocationem *Abrahæ*, hactenus, bene fortunante Deo, perduximus, ac tantam, sive tempore universalis Diluvii, sive post reparatum a tribus filiis *Noemi* genus humanum, aquis Diluvii pene extinctum, ostendimus fuisse malitiam hominum, in omnia stagitorum genera ruentium, ut inde proclive sit judicare, Deum his temporibus permisisse tot nefanda hominum sceleræ, ut palam fieret, quam necessaria esset Incarnatio Unigeniti Filii sui, quem, *ceu* Messiam, Mundique Liberatorem, missurum se promiserat *Adamo*, dum, post illius peccatum, statim serpenti, qui *Evan* seduxerat, imprecatus est his verbis: *Ipsa conteret caput tuum*, id est, *Messias*, qui ex *fæmina* nasciturus est, quemque præfixo tempore mittam, conteret caput tuum. At, ineunte tertia Mundi Ætate, quæ incipit a vocatione Patriarchæ *Abrahæ*,

& cuius historiam describere in præsentia aggredimur, voluit Deus hanc suam de mittendo Liberatore, seu Messia, promissionem, factam Adamo, evidentius declarare, gentemque sibi specialiter elegit, e qua verus Messias, Jesus Christus Dominus noster, carnem humanam induens, in lucem proditurus erat, & generi humano, primigenia protoparentis labe perduto, salutem allaturus. Nonnullos igitur homines, Deus, summa cuius bonitas prævalet hominum nequitiae, sub initium tertiae Mundi Ætatis, in tanta ubique inundantium malorum colluvie, puros & illibatos servavit sibi, & inter cæteros Abrahamum, ex familia *Semi*, filii *Noe-mi*, oriundum, elegit, ut esset pater credentium, & caput numerosæ gentis, quæ ex eo oritura erat, cuique Deus Leges, Ritus, Sacrificia, aliaque id genus præscribere debebat, quibus Jesus Christus Dominus noster, verus a Deo promissus Messias, dignitas ejus, opera, vita, doctrina, & mors prænunciarentur, atque sub variarum figurarum, typorum, atque signorum involucris significantur, ita ut hæc gens, a Deo electa, & cuius caput erat *Abrahamus*, dum eum speraret, & expectaret promissum a Deo Salvatorem, eadem spe & expectatione totum impleret Orbem, & huic excipiendo homines aliquando bene præparati essent, sicut eleganter differit *Eusebius*, Episcopus Cæsariensis, Lib. I. *Historiæ Ecclesiastice*, cap. 2. juxta Editionem Valesianam, sed præcipue in Proœmio Lib. VIII. *De Demonstratione Evangelica*. Hanc autem tertiae Mundi Ætatis Historiam tribus Colloquiis, ne a præscripta nobis methodo recedamus, absolvemus. In primo Colloquio attingemus, breviter tamen, singula, quæ attinent ad sacram tertiae Mundi Ætatis Historiam, inferemusque etiam compendiosam narrationem quarumdam rerum exoticarum, quæ, licet ad variarum Nationum prophanas Historias spectent, nihilosecius intelligentiæ Historiæ sacræ haud parum subservire, ei-que aliquid luminis affundere possunt. In altero Colloquio propone-  
mus dubia, quæ circa Historiam tertiae Mundi Ætatis, tam Theologî, quam Scripturæ Sacræ interpres movere solent, eaque di-  
luemus. In postremo Colloquio, præcipua Patriarcharum tertiae Mundi Ætatis gesta, & scripta, quæ vel Jesum Christum, ve-  
rum Messiam, adumbrarunt, vel venturum vaticinantur, perstrin-  
gemus, atque accuratiorem in putandis eorum annis Chronolo-  
giæ stabilire satagemus.

# C O L L O Q U I U M P R I M U M.

In quo attinguntur singula, quæ vel ad sacram tertia Mundi Ætatis Historiam pertinent,  
vel clariori ejus intelligentia inservire possunt.

DISCIP.



de in tertio nostro Colloquio in Historiam secundæ Mundi Ætatis retulisti, quas quidem ut agnoscas memorias meas adhuc infixas habere, eas nunc paucis verbis completestar. *Abrahamus* itaque Deus vocavit ex Ur Chaldaeorum, Gente Idololatra, ut enim constitueret caput Gentis, quam in populum fidem & peculiarem sibi selegaret. *Abrahamo* promisit Deus, nasciturum ex semine ejus Messiam, seque ei daturam Terram Chanaan, in quam *Abrahamus*, protinus Deo obtemperans, reliqua Charane & cognatione sua, venit cum *Sara*, uxore sua, & cum *Lotbo*, fratris sui filio. In hac Terra Chanaan, tanquam peregrinus, sub Tabernaculis habitavit *Abrahamus*, & ex ea, propter grassantem famem exire coactus, venit in Ægyptum, ubi *Sara*, uxorem, ut periclitanti vita suæ consuleret, vocavit sororem suam, quam in domum Regis sublatam, letus postea accepit. Ex Ægypto egressus *Abrahamus* cum uxore sua *Sara*, multis locupletatus divitius, sese in Terram Chanaan recepit. Sed cum hæc Regio multo peccori alendo hanc sufficeret, *Lotbus*, a patruo suo *Abrahamo* divulsus, sedes suas in urbe Sodoma fixit, qua direpta a rege *Cedorlachomor*, cum & ipse *Lotbus* in hac urbis Sodoma direptione fuisset abductus captivus, confestim *Abrahamus*, trecentis & octodecim armatis servis suis, *Lotbum* nepotem suum, urbisque hujus direptæ populum pristinam in libertatem vindicavit. Redeunti *Abrahamo* a cæde Regis *Cedorlachomor*, occurrit *Melchisedechus*, Sacerdos, qui ei benedixit. Urbem Sodomam, ob nefandissimam & præposteram suorum incolarum libidinem, igne caelesti consumpsit Deus, ex quo incendio solus *Lotbus* ab Angelo eruptus est cum uxore & utraque filia; at *Lotbi* uxor, cum post se, contra divinum mandatum, muliebri fortassis curiositate, respectasset, in statuam salis actutum versa est. *Abrahamus* ex *Agare*, ancilla sua, quam uxorem duxerat, filium suscepit *Ijmael*, quem, licet primogenitum, una cum *Agare*, matre, domo sua, iussu Dei, expulit *Abrahamus*, postquam *Sara*, altera ipsius conjux, jam in effeta ætate peperisset, juxta divinas promissiones, *Isaacum*, in quo benedicendæ erant omnes Gentes, quia ex *Isaaci* stirpe nasciturus erat Messias. Cum autem jam adolevisset *Isaacus*, volens Deus fidem

& obedientiam *Abrahomi* toto Orbe illustrem reddere, præcepit huic Patriarchæ, ut eum, quem in deliciis, & in oculis habebat, filium suum *Isaacum* suis manibus mactaret. Deo itaque imperanti, abjecta omni mora, *Abrahamus*, post homines natos obedientissimus, filium suum *Isaacum* immolandum obtulit; illum tamen non mactavit, quia Deus ipse, qui iussicerat mactandum, patris fidem explorans prohibuit per Angelum ne faceret. Hæ sunt in summa res ab *Abrahamo* præclare gestæ, quas in tertio Colloquio in Historiam secundæ Mundi Ætatis late exposuisti, quasque ipse compendiaria narratione hic perstrinxí, ut intelligas, eorum, quæ hæc tenus, in nostris Colloquiis de sacra Historia narrasti, notitiam adhuc memorias meas tenaciter inhærente. Sed age nunc, si placet, & percense cætera, quæ *Abrahamus*, post illud sacrificium, quo, parens divino precepto, filium suum *Isaacum* mactare voluit, gessit ulque ad suum obitum.

MAGISTER. Priusquam de aliis *Abrahomi* gestis ulque ad ipsius obitum sermonem instituamus, præstat, ut observes, sacrificium istud, quod Deus, ad explorandam fidem *Abrahomi*, iussit, ut sibi ab illo Patriarcha per mactationem filii *Isaci* offerretur, fuisse in Populo Dei insolitum, & apud Barbaros dumtaxat Populos, atque Ethnicos postea usurpatum, sicut memini me jam in precedentibus nostris Colloquiis observare. At, certum est, sacrificia vel ex animalibus, vel ex frugibus terræ, fuisse ab exordio Mundi Deo a Patriarchis oblata, ut liquido constat ex sacrificiis *Abelis*, & *Caini*, huncque morem ejusmodi sacrificia Deo offerendi non solum ad Patriarchas primæ & secundæ Ætatis fuisse propagatum; sed etiam ubique terrarum ad Christi Domini usque adventum obtinuisse. Ex quo facile intelligere potes, quam horrenda sit & plane prodigiosa quorundam prophanorum hominum, seu incredulorum, & Atheorum cæcitas, qui in iis sacrificiis semper Deo oblatis, sive in illo religioso cultu, qui ab omnibus hominibus ubique terrarum ab ipso Mundi exordio fuit omni ævo exhibitus Deo, pertinacia plusquam adamantina deterrant agnoscere invictum argumentum existentiarum Dei, cui Mundus iste originem suam debeat, & a quo administretur & regatur. Nam, ut obiter dicam, unde, quælo, tam confans, tamque omnium hominum animis alte insidens de Deo per sacrificia colendo ( si Deus nullus sit ) opinio atque sententia? Et unde etiam tanta paucis Atheis ( sicut ipsis videtur ) sapientia, ut id ipsi videant, quod, a nulla Gente, nullo Populo, deprehensum atque animadversum fuit, immo quod ab

omnibus tanquam impium & execrandum, constanter & universaliter fuit rejectum? Sed misericordia illis miseris Atheis, qui veritati de existentia Dei, qua in sacrificiis Deo ab exordio Mundii oblati radiis solaribus clarior appetet, perfidum pectus, mentemque pertinaciter occidunt; prosequamur nunc cetera Abramam praeclare gesta usque ad ipsius obitum. Sara, uxor Abramam, annos nata centum viginti septem, diem ultimum clausit in civitate Arbe, qua est Hebron in Terra Chanaæa, ad cuius sepulturam Abramam, postquam ei parentasset duplēm speluncam ab Ephrone Hebraeo, filio Seor, quadrigenitis scilicet emit, ibique sepulta fuit Sara, quæ, ut obiter dicam, typum gessit B. Maria Virginis. Sara quippe, admirabilis fide prædicta, peperit Isaacum, in quo Deus omnibus Gentibus benedicere debebat, juxta promissionem, quam Deus fecit Abramam, Genesis cap. 17. v. 15. & 16. ei dicens: Sarai, uxorem tuam, non vocabis Sarai, sed Sarah, & benedicam ei, & ex illa dabo tibi filium, cui benedicturus sum, eritque in Nationes, & Reges populorum orientur ex eo. Præterea, Sara passa est gravia incommoda ab Agare, ancilla sua, quam Abramam decennio postquam in Terra Chanaæa suum domicilium posuisset, uxorem duxit, quæque fuit mater Ismaelis? Quæ omnia perfecte prefigurarunt Beatam Mariam Virginem, quæ eximia fide donata, omnique gratiarum genere cumulata, Mater fuit simul & Virgo, atque Jesum Christum, verum Messiam a Deo promissum, & in Isaac, filio Sarah, adumbratum, peperit, & gaudium suo partu attulit universo Mundo. Deinde, sicut Isaacum, filium Sarah, exagitavit Ismael, filius Agaris; ita Jesum Christum, Filium B. Marie Virginis, persecuti sunt Judæi, filii Synagogæ, cuius typum gessit Agar, mater Ismaelis. Postremo, quemadmodum Agar, ejusque filius Ismael, fuerunt, jubente Deo, ex adibüs Abramam expulsi; ita Synagoga fuit a Deo rejecta ac penitus repudiata; & filii Synagogæ, seu Judæi, ab Ecclesia Jesu Christi, quem ceu verum Messiam agnoscere reuerunt, extores facti sunt, & per universum orbem dispersi, miseriis & calamitatibus oppressi, laribus & patrio solo profligati, Republica & propria Civitate Hierusalem privati, sine Rege, sine Duce, sine Templo, sine Sacerdote, atque omnibus Nationibus exosi, miseram servitutem servire coguntur.

D. Quando quidem de Sara uxore Abramam, sermone in facere coepisti, vellem in primis scire, an Abramam, dum in Ægypti finibus versaretur, Sarah, uxorem suam, quam, ut ante dixisti, ob eximiam ejus pulchritudinem, Pharaon, Ægyptiorum Rex, rapuerat, ut ea impudice frueretur, intactam ab eodem receperit, aut vitiatam? Causam ea de re dubitandi ingerit mihi altum silentium sacri Scriptoris Moysis, qui cap. 12. Libri Genesis narrans historiam prioris raptus Saræ a Pharaone, Rege Ægypti, ne unum quidem profert verbum, ex quo colligi possit, Abramam recipisse ab illo Pharaone intactam uxorem suam Sarah, quam ille Rex, impo-

tenti libidine flagrans, rapuerat; nam tamen idem facer Scriptor Moyses cap. 20. Libri Geneeos describens historiam posterioris raptus Saræ ab Abimelecho, Rege Palæstinorum, seu Geraritarum, diserte dicat, Sarah non fuisse violatam, seu vitiatam a Rege Abimelecho. Sic enim scribit Moyses ver. 4. capituli citati: Abimelech vero non tetigerat eam, idest, Sarah. Hunc igitur nodum, si placet, dissolve.

M. Sarah, conjugem Abramam, non fuisse pollutam a Rege Pharaone (commune id & appellativum Regum Ægypti nomen erat) constans est ac perpetua omnium sententia; idque sacra hujus loci historia satis evidenter declarat, quippe quæ docet, hunc Pharaonem fuisse, ob raptum Saræ, multis plagiis, tam ei, quam toti illius familiae inflictis, a Deo flagellatum, non alia fane ratione, quam ut ille Rex, divinis flagellis castigatus, a Saræ congressa, cujus potius inflammatus cupidine erat, deterreteretur. Vehemens enim corporis dolor, ut experientia sat superque notum est, omnem sensum ardentissimæ libidinis restringit, ab irrationali & effreni coercet impetu, cohabet incontinentem mentem, fistig concupiscentiam indomitam, reseruantque lascivientis furoris insaniam. Sic Deus per illas poenas Regi Pharaoni immissas periclitanti Sarah pudicitia consuluit. In hac ratione potissimum acquiescit S. Augustinus. Accedit præterea altera ratio, quam suppeditat Regis hujus Pharaonis cum Abramam expostulatio, eum sic alloquentis: Quam ob causam dixisti, Sarah esse sororem tuam, ut tollerem eam mihi in uxorem? Quibus verbis aperte quidem ianuit Rex Pharaon, se voluisse Sarah accipere in uxorem, sed fatetur tamen, se necdum eam accepisse, quia, sicut optime observat Sanctus Hieronymus in Traditionibus Hebraicis in Genesim, quacunque mulierum, juxta Liberum Esther, placuisse Regi apud Veteres, sex mensibus ungebatur oleo myrrino, & sex mensibus in pigmentis variis erat, & curationibus fœminarum, & tum demum ingrediebatur ad Regem. Atque ita potest fieri, ut Sarah, postquam placuerat Regi, dum per annum ejus ad Regem præparatur introitus, & Abraham Pharaon multa donaverit & Pharaon postea sit percussus a Deo, illa adhuc intacta ab ejus concubitu permanente. Hactenus sanctus Hieronymus, cujus rationem dilati congressus Sarah cum Rege Pharaone suo calculo approbat S. Augustinus, Quæstiōne xxvi. in Genesim, & in Libro De otio Dulcitiæ Quæstiōnibus, Quæstiōne vii. Sed, inquis, ecce igitur Moyses cap. 12. Libri Geneeos non explicate dicit, Sarah non fuisse vitiatam a Rege Pharaone, cum tamen cap. 20. ejusdem Libri exerte dicat, Sarah in confiliī casu non fuisse pollutam a Rege Abimelecho? Huic quæstiōni respondet Theodoreus quæst. lxxii. In Genesim: Manifestum est, inquit, cum primum Sarah rapta est a Pharaone, Deum ægrotatione quadam, quasi vinculo quodam eum obligasse, ne Sarah violaret. Ægrotatione enim appetitionem Regis hebetavit, & venator intra retia sua captam habens feram, quam maxime optabat, præda tamen frui non potuit. Sed querendum est, cur Sarah non fuisse

fuisse tactam a Rege ( scilicet Pharaone ) hoc loco scriptum non fuerit , quemadmodum infra scriptum est ( seu cap. 20. Lib. Gen. ) cum eadem ( idest , Sara ) postea a Rege Abimelecho accepta esset ? Verum Sara per id temporis ( idest , quando rapta fuit a Rege Abimelecho ) paritura erat Isaac . Ne igitur suspectum illud semen esset , ibi scriptum est , Saram servatam fuisse a Deo , ne ab Abimelecho pollueretur . Hac Theodoretus .

D. In historia de sepultura *Sare* , offendit in Scriptura Sacra antilogiam , seu contradictionem , quæ , ut candide fatear , multum mihi exhibet negotii , cuique solvendæ imparem me esse ultro profiteor . *Moyse* quippe cap. 13. Libri Genesios , ait , *Abrahamum ad sepeliendam uxorem suam Saram emissi in Hebron sepulchrum ab Ephrone , Hethæo , filio Seor . At in Libro Actuum Apostolorum cap. 7. legitur , sepulchrum , quod emit *Abrahamus* , non fuisse positum in Hebron , sed in Sichem ; illudque sepulchrum emissi *Abrahamum* non ab *Ephrone* *Hethæo* , filio *Seor* , sed a filiis *Emor* , filiis *Sichem* . Sic enim *S. Lucas* , loco mox laudato inducit *S. Stephanum* loquentem *Judeis* : *Et translati sunt in Sichem* ( idest , duodecim Patriarchæ filii *Jacob* ) & positi sunt in sepulchro , quod emit *Abraham* pretio argenti a filiis *Emor* , filii *Sichem* . Modum itaque hanc antilogiam conciliandi obsecro te mihi aperire non graveris .*

M. Ad hunc intricatum nodum dissolvendum varios cuneos adhibere solent Scripturæ Sacrae Interpretes , quos inter nonnulli volunt , locum illum cap. 7. Actuum Apostolorum ubi sic scriptum est : *Et translati sunt in Sichem* , & positi sunt in sepulchro , quod emit *Abraham* pretio argenti a filiis *Emor* , filii *Sichem* , interpolatum , seu depravatum esse , sive restituendum esse genuinam illius loci lectionem : *Et translati sunt in Sichem* , & positi sunt in sepulchro , quod emit *Jacob* pretio argenti a filiis *Emor* , patris *Sichem* . Verum , ut cordate fatear , hæc quorundam Criticorum non mihi probatur opinio . Nam , præter quæ quod in vocibus adeo dissimilibus , nulla ex parte Typographorum fingi potest depravationis occasio , certum est , omnia Exemplaria sacri Libri Actuum Apostolorum , cum Graeca , tum Latina ab ipsis Apostolorum temporibus , ad hanc usque atatem nostram jugiter eandem retinuisse lectionem , & *S. Hieronymum* , aliosque Patres , & Scriptores Ecclesiasticos nunquam suspicatos esse ejusmodi locum sub mendo cubare , quamvis in eo dilucidando diu multumque infudarint . Cum igitur universa Scriptura Sacra Exemplaria mirifice consentiant , nemo citra temeritatem locum illum vitium esse causari potest . Rejecta itaque hac paucorum Criticorum sublesta admodum ac jejuna conjectura , missisque aliorum interpretationibus ; perplacet mihi expositio Venerabilis *Beda* , qui Comment. in cap. 7. Libri Actuum Apostolorum rem acutetissime mihi videtur , dum hunc nodum sic solvit : *Docet Genesis* , *Abraham ab Ephron filio Seor Hebrai in Cariatarbe locum sepulchri quadringentis argenteis selenis emissi* , in quo *Abraham* , *Isaac* , & *Jacob* , &

*Adam protoplastus sepulti* : itemque *Jacob* , de Mesopotamia reversum , juxta urbem *Sichem* , partem agri , quo tabernacula tenderet , ab *Emor* , patre *Sichem* , datis , centum agnis accepisse . Non emit ergo *Abraham* sepulchrum ab *Emor* , *Sichemita* , sed ab *Ephron* , *Hethæo* , in quo duodecim Patriarchæ ( seu filii *Jacobi* ) non sunt sepulti , sed in *Sichem* , ut diximus . Verum B. Stephanus vulgo loquens , vulgi magis in dicendo sequitur opiniones . Duas enim pariter narrationes conjungens , non tam ordinem circumstantis historie , quam causam , de qua agebat , intendit . Qui enim insinulabatur adversus Locum sanctum , & Legem docuisse , pergit ostendere , quomodo *Iesus Christus* ex Lege monstretur esse promissus , & quod ipsi nec tunc *Moyse* , nec Domino servire maluerint . Hec , ut potut , dixi , non prejudicans sententia meliori , si adsit . Porro , quod dicitur : *A filiis Emor* , filii *Sichem* : In Greco Exemplari scriptum est : *A filiis Emor* , quæ fuit in *Sichem* : *Quod Genesis Historia magis concordare videtur* ; tametsi fieri potuerit , ut idem *Emor* patrem & filium *Sichem* nominis haberet . Hancenus Venerabilis *Beda* , cuius hac in re *Moysem* cum *S. Stephano* conciliandi modus planior ac expeditior videatur *Rabano* , *Eftio* , *Melchiori Cano* , *Emmanuelis Sa Saliano* , aliisque doctissimis Scriptura Sacrae Interpretibus , quibus ipse assentior .

D. Sed dicas , quæso , qui potuerit *Abrahamum* absque simonia peccato emere ab *Ephrone* duplum speluncam in sepulturam *Sare* , cum certum sit , jus sepultura rebus spiritualibus esse annexum ? Emere autem aut vendere aliquid spiritualibus annexum , constans est omnium Theologorum sententia esse illicitum , & simoniae vicio non carere . Peccavit igitur *Abrahamus* , emendo ab *Ephrone* duplum speluncam in sepultura *Sare* .

M. *Abrahamum* in emptione duplicitis speluncæ in sepulturam *Sare* a simonia labe purgant sancti Patres , quos inter unum , instar omnium laudabo *S. Thomam* , Doctorem Angelicum , qui 2.2. Quæst. C. Art. IV. ad 3. hæc scribit : *Dicendum* , quod spelunca duplex , quam *Abraham* emit in sepultrami , non habetur quod erat consecrata ad sepeliendum , & ideo licebat *Abraham* terram illam emere ad usum sepulture , ut ibi institueret sepulchrum , sicut etiam nunc licet emere aliquem agrum communem ad instituendum ibi cimiterium , vel etiam Ecclesiam . Tamen quia apud Gentiles , loca sepulture deputata , religiosa reputabantur , si *Ephron* pro loco sepulture intendit pretium accipere , peccavit vendens , licet *Abraham* non peccaverit emens , quia non intendebat emere nisi terram communem . Licet enim etiam nunc terram , ubi quandam fuit Ecclesia , vendere aut emere in casu necessitatis , sicut & de materia sacrorum vasorum dictum est . Vel excusat *Abraham* , quia in hoc redemit suam vexationem . Quamvis enim *Ephron* gratis ei sepulturam offerret , perpendit tamen *Abraham* , quod gratis recipere sine ejus offensa non posset . Hæc *S. Thomas* , qui *Abrahamum* in emptione duplicitis speluncæ in sepulturam *Sare* esegie vindicat , Ceterum , debes hic obiter advertere *Saram* , plenam dierum , virtutum , bonorumque operum ex hac

vita ad Deum migrasse , ac subinde nullam prorsus fidem habendam esse quibuldam Rabbinis , qui , mentem habentes pastam chymæris , ridicule fingunt , dæmonem sub humana specie apparuisse Saræ , eique nunciasse , quemadmodum Abrahamus pararet immolare filium suum Iсаacum . Quo infasto insperatoque nuncio , dictitant illi Rabbi ni , adeo consternatam animo fuisse Saram , ut mox , præ doloris magnitudine , fatigens , plane que deficiens , vitam cum morte commutarat . Hanc puram putamque Rabbinorum fabulam esse pluribus momentis evinco . Primo , quia Scriptura Saera omnino refragatur . Nam Moyses , peracto sacrificio Arietis , quem in locum filii sui Iсаaci sufficit & immolavit Abrahamus , narrat , hunc Patriarcham reversum esse Bersabee , atque ibidem habitat : At , Saræ , ut ait idem sacer scriptor Moyses , mortua & sepulta est in Hebron . Abrahamus igitur Bersabee aliquandiu commemoratus est , & inde remigravit in urbem Hebron . Præterea , juxta probabiliorem cum Josephi , Hebrai , tum peritorum Scripturæ Sacrae Interpretum sententiam , Iсаacus attigerat annum ætatis sua vigesimum quintum , quando pater ipsius Abrahamus eum immolare voluit : Cui sententiae illud consequens est , fuisse tunc Abramam centum & viginti quinque annorum ; genuit siquidem Iсаacum , cum jam cenzenarius esset . Consequens etiam istud est , Saram , tempore , quo Abramus filium suum immolare voluit , non solum fuisse adhuc in viuis , sed etiam duodecim annis superstitem permanisse , quia Saræ peperit Iсаacum cum esset nonagenaria , & obiit annos nata centum viginti septem , sicut legitur Genesis cap. 23 . Non defunt etiam aliqui Scriptores , qui pertendunt , Iсаacum attigisse dumtaxat annum decimum , aut duodecimum ætatis sua , quando pater ipsius Abrahamus illum voluit Deo in sacrificium offerre . Ex qua sententia sequitur , Saram longe plures quam duodecim annos , post Iсаaci , filii sui , sacrificium vixisse . Sed , ut ingenue dicam , hæc mihi non probatur illorum Scriptorum sententia , quia Moyses diserte asserit , Abramum imposuisse humeris Iсаaci , portanda ligna in holocaustum necessaria , cui sane ferendo oneri impar fuisset tam tenera ætas , præsertim vero in ascensu montis arduo & laborioso . Tertio , sanctus Joannes Chrysostomus Homilia de S. Job , & Abraham cœnit , Saram omnino necrivisse Dei præceptum , datum Abramam , de immolando Iсаaco . Quod quidem ita contigisse non solum ex narratione Mosaica evincitur , verum etiam quia credibile est , noluisse Abramum hoc Dei præceptum communicare cum conjugi sua Saræ , tum ne illam incredibili dolore afficeret , tum etiam ne propter acerbissimum dolorem , quo Saræ fuisset perculsa , vehementius ipse in immolatione filii sui Iсаaci fuisset animo perturbatus , ac subinde non ita prompte , ut par erat , nec tam alacriter Dei Mandatum exequeretur . Denique , S. Augustinus lib. 16. De Civit. Dei cap. 33. ait , Iсаacum iniisse matrimonium cum Rebecca , anno ætatis sua quadragesimo , videlicet anno patris

sui Abrahami centesimo quadragesimo : post mortem vero matris sua Saræ triennio . Cum igitur Iсаacus anno , quo ipsius pater Abrahamus eum Deo offerre in sacrificium voluit , jam attigisset , juxta probabiliorem sententiam , annum ætatis sua vigesimum quintum , & Rebeccam anno ætatis sua quadragesimo , hoc est , triennio post obitum matris sua Saræ , uxorem duxerit , manifesto sequitur , Saram , post annum , quo Abrahamus filium suum Iсаacum mactare voluit , vixisse adhuc duodecim annos . Quod autem Iсаacus anno ætatis sua quadragesimo Rebeccam uxorem duxerit , aperte testatur Scriptura Sacra cap. 25. lib. Genesis , his verbis : Abraham genuit Iсаac , qui , cum quadraginta esset annorum , duxit uxorem Rebeccam , filiam Bathuelis , Syri de Mesopotamia , sororem Laban . Faceant itaque Hebrei , qui commentis , ac fabulis male confarcinatis delectati , fingunt , Saram , auditio nuncio de immolando filio Iсаaco , protinus , instar Niobes , examinem factam , obriguisse , attonitam obmutuisse , atque ex nimio dolore fuisse extinctam . Credat hoc Judeus Appella .

D. Nunc scio , Iсаacum anno quadragesimo ætatis sua , & triennio post obitum matris sua Saræ , nuptias cum Rebecca , filia Bathuelis , conjunxisse . Sed dicas modo , obsecro te , quo pacto , & quibus auspiciis Abrahamus , pater Iсаaci , ejusmodi nuptias conciliaverit ?

M. Abrahamus , cui filius Iсаacus delectum uxoris concesserat , usus est opera spectatae fidei famuli , senioris domus sua ( quem multi Scripturæ Sacrae Interpretes autumant , fuisse Eliezerem Damascum , qui præter familie Abramini , & de quo fit mentio cap. 15. lib. Genesios ) huic , inquam , famulo , sed prius sanctissimo jurejmando obstricto , delegavit hanc provinciam , ut omnium maxime seriam . Sed quia nolebat Abrahamus uxorem dare filio suo Iсаaco , quæ esset e Gente Chanaæa , quam sciebat esse a Deo reprobatam , ideo iussit famulo suo , ut iret in Mesopotamiam , ibique selectam ex ipsius cognatione puellam sponsam festinanter adduceret ad Iсаacum , in Terra Chanaan habitantem . Has porro nuptias non aliis auspiciis quam atorni Numinis conciliavit Abrahamus . Sic enim famulo suo cap. 24. lib. Genesis loquitur : Dominus eccl. & terre , qui tulit me domo patris mei , & de terra nativitatis mee , qui locutus est mibi , & juravit mibi , dicens : Semini tuo dabo terram hanc , ipse mittet Angelum coram te , & accipies inde uxori filio meo . Profectus famulus , statim ac ad locum , quo tendebat , pervenisset , oravit juxta puteum , & ad bene fortundandas nuptias imploravit misericordiam Dei , qui auctor est ac prospator omnis conjugii . Ubi votis ex animi sententia respondissent omnia , prostratus in terram adoravit Dominum , egitque gratias , quod illo prosperante , res , ut optaverat , latum ac felicem habuisset exitum . Propositis sibi nuptiis assensum prebuit Rebecca , seque ad iter accinxit ex consensu parentum , qui filiæ omnia fausta omina appræcantes dixerunt : A Domino egressus est sermo , non possumus extra placitum eius quidem

quam aliud loqui tecum, sicut legitur Genesis cap. 24 v. 50. Igitur *Rebecca*, aliaque pueræ honorariae, quæ ei inserviebant, camelis insidentes, secesserat sunt famulum Abrahæ, qui, ut inquit Scriptura Sacra loco mox a me laudato, festinus revertetur ad Dominum suum. Contigit autem, ut *Isaacus* obviam iret *Rebecca*, sponsa suæ, quem cum vidisset *Rebecca*, & certo accepisset, eum esse *Iaacum* paratum sibi sponsum, e camelio, nulla interposita mora, desiluit, honoris sponso deferringi gratia, & accepit cito pallium, & operatus, honestatis, & pudoris causa, more matronarum, & femininarum Arabiæ ac Mesopotamiae, quibus solemne fuisse vultum velo obtegere testatur *S. Hieronymus* Comment. in cap. 3. *Isaiae*. Adventantem *Rebeccam*, conjugem suam, *Isaacus* peramanter exceptit, salutavit, complexus est, eamque introduxit in tabernaculum matris suæ *Sare*. Neuter alteram haec tenus viderat, & tamen inter eos vehemens & constans amor fuit, adeo ut *Isaacus* oblivisceretur mortaloris, quem ex obitu matris conceperat, videlicet & matrem ipsam relicturus, & adhæfurus uxori suæ, si res ita tulisset.

D. Utinam! nostris temporibus sic fortunata, sic solis Dei auspiciis contraherentur matrimonia, peterentque homines, ut par esset, a solo Deo uxores aptas, morigeras, dociles, pudicitia, modestia, sobrietate, prudentia, ceteraque dotibus præditas. Huc enim vocat nos *Salomon*, dicens: *Domus & divitiae dantur a parentibus, & Domino autem uxor prudens*. At, proh dolor! tanta invalidit hac nostra tempestate cupiditas, ut Parentes, in deligendo genero, aut nuru, ceu præcipuum scopum sibi, ut plurimum, proponant formam, ætatem, opes, aut generis claritudinem, aut factionem præpotentem; de pietate vero, de bona ìndole, & de proba educatione, neutra ex parte fiat ulla mentio. Quo fit, ut sæpenumero pro felicissimis conciliant inauspicatißima matrimonia, cum caput hujus felicitatis in hoc situm sit, ut apta sit conjunctio, & inter bonos & aequales sit perpetua concordia, quæ nascitur similitudine morum & ingeniorum, ac mutuis officiis & obsequiis. His quippe rebus potissimum signitur aliturque concordia, sine qua nullum potest esse felix matrimonium, sed durum dumtaxat ac triste jugum, quod coniuges, velint nolint, ferant oportet. Sed hanc querimoniam, quæ longius nos abduceret, prætermittamus, & redeamus ad *Abrahamum*, qui (ut nuperrime legebam in Scriptura Sacra, vide licet Capite XXV. Libri Genesis) post mortem *Sare*, uxoris suæ, ad tertias nuptias convolavit, & quamvis jam senio confectus esset, matrimonium iniavit cum *Cetura*, quam nonnulli tradunt fuisse ex Gente Chananæa, cui Deus fuerat imprecatus. Rogo te igitur, ut exponas primo, cur *Abrahamus*, ultimam quasi vitæ sue metam attingens, voluerit adhuc Veneri indulgere, & procreandis liberis operam dare? Secundo, cur *Abrahamus* matrimonio sibi copulaverit *Ceturam*, natione, ut quidam volunt, Chananam, ex qua tamen gente, ut pote a Deo re-

probata, ipsem et *Abrahamus* filio suo *Isaaco* uxorem accertere noluerat?

M. Non æstu libidinis abreptus matrimonium cum *Cetura* iniavit *Abrahamus*, sed cum amara se neclutis jam pondera ferret, eam sibi uxorem adscivit, quæ ejus senectutem soveret, filios ad propagandum verum Dei cultum pararet, ejusque familiam recte administraret. Narrat autem *Moyse*, *Abrahamum* suscepisse ex *Cetura*, quæ nec vetula, nec nimium juvenis, sed florentis ætatis erat, sex filios, nepotes & pronepotes decem. Obiter tamen hic advertere debes, matrimonium, quod *Abrahamus*, jam senex iniavit cum *Cetura*, nullo pacto favere prodigiosis quibusdam libidinis exemplis, quæ nunc in nonnullis senibus fieri videmus. Sunt enim quidam septuagenarii, qui, ut expletant libidinem suam, teneras puellas, vix duodecim annos natas ducunt uxores. Sed multo absurdius est, si mulier sexaginta annos nata nubat juveni, vix vigesimum ætatis suæ annum egresso. Nam vir, quamvis senex, ex puella potest suscipere liberos. Anus ex juvente mater fieri haud potest. In utroque tamen fœda species est: nam sponsus senex non cum uxore, sed cum filia dormire videtur, & anus sponsa filio nupsisse videtur non conjugi, sed hujusmodi nuptias si conciliat divitiarum amor, fœdæ sunt, si libido, fœdiores. Eas tamen Ecclesiasticae Leges non rescindunt, quamvis populi salibus ac ditteriis flagellentur. Nihil horum occurrit in matrimonio, quod *Abrahamus*, jam senex, iniavit cum *Cetura*. Abfuit ab hoc matrimonio fœda libido, & *Cetura* non erat tenera puella, sed florentis ætatis, quando *Abrahamo* seni nupta fuit. Non crediderim autem, *Ceturam* fuisse, sicut quidam perperam ajunt, natione Ägyptiam, non secus ac *Agarem*, alteram ancillam *Abrahæ*, quam ipse, ob sterilitatem *Sare*, conjugis suæ, matrimonio sibi copulavit. Nam quod dictant quidam Hebræi, *Ceturam*, eamdem esse cum *Agare*, ineptum ac putidum commentum est, a veritate Historiæ Sacrae omnino alienum, quodque subinde hic retulisse, abunde refutasse est.

D. Sancta fuisse illa matrimonia, quæ *Abrahamus* contraxit cum *Agare*, & *Cetura*, ex eo maximo intelligo, quod iste Patriarcha, sicut perhibet Historia sacra, viderit filios filiorum quos ei perperit *Cetura*, & filios *Ismaelis*, quem suscepit ex *Agare*. Hoc enim evidens est sanctitatis matrimonii, & divinae benedictionis argumentum, sicut testatur Scriptura Sacra Psalm. 127. dicens: *Benedic tibi Dominus ex Sion, & videoas filios filiorum tuorum &c.* At, utrum *Abrahamus* viderit, antequam moreretur, filios filii sui *Iaac*, quem genuit e *Sare*, & in quo divinæ promissiones de oritur ex ipsis stirpe Messia compleri debebant, nunc a te dicere percupio.

M. *Iaacus*; *Abrahæ* filius, qui, sicut antea observavimus, anno ætatis suæ quadragesimo

fibi *Rebeccam* matrimonio sociavit, nullam per viginti annos a contractis nuptiis prolem ex ea suscepit. Videbat quidem *Abrahamus* numerosam sobolem filiorum, quos ei pepererant ancillæ *Agar*, & *Cetura*, sed mirabatur, quod *Isaacus*, quem ex libera conjugi *Sara* susceperat, cuique Deus innumerabiles filios promiserat, adhuc sine liberis esset. Hinc *Abrahamus*, viva Fide animatus, ejusque filius *Isaacus*, & *Rebecca* jugibus lacrymis, votis ac precibus divinam implorabant clementiam, ut præsentissimum sterilitati *Rebecca* remedium afferre dignaretur. Eorum votis & precibus annuit misericors Deus, secundum statim reddidit *Rebeccam*, quæ post sterilitatem viginti annorum, duos geminos concepit, qui tamen, ut inquit Scriptura Sacra, colluctabantur in utero ejus. Hos duos geminos, dictos *Esaū*, & *Jacob*, nono a conceptione mente peperit *Rebecca*, dum vir ejus *Isaacus* annum attigisset ætatis suæ sexagesimum primum.

D. Ecce, quo, isti duo gemini *Esaū*, & *Jacob*, antequam in lucem ederentur, iam intra materni ventris claustra luctabantur? & quid, fodes, præfigurabat domesticum istud diffidium?

M. Istius intestini diffidii, quo isti duo pueruli in utero matris *Rebecca* inter se collidebantur, duplex potest afferi ratio. Prima est, quia inter hos fratres, *Esaū*, & *Jacob*, quamquam uterinos, quamquam gemellos, nunquam perfecta potuit coire concordia. *Esaū* enim semper odio habuit *Jacob*, Jacob contra, et si non responderit odio mutuo, fugit tamen, suspectumque semper habuit *Esaū*, neque sese illi credidit. Altera ratio istius diffidii inter duos illos fratres in utero matris petitur ex typo, quem isti duo fratres gerebant. *Esaū* siquidem, utpote totus terrenus & carnalis, præfigurabat *Carnem*, quam interdum Apostolus *Paulus* appellat *Corpus*, interdum *exteriorum hominum*, nonnunquam *legem membrorum*. At, *Jacob*, qui totus erat cælestis & spiritualis, typum gerebat *spiritus*, quem modo *interiorum hominum*, modo *legem mentis* vocat idem Apostolus. Dimicabant ergo inter se fratres illi in utero materno, quia præfigurabant perpetuum istud ac intestinum bellum, quod est carnem inter & spiritum. Ait enim sèpè laudatus Apostolus: *Caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem*. Ideo alibi: *Video aliam legem in membris meis, repugnarem legi mentis meæ*. Denique alio in loco: *Si secundum carnem viventeris, morieris; si spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis*. Ex quo patet, Apostolum *Paulum* eodem in homine duos homines (*interiorum* videlicet & *exteriorum*) facere adeo conglutinatos, ut neuter sine altero, neque in gloria, neque in gehenna sit futurus; adeo rursus disjunctos, ut unius mors, vita sit alterius, ac nova rerum conversione, quamdiu in hac vi mortaliter superstites sumus, quarere debeamus in bello pacem, in pace bellum, in morte vitam, in vita mortem, in servitute libertatem, in libertate servitutem. Hæc igitur colluctatio *Esaū*, & *Jacob* in utero materno figura fuit illius intestini, quod est inter corpus & spiri-

tum, belli, quo Apostolus *Paulus* etiam gravatus exclamabat: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?*

D. Distinctius, si placet, expone, quo pacto *Esaū* fuerit homo terrenus & carnalis, *Jacob* vero eius frater, extiterit homo cælestis & spiritualis?

M. *Esaū*, & *Jacob* in utero matris *Rebecca*, ut mox diximus, luctabantur; sed *Esaū* præoccupavit exortum, sicque fuit natura primogenitus, *Jacob* vero præripuit benedictionem. Prius enī carnale, at quod spirituale potius est. *Esaū* erat rufus & pilis obsitus. *Jacob* levis & suavissimus moribus præditus. *Esaū* inquietus & venator erat; contra, *Jacob* domestico gaudebat otio. *Esaū* famelicus, & ventris, magis quam honoris, sollicitus, edulio lentis, vilique voluptatis auctoramento illectus, jus suæ primogeniturae vendidit fratri suo *Jacobo*, qui quod tibi jure non debebatur, arte gratiæ sibi vindicavit. *Jacob* solus vidit Dominum, *Esaū*, ut sanguinarius, gladio vixit. Dominus a matre *Rebecca* consultus respondit: *Major, id est, Esaū, serviet minori, seu Jacobo*. Et pater *Isaacus* *Esaū* dixit: *Fratris tuo*, seu *Jacobo*, *servies*. Sed vide insuper quam pie & spiritualiter in contrahendis nuptiis se gesserit *Jacob*, quam vero impie & carnaliter *Esaū*? Accepta *Jacob* a patre suo *Isaco* benedictione, venit, juxta præceptum sibi a patre suo impositum, in Mesopotamiam ad *Laban*, avunculum suum, ut ex ejus familia uxorem duceret. Longinquam illam ac periculosa peregrinationem, ut morem gereret præcepto patris sui, ultimo suscipit, nec vim inferre cogitat, nec insidiis struit puellæ, sed, post visionem Angelorum, adorat Dominum, & erecto lapide, quem capiti supposuerat dormitus, votum nuncupat Deo. His auspiciis fretus adit domum *Laban*, videt filiam ejus *Rachelem*, eamque statim deperire coepit, & eam habere sponsam vehementer optat, nec tamen puellæ clam loquitur de matrimonio, sed paciscitur cum *Laban*, ejus patre, conjugium *Rachelis* septem annorum famulatu: nec interim vel summis digitis attingit adamatum puerilam, versans in iisdem ædibus, atque adeo utens paucis communibus, sed per septennium astus, frigora, aliosque id genus annexos vita pastoriæ labores patientissime & constantissime toleravit, ut promisso dilectissima *Rachelis* connubio potiretur. Demum, evolutis illis septem famulatu annis, dum magno apparatu celebrantur nuptiae, concubia nocte in lectum *Jacobi*, loco *Rachelis*, per dolum *Laban* intravit *Liam*, sororem *Rachelis*, minus pulchram, & lippitudine laborantem. Hanc fraudem sibi factam cognovit quidem sequenti diluculo *Jacob*, non tamen sufficitavit divertium, sed, renovata cum *Laban* pactione, recepit duram ei per aliud septennium inserviendi conditionem, modo, post emensum hujus septennii spatium, ipsi uxorem daret *Rachelis*, cuius amore flagrabat, tanta vis erat amoris: sed rursus tanta pudicitia, ut intra tot annos nulla consuetudinis occasio pepulerit animalum ejus, ut ante legitimum tempus furtivo congressu delibaret conjugem suam. Vis denique audire

audire exitum sancte illius initi conjugii? Genuit Jacob duodecim filios, i<sup>r</sup> Israeliticarum Tribuum Principes. Hoc pacto felix, auspiciatumque Jacobi conjugium bene fortunavit Deus. At, vide nunc quam impie & carnaliter Esau, frater Jacobi, in contrahendis matrimonii sese gesserit. Nec enim ex patris Isaaci sententia uxorem accepit, nec ullam in sociandis sibi uxoriibus pietatis, religionis, probitatisque morum rationem habuit, sed opes dumtaxat, formam, ac libidinem secutus, duxit uxores tres ex gente Chananiotide, a Deo rejecta, & ex his suscepit filios impiarum ac reprobatarum gentium, semper Israelitico Populo rebellium, auctores. Quae cum ita sint, nullo negotio intelliges, quam vere Jacob appelletur homo celestis & spiritalis, & verfa vice Esau dicatur vir terrenus & carnalis. Facile etiam intelliges, quam iustum sit illud de disparibus ipsis duobus fratribus dispar istud a Deo editum oraculum: *Jacob dilexi, Esau autem odio habui*. Hic autem obiter advertere debes, Abrahamum, postquam filio suo Isaac natu fuisse Jacob, & Esau, in bona senectute, & viribus sensu fine sensu deficientibus, mortuum esse anno xixtasi sua centesimo septuagesimo quinto, & a liberis sepultum in illa duplice spelunca, quam S. hic Patriarcha ad sepulturam conjugis suæ Saræ emit ab Ephrone, Hethao, sicut superius observavimus.

D. Multa de Jacobo, & Esau cursim attigisti, quorum ampliorem notitiam desidero. Expone igitur primo, quo pacto Jacobus paternam benedictionem, que Esau, fratri suo, jure primogeniturae, debita erat, surripuerit? Secundo, hoc dirime dubium, an Esau, vendens fratri suo Jacobo jus primogeniturae suæ, & Jacob, predictum primogeniturae jus emens a fratre suo Esau, peccaverint?

M. Cum Isaacus jam senex decrepitus esset, & lippos oculos ac caligantes haberet, voluit ultimam benedictionem impetrari filio suo Esau. Eum itaque accersivit, eique jussit ut venatum iret, & ex capta præda ei pararet epulas. Dicto patris statim audiens Esau, venator bonus, pergit ad silvam. Interim Rebecca, que divinitus noverat, minorem filium suum anteponendum esse majori, manus & collum Jacobi pellibus hædinis cooperuit, siveque Jacob, personam Esau ementitus, furfum obrepens, postquam Isaac obtulisset pulmentum, a Rebecca matre de industria coctum, & quo Isaacus libenter vescebat, tandem a patre suo, tactui potius, quam auribus credente, benedictionem obtinuit; ita volente Deo, qui famum Esau vendens fratri suo Jacobo jus primogeniturae approbavit, illudque transluit in fratrem minorem. Sed an Jacobus mendacium protulerit, & æquivocis, ancipitisque significationis vocibus uis fuerit, dum, ad facilius suffundam benedictionem, patri suo Isaac, dixit, *Ego sum filius tuus Esau?* Difficultas est, quam in proximo nostro Colloquio opportunius excutiens. Ceterum, ad Dubium, quod proposuisti, breviter respondeo, peccasse quidem Esau, dum vendidit jus primogeniturae suæ, sed

non peccasse Jacobum, qui illud jus ab eo emit. Ratio est, quia iuxta Hebraeorum traditionem (quam S. Hieronymus approbat in libro, quem edidit de Traditionibus Hebraicis) Sacerdotium, ab universalis Diluvii tempore, primogenitorum principatui annexum fuit, præsertim in familia Iacaci, quæ hoc potissimum nomine jus primogeniturae habuit, quod ipsi promissa fuerit a Deo Messiae nativitas, præsertim capite 26. v. 4. Libri Genesim, ubi sic Deus alloquitur Isaacum: *Multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, daboque posteris tuis universas regiones has, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ*. Peccavit igitur Esau, hoc primogeniti jus vendens, & hac da causa ab Apostolo Paulo cap. 12. v. 16. & 17. Epistola ad Hebraeos vocatur Prophanus, eo quod propter unam escam vendidit primitiva sua. Scitote enim, quoniam & postea cupiens hereditare benedictionem, reprobatus est: non enim invenit parentia locum, quamquam cum lacrymis inquisisset eam. At, quod spectat Jacobum, qui a fratre suo Esau emit jus primogeniturae, diserte docet S. Thomas 2. 2. Quæst. C. Art. IV. ad 3. eum non peccasse: sic enim ait Angelicus ille Doctor: *Jus primogeniturae debebatur Jacob ex divina electione secundum illud Malachie: Jacobdilexi, Esau autem odio habui*. Et ideo Esau peccavit primogenita vendens: Jacob autem non peccavit emendo; quia intelligitur suam vexationem redemisse.

D. Necdum bene capio, quod de Jacob fratre Esau paulo ante dixisti, eum videlicet genuisse duodecim filios, qui fuerunt duodecim Tribuum Israeliticarum Principes. Quocirca, ni molestura sit, recense primo duodecim illos filios, quos precreavit Jacob. Secundo, expone, quid sibi velint isti duodecim Tribuum Principes? Postremo, cur isti duodecim Tribus appellatae sint Israelitæ?

M. Patriarcha Jacob duodecim genuit filios, quorum sex nati sunt ex Lia, sorore Rachelis, videlicet Ruben, Simeon, Levi, Judas, Issachar, Zabulon; duo ex ancilla Lia, nempe Gad, & Azer; duo ex ancilla Rachelis, scilicet Dan, & Nephtali; & tandem duo ex Rachele, nempe Josephus, & Beniaminus. Ipsi duodecim filii Jacobi, fuerunt duodecim Tribuum Principes, id est, Patriarchæ, quia unusquisque suam Tribum, seu familiam constituit, & suæ cuilibet peculiari Tribui nomen suum indidit. Sed cur duodecim istæ Tribus appellatae sint Israelitæ? Paulo uberior explicandum est. Dum Jacobus cum tota sua familia & omnibus bonis ex aliis sociis sui Laban tacitus ad Patrem suum Isaacum reverteretur, eum, tanquam fugitivum, ira percitus Laban infecutus est. Sed Jacobus, singulare Dei protectione munitus, delinivit iram socii sui Laban, & cum ipso perpetuae & nunquam abrumpendæ pacis & amicitiae fœdus iniavit. Hoc periculo expeditus Jacobus, capto pergebat itinere, in quo iterum periclitatus est. Occurrerit enim ei frater ipsius Esau, armatis viris bene stipatus, & injuriam inferre paratus, quem tamen Jacobus, recreatus visio ne Angelorum, placavit ac dimisit, ipse vero solus.

solus nocte mansit in castris, ubi nocturnum cum Angelo luctamen habuit, donec illececeret aurora, extitique in illa lucta victor. Quod autem virtus sua primum tulerit fortissimus ille Palæstrites, accurate narrat Historia Sacra: Primum *Jacobo* benedixit Angelus in eodem loco. Deinde, tacto femore emarcuit nervus *Jacobi*, victoris. Quo externo signo claudicantis uno pede *Jacobi* ostendere voluit Angelus, qui cum *Jacobo* luctatus fuerat, Deum execrari eos, qui utroque pede claudicant, id est, qui simul & in carne esse, & Deo placere volunt, dumque utrumque male conantur, in utroque claudicant; at versa vice, felices illos esse, in quibus sic adfectus carnis emortuus est, contingente Deo, ut dextro pedi potissimum, hoc est, spiritui, & non carni, innitantur. (a) Postremo, Angelus, qui tota nocte cum *Jacobo* luctatus erat, affulgente jam aurora mutavit illius nomen, eique iussit, ut deinceps non *Jacob* appellaretur, sed *Israel*, hebraice *Sara* et, id est, *Dominatus Deo*, quod *Jacob* peculiari Dei auxilio prævaluisset in lucta contra Angelum, qui Deum referebat, sicut observat *Menochius* in ca. 32. lib. Gen. Ab hac igitur nova *Israeli*s nomenclatura, *Jacobo* ab Angelo imposta, duodecim Tribus, seu familiae, quæ a duodecim filiis *Jacob* propagatae sunt, appellatae fuerunt *Israelitæ*.

„ (a) Myticas hæc rationes, cur tactu manus angelicæ nervus femoris *Jacobi* emarcuerit, „ ultra equidem admitto, sed proprius ad literæ sensum cæfeo hoc indicio demonstrare Angelum „ *Jacobo* voluisse, se quidem in lucta ultra a Patriarcha superari perniuisse, quamvis fortior esset, „ ut ex tactu manus suæ ostenderat; atque hoc argumento intelligeret illum, quamvis inferior esset potentia *Esa* fratre suo, futurum tamen, ut ipsum auxilio Dei vinceret.

D. Genuitne dumtaxat Patriarcha *Jacob* duodecim illos filios, quorum nomina mox retulisti?

M. Præter duodecim istos filios Patriarcha *Jacob* suscepit ex conjugi sua *Lia*, sorore *Rachelis*, unam filiam, dictam *Dinam*, quæ ad atatem adultam cum pervenisset, & eximia pulchritudine prædicta esset, magnum parenti suo, circa Sichimorum urbem degenti, totique familiae suæ inlilit dampnum. *Dina* siquidem, *Jacobi* pulcherriina filia, liberius ac curiosius, quam virginem deceret, urbem Sichimorum, præter auctoritatem patris sui, subire solebat, & in aliena illa civitate spectatrix, ac vicissim spectanda obambulabat. Contigit autem, ut *Schemus*, filius *He moris*, hujus Regionis Principis, statim ac oculos in eam conjecisset, tanto illius amore desflagrarit, ut eam per vim rapuerit, atque constupravit. Deserviente postea libidinis ardore, *Schemus* per patrem suum ambit *Dine* matrimonium, eamque uxorem a parente *Jacob*, & a pueræ fratribus pettit. Confenserunt illi, ea tamen legi, ut (cum puellam non possent incircumcisio nuptii tradere) ipse cum omnibus suis circumcidetur. Annuit Sichimorum Princeps, injectum hamum incaute devoravit, nullaque interposita mora, sibi, suisque omnibus circumcidi præpu-

tia jussit. Sed vide, *sodes*, qui fuerit tam violenti ac præposteri matrimonii exitus? Post istius imperatæ circumcisionis triduum, dum dolor ex inficto vulnere gravior & acutior esset, *Simeon*, & *Levi*, ob raptam & violatam *Dinam*, sororem suam, vindictæ cupidi, cum famulis armati urben Sichimorum irrumpunt, omnes ad unum hujus civitatis mares, lectulis, propter nimium, quem patiebantur, dolorem, affixos, subindeque inermes, ac nihil minus cogitantes, jugulant, interficiunt, mulieras & pueros captivos abducunt, & omnia bona in prædam rapiunt. *Hemorem*, hujus Regionis Principem, ejusque filium *Schemum* occidunt, & *Dinam*, sororem suam, e domo *Schemi*, ubi a die stupri manserat, violenter tollunt. Certe, in hoc filiorum *Jacobi* crudeli facinore multiplex, ut optime observat mox a me laudatus *Menochius*, fuit peccatum; primo videlicet mendacium. Secundo, perfidia. Tertio, inobedientia erga parentem *Jacobum*, quem ista non probaturum satis intelligebant. Quarto, injusitia belli, cum penes illos summa potestas non esset, sed penes *Jacobum* eorum parentem. Quinto, sacrilegium, quia sacra circumcisionis ceremonia ad injustum cædem, pluquam Scythica barbarie abusi sunt. Sexto, crudelitas, quod ultra modum sevierint. Septimo, temeritas, quod parentem *Jacobum*, totamque illius familiam, irritatis illis populis, insimum discrimen adduxerint. Hoc tiquidem terrimum & a sæculis inauditum facinus potuisset facile universos Chananæos in familiae *Jacobi* integrum excidium armare, nisi Deus eis metum panicum incassisset, & plus valuisse apud Deum pietas *Jacobi* ad misericordiam, quam filiorum improbitas ad ultionem sacrilega temeritatis. Quod si in libro *Juditæ* capit. 9. hoc *Simeonis* factum laudari viderur, justitia tantum Dei ibi laudatur, qua Sichimitarum impunitas & violentia vindicata est, Deusque dicitur gladium *Simeoni* dedisse ad eum modum, quo postea Assyriis & Chananæis datus est gladius, ut divina justitia administri essent ad punienda peccata, quamvis ipsi a scelere non essent imminentes. Potuisset quidem Deus, si voluisset, impedire tot peccata, quæ in uno facinore, seu in cæde Sichimitarum perpetratunt filii *Jacob*, fartam teatam conservando pudicitiam *Dine*. At, permisit Deus stuprum *Dine*, ut hoc exemplo intelligerent cætera pueræ, quæ adhuc illibatum servant virginitatis florem, nusquam tutiorem esse formæ & pudicitæ thesaurum quam domi, nec usquam magis versari decrece pudicam virginem, quæ pulchritudinem suam morum integritate, vita frugalitate, cultu simpliciori, & perpetua a conspicu & colloquis hominum fuga sollicitate custodiare debet, & singularem modestiam, dum cogitur prodire in publicum, fronte, oculis, vultu, totoque corporis gestu proferre citram. At enim, ut obiter dicam, non domi pericitata est pudicitia *Sare*, sed quando peregre profecta est. Rupta est *Dina*, sed apud exteriores. Deus tamen curam habuit pudicitæ *Sare*, quia maritum suum *Abrahamum*, Dei iussu, comi-

comitata est. *Dina* violata est, quia, inconsulto patre suo *Jacobo*, liberius in aliena civitate obambulans, occasionem dedit adolescenti Principi ejus pudicitiae insidias struendi, eamque ad stuprum rapiendo: *depredari enim desiderat* ( ut inquit *Sanctus Gregorius M. Homilia XI. in Evangelio* ) qui *thesaurum publice portat in via*.

D. Hunc acerbum dolorem, quem Patriarcha *Jacobus*, ob raptum filiae sue *Dine*, & cadem Sichimitarum, pertulit, solatusne est Deus aliquibus prosperis ac faultis eventibus?

M. Deus, qui, ut inquit Scriptura, Electos suos tanquam aurum in fornace probare solet, afflito jam *Jacobo* novas addidit afflictiones, efficitque, ut praecedentibus luctuosis eventibus luctuosiores succederent. At enim, *Jacobus*, post raptum filiae sue *Dine*, & injustam Sichimitarum cadem, amisit dilectissimam *Rachelem*, conjugem suam in dolore partus, id est, postquam enixa esset *Beniaminum*. Tanti vulneris, quod mors *Rachelis* cordi *Jacobi* alte fixerat, needum obducent cicatricem paulo post reficuit *Rubeni*, filii *Jacobi*, ingens cum *Bala*, una ex uxoriibus *Jacobi*, flagitium. *Rubenum* quippe non puduit dormire, & rem habere cum *Bala*, novverca sua, & patrare gravissimum peccatum, quod ipsa natura aversatur, quodque cum insigni divini numinis injurya, cum dedecore & probro coniunctum, longe gravius Patriarcham *Jacobum*, quam intempestiva *Rachelis* mors, afflixit. Accessit, matrimonium, quod *Judas*, inconsulto parente *Jacobo*, inivit in civitate *Odolla* cum filia *Chanaea*. Quod certe matrimonium ægerrime tulit *Jacobus*, qui, juxta mandatum Dei, districte prohibuerat filiis suis, ne uxores acciperent ex Gente *Chanaea*, utpote a Deo reprobata. Tandem acerbissima iactura, quam Patriarcha *Jacobus* fecit carissimi filii sui *Josephi*, quem in senectute sua ex dilectissima conjuge *Rachele* suscepserat, & quem fratres sui, invidia in illum perciti, *Ismaelitis*, seu *Madianitis* mercatoribus, vili pretio vendiderunt; hac, inquam, omnium maxima filii *Josephi* iactura *Jacobo* peccatum effudit, vulnus adegit altius, & dolorem dolore cumulavit.

D. Cedo, si placet, causam, cur *Josephus* sibi conflaverit odium & invidiam fratrum suorum?

M. Triplex hujus odii & invidiae fratrum *Josephi* potest assignari causa. Prima est, quod *Josephus* fratres suos, cum quibus pascebant gregem, accusaverunt apud patrem suum ( sicut legitur cap. 37. libri Genesis ) de criminis peccato, id est, de peccato contra naturam, vel sodomitico, ut vult *Rupertus*, vel bestialitatis, cum ovibus, quas pascebant, ut vult *S. Thomas*, quem sequuntur multi Scripturarum Sacra Interpretes. Hinc prima in *Josephum* odii fratrum ipsius origo. Alteram cautam odii & invidiae fratrum *Josephi* aperte Scriptura Sacra eodem in capite, mox a me laudato indicat his verbis: *Israel*, seu *Jacob*, diliebat *Joseph* super omnes filios suos, eo quod in senectute genuisset eum, fecitque ei tunicam polymitam ( idest, vestem ex fragmentis

alterius materiae vermiculato opere variegatam ) videntes autem fratres ejus, quod a patre plus cunctis filiis amaretur, oderant eum, nec poterant ei quidquam pacifice loqui. Quam in rem appofit ait *S. Ambrofius* cap. 2. libri, quem edidit de sancto *Josepho*. *Jacob* illum, seu *Josephum*, plus amabat, in quo majora virtutum insignia prævidebat, ut non tam filium pater pretulisse videatur, quam Propheta mysterium; meritoque variam tunicam fecit ei, quo significaret, eum diversarum virtutum amictu fratribus preferendum. Postrema causa odii & invidiae fratrum *Josephi* in ipsum fuit relatio somniorum ejusdem *Josephi*. Narravit quippe *Josephus* patri suo *Jacobo*, auscultantibus fratribus suis, ie somniasset, quod cum alligasset ( ut sibi videbatur per visum ) manipulos in agro cum fratribus suis, surrexerit manipulus ejus, & steterit erectus: conversi autem fratrum manipuli adoraverint manipulum suum. Narravit etiam *Josephus* patri suo & fratribus suis aliud somnum, dicens: *Vidi per somnum, quasi Solem, & Lunam, & undecim Stellas adorare me*. Hac innocentissimi juvenis *Josephi* ( erat enim tum temporis sexdecim dumtaxat annorum ) relatione somniorum, qua futura illius magnæ fortunæ haud obscura indicia erant, offensos se ac contemptos esse arbitrantes ejus fratres, in apertum odium eruperunt, & in ejus perniciem certatim conspirare coeperunt.

D. Ratam esse concordiam fratrum utique novi, miror tamen fratrum *Josephi* animos eo usque in juvenem illum innocentissimum fuisse exasperatos, ut in ejus venditionem consenserint. Sed perge, quælo, narrare, quo pacto facinus tam improbum & audax executioni mandaverint.

M. Jussit *Jacobus* filio suo *Josepho*, ut iret ad agrum, in quo fratres ipsius gregem pascebant, ut videret, quomodo & ipsi & pecora valerent. Praecepto patris obtemperans obedientissimus filius ad fratres suos festine advolavit. Sed heu! vix eum eminus veniente in conspexerunt fratres sui, opportunam eum perdendi occasionem nacti, in eam iverunt sententiam *Josephum* ( quem per ludibrium *somniutorem* appellabant ) in cisternam aridam demittendum esse, ut ibi fame necatus, inficio patre, periret. In hos itaque acerbissimos inimicos incidens *Josephus*, & exutus tunica polymita, qua ex amore fuerat a patre donatus, in cisternam dimisissus est. Non arrisit *Jude*, nisi e fratribus *Josephi*, tam tetrum facinus, auctorque fuit suis fratribus, ut *Josephum* ex illa cisterna retractum venderent *Madianitis*, seu *Ismaelitis* mercatoribus, hac transiuntibus, qui illum perpetua ferituti mancipatum, in *Ægyptum* deportarent. In sententiam *Jude*, manibus, pedibusque descendebant alii fratres *Josephi*, qui illum, e cisterna extractum, *Ismaelitis*, seu *Madianitis*, venderent homines illi vere ferrei, & erga fratrem suum *Josephum*, qui illos precibus ac lacrymis ad misericordiam flectere studebat, saxa ac scopulos gestantes in cordibus suis. Sed non fuit hic ultimus crudelitatis fratrum *Josephi* actus. Vestem polymitam, qua *Josephum* spoliaverant, plenisque locis data opera laceratam, & hædino

respersam sanguine ad Jacobum, eorum parentem, miserunt, quam ubi vidit bonus ille senex, exclamavit: *fora pessima devoravit filium meum Joseph*, tantoque dolore in tam gravi jaetura perculsus est, ut nullo solatio deliniri posset, quamvis ejus lacrymas abstergere conarentur ejus filii, facili consolatores.

D. Horret animus tam indignum fratrum Josephi audire facinus. Sed dicas, queso, quam fortè habuerit juvenis Josephus, a barbaris & ignotis mercatoribus in Ægyptum deportatus?

M. Juvenem Josephum, per invidiam a fratribus distractum, & in Ægyptum deductum, Putiphar, Præpositus Cubiculariorum Regis Pharaonis, ab illis mercatoribus Ismaelitis, seu Madianitis, emit, cumque vidisset ingenuam, qua pollebat juvenis Josephus, indolem, eximum mortuum ejus candorem, & eminentem in illius vultu cum liberali pudore modestiam, qua illum omnibus non minus amabilem, quam admirabilem reddiebat, illum impense amare coepit, tantique fecit, ut eum omnibus suis bonis præficeret. Domum Putipharis per decem annos sapienter atque feliciter administravit Josephus. At, cum esset pulcherrimus, juxta ac castissimus, ad stuprum a Putipharis conjugi, ipsius hera, qua ejus amore flagrabat, qua verbis, qua precibus, qua pollicitationibus, qua minis sollicitatus est, jamque adhibita manu, & apprehenso Josephi pallio, procax illa mulier Ægyptia votis suis se frumentarum sperabat, cum subito Josephus, malens mori, quam fœdari, relieto in manibus mulieris pallio, se ab ejus impudicis complexibus expedit, & repentina fuga pudicitia sua confuluit. Indoliat, supra quam dici potest, hæc impudentissima foamina, videns spes suas delusas, & prædam, cui avidissime inhabant, e manibus suis excusam. Hinc, amore in furorem converso, nihil intentatum reliquit ut perderet Josephum, & in ejus caput pœnam, quam ipsa iustissime merebatur, refunderet. Nec ei infeliciter succedit eventus. Exclamavit, voluisse Josephum vini ei inferre, retentum ejus pallium ostentavit, clamoribus questus & lacrymas, docta mentiri, miscuit: uno verbo, sic accusationem suam, ac falsam delationem mendacis adornavit, ut omne criminis suspicionem a se amolita fuerit, & Josephus, tanquam tentator herilis pudicitia, in carcere detrusus sit, fidei & innocentia sua penitus luiturus.

D. Sexum muliebrem duobus potissimum vitiis obnoxium esse probe scio. Appetit quippe placere cultu, & impatiens est injuriarum, avidusque vindictæ. Sed dicas, velim, quot annos Josephus manserit in carcere conclusus, & quo pacto inde emerserit?

M. Per triennium Josephus in carcere mansit una cum duobus Aulicis Regis Pharaonis, quorum unus ei a poculis, alter pistorum magister erat, quique ejusdem Regis iussu in carcere fuerant compacti. Horumque duorum Regis Aulicorum somnia interpretatus est Josephus, veramque ejus esse interpretationem comprobavit evenus, indeque ars Josephi somnia interpretandi per-

totum Ægypti Regnum inclauruit. Audita Josephi peritia, Rex Pharaon eum, annos tum temporis triginta natum, e carcere eduxit, & ad se accersivit, ut ab eo somniorum suorum interpretationem, quam a suis sapientibus habere minime potuerat, consequeretur. Viderat quippe Rex Pharaon inter dormiendum vaccas septem præpingues, quas alia septem vacas macilenta fecerunt. Viderat itidem Rex Pharaon septem spicas plenis folliculis, quas septem alia spicæ tennes, & ureidine afflatæ, consumpsérunt. Quid sibi vellent hæc somnia, aut quid augurarentur, nescius Rex Pharaon, Regni sui sapientes, seu Magos Ægypti, accivit, sed cum illis hæreret aqua, eosque plane desiceret ars quidquam ei his somniis Regis ariolandi, Josephus, vinculis solutus, somnia Regis Pharaonis de septem annis ubertatis, abundantiaz, & saturitatis, quos alii totidem anni favis, & sterilitatis exciperre debebant, actutum exposuit, dono Prophetiaz a Deo illustratus, auctorque fuit Regi Pharaoni, ut per illos septem ubertatis annos, qui septem sterilitatis annos antevertente debebant, omnem darem operam procurandi annonam, contra penuriam, & famam venturam. Hanc somniorum suorum genuinam interpretationem cum a Josepho accepisset Rex Pharaon, eum, plaudentibus omnibus Aulæ Proceribus, ad summam totius Regni Praefecturam provexit, idest, Proregem Ægypti instituit, eique administrationem universi Regni sui concredidit. Cœperunt septem anni ubertatis, quos prædixerat Josephus, per quos ingentem annonæ copiam comparavit, & in horrea cum maxima sollicitudine converxit. At, septem illis annis ubertatis successerunt septem anni sterilitatis & famis, per quos Josephus non modo totum Ægyptum singulare providentia sublevavit, sed etiam aliis Regionibus, in quibus longe, lateque grassabatur famæ, alimenta copiose suppeditavit. Jacobus, pater Josephi, fame id temporis pressus, decem filios suos pro habenda annona in Ægyptum misit, qui, cum illuc appulissent, totam familiaz susseriēt coram Josepho, fratre suo, texentes, Beniamini, fratris sui domi relicti, mentionem fecerunt. Fratres suos cognovit puidem Josephus, sed Beniaminum, fratrem suum, ex eadem matre Rachele natum, videndi percupidus, de industria diffimalavit, illos a se cognosci, immo verbis male exceptit, exploratores Ægypti eos appellavit, & in carcere detrudi iussit, nec ab eo fuerunt dimissi, nisi prius consenserint, ut Josephus retineret in vinculis, tanquam vadem, & obsidem Simeonem, fratrem natu maximum ex his, qui in venditionem Josephi conjuraverant, & simul promisissent, se reddituros, & secum ad Josephum adducturos Beniaminum, fratrem suum minimum. His legibus, duris licet, obtemporantes fratres Josephi ad patrem suum Jacobum reveri sunt non levem ferentes frumenti copiam, una cum ejusdem pretio, quod dederant, quodque Josephus, fratribus suis insciis, in ipsorum faccis, seu sarcinis inseri, ac occludi præceperat.

D. Antequam in Historia Josephi ulterius progressa-

grediaris, solve, queso, Dubium, quod mox subiit animum meum, videlicet, quomodo potuerit *Josephus* citra mendacium appellare fratres suos *Exploratores Aegypti*, quos tamen probe sciebat non esse exploratores, sed eo dumtaxat fine in Aegyptum venisse, ut frumentum emerent, imperante parente, simul, & urgente fame?

M. Fratres suos *Josephus* vocavit *Exploratores*, non ut testis affirmans, sed ut Judex interrogans. Solemne quippe est judicibus reos hac loquendi forma abque mendacio interrogare: *Tu es fur?* quod licet prima fronte, & quantum ad loquendi formam, quādam affirmatio videatur, reapse tamen mera interrogatio est; & in tali sensu fratres *Josephi* id acceperunt, statim negantes, quasi respondendo interroganti, non contradicendo affirmanti: *Non est ita Domine, sed servi tui venerunt, ut emerent cibos.* Hæc autem cruda fratrum *Josephi* negatio, si ad affirmantem referretur, haud mediocrent injuriam irrogasset *Josepho*, quem, neicum sibi cognitum, & in speciem iratum, fratres ipsius non verbis exasperare & offendere, sed potius officiis & obsequiis demererri, sibique propitium reddere summopere studebant. Præterquam quod crediderim cum S. August. hanc simulationem *Josephi* cum suis fratribus non fuisse veram, sed tantum jocosam simulationem, qua illos adigere voluit, ut ei de statu, in quo pater *Jacob* versabatur, & de his, *Beniaminum*, fratrem uterinum, spectabant, vera narrarent.

D. Liberaruntne fratres *Josephi* fidem quam ei dederant, se ad illum adducturos *Beniaminum*, fratrem suum minimum?

M. Ad parentem *Jacobum* reversi fratres *Josephi* copiosam, quam ex Aegypto advexerant, annonam ei dederunt, simul & tristissimum nuncium de revellendo ab ejus amplexibus *Beniamino*, quem pater plus suis oculis diligebat. Tam acerbam separationem ferre haud poterat bonus ille senex, quod ei renovaret dolorem, quem *Josephus*, paucos ante annos perditus, cordi ejus alte inusserat, nec adhuc contorquere potuerat. Quocirca, filiis suis, ut pomissis suis starent, tam tristem separationem ei suadentibus, surdum se præbebat, nec *Beniamino*, corculo suo, & baculo senectutis suæ, carere volebat. Attamen, sive ob urgentem famem, sive ad libertate donandum filium suum *Simeonem*, quem sciebat, vinculis in Aegypto esse detentum, tandem aliquando *Jacob*, volens nolens, permisit filii suis, ut *Beniaminum*, ingenti lacrymarum suarum copia perfusum, deducerent in Aegyptum. Huc iterum adventantes fratres suos, & secum referentes repertum in fassis suis prioris tritici pretium, summa benevolentia, lautoque convivio exceptit *Josephus*; sed præcipue *Beniaminum*, quem in delicitis habebat, utpote fratrem suum uterinum, singularis amoris significatione prosecutus est, laetisque omnes ad patrem cum pecunia, quam denuo singulis restitui jussit, sicut prius remisit, postquam Scyphum suum, in quo vaticinabatur, in sarcinula *Beniamini* condi imposset. At, vix itineri se dederant *Josephi*

fratres, paucaque emensi essent stadia: cum ecce subito a satellitibus, a *Josepho* de industria missis, invaduntur, furti insimulantur, &, excusis singularum fassis, inventus est in sarcinula *Beniamini* scyphus *Josephi*, Aegyptiorum Proregis. Quo factum est, ut, absque mora, satellites compulerint illos, tanquam publicos grastatores, & de Prorege Aegypti pessime meritos, ut sua relegent vestigia, in urbem redirent, & coram Prorege Aegypti se sisterent, qui in illos debitum poenam esset animadversurus. Hoc inopinato cau, tanquam repentini fulminis ictu perculti fratres *Josephi*, recta pergunt ad Proregem Aegypti, &, abjectis in terram corporibus, veniam ab ipso precantur, omnibus poenis dignos feso ultero profitentes. Ad hæc respondit *Josephus* se unum dumtaxat ex illis, *Beniaminum* videlicet, latrunculum suum, punire velle, ac detinere sibi deinceps famulaturum, cæteris vero fratribus, utpote innocentibus, nullum negotium facesse velle, sed potius eis jubere, ut cœpta via pergerent ad patrem. Hæc cum audissent fratres *Josephi*, afflictis humi vultibus in lacrymas proruperunt, Proregi significantes, se ad patrem suum abisque *Beniamino* redire haud posse, & *Beniamini* in Aegypto detentionem omni proculdubio mortem illatram parenti *Jacobo*, jam capulari seni, qui filium suum *Josephum*, fratrem uterinum *Beniamini*, aliquot ante annos deperditum, etiamnum lugebat, ejusque dolor in dies ingravescens nullo solatio poterat deridiceri. Hic *Josephus*, Prorex Aegypti, a lacrymis, quas haec tenus cohibuerat, temperare amplius non potuit, &, ablegatis famulis suis, palam *Josephum* se esse, & fratrem ab illis venditum voce patria prodidit, trepidantes fratres suos crexit, confirmavit, iussitque ut bonis animis essent, quia Deus eum præmisserat in Aegyptum, ut illorum, multorumque saluti confuleret. Denique, accidente consenu Regis Pharaonis, præcepit fratribus suis *Josephus*, ut festinarent, & acceptis curribus ac jumentis revolarent ad parentem *Jacobum*, eumque cum suis omnibus adducerent in Aegyptum. Venerunt itaque fratres *Josephi* ad parentem *Jacobum* in Terra Chanaña degentem, & nunciaverunt ei, dicentes: *Joseph, filius tuus, vivit, & ipse dominatur in omni Terra Aegypti.* Quo audio, *Jacob* ait: *Sufficit mihi, si adhuc *Joseph*, filius meus, vivit, vadam.* & video illum, antequam moriar, Gen. cap. 45. Tunc *Jacobus*, ingenti lætitia gestiens, ad longum licet, & laboriosum iter se confessim accinxit, venitque in Aegyptum cum omnibus filiis suis, nepotibus, & cuncta progenie, quorum nomina locuntur cap. 46. lib. Genel. & sunt numero septuaginta: *Omnis anime domus Jacob*, que ingressa sunt in Aegyptum, fuerit septuaginta.

D. Hæc, quæ de *Josepho*, & de descensu *Jacobis* in Aegyptum hic usque dixisti, duas milii ingrerunt difficultates, quas hic cum bona tua via via proponam. In primis, narrasti, *Josephum* præcepisse, ut in sacculo *Beniamini* junioris fratris sui, reconderetur scyphus, quo ille ad augurandum, seu vaticinandum utebatur, & cap. 46. libri

bri Genesis legitur, dispensatorem domus *Josephi*, postquam fratres ejus ad patrem *Jacobum* redeuntes, in via fuisse ascetus, sic illos esse allocutum: *Quare reddidisti malum pro bono? scyphus, quem furati esis, ipse es, in quo bibit Dominus meus, & in quo augurari solet.* Explica, quæso, quænam esset illa augurandi scientia, qua pollebat *Josephus*, & utrum illam ab Ægyptiis didicisset, vel Dei speciali infundentis beneficio eam accepisset? Altera difficultas sita est in numero illorum, qui cum *Jacobo* descenderunt in Ægyptum. *Mosyes* enim, sicut observasti, ait cap. 46. libri Genesis, *Omnes animas domus Jacob, quæ ingressæ sunt in Ægyptum, fuisse septuaginta:* Et tamen S. Lucas cap. 7. ver. 14. lib. Actuum Apostolorum sic inducit Sanctum Stephanum loquentem in Concilio Judeorum: *Mittens autem Joseph accersivit Jacob patrem suum, & omnem cognationem suam in animabus septuaginta quinque.*

M. Ut duabus hisce propositis difficultibus faciam satis, a prima exordium ducam, quam ut clarius diluere possim, debes in primis observare Ægyptum, ut omnis Idolatriæ fontem, atque superstitionum, ita omnis Magiæ, atque divinationum multiplicium caput factam, atque securiginem extirpe, indeque ad Græcos, Romanos, Indos, Japonenses, Americanos, & ad alios populos dimanasse Idolatriam, variaque per artem diabolicam ariolandi, seu augurandi, ac divinandi genera. Præterea, observare debes, Patriarchas ante & post Diluvium ab omnibus Magiæ superstitionum, & diabolicarum divinationum speciebus omnino abhorruisse. Erant enim viri, fide, religione, & pietate in Deum quam maxime conspicui, nihil plane cum diabolo, ejusque instrumentis commercii & negotii habentes, sed soli divino cultui, quem ad posteros transtulerunt, addictissimi. His observationibus hunc in modum præmissis, censeo artem, & scientiam divinandi, qua *Josephus* in Ægypto pollebat, fuisse propheticam, ipsique cælitus infusam. Id manifesto comprobant non solum tot scientia vere cælestis, qua in Ægypto donatus est *Josephus*, experimenta, præferunt in quatuor somniorum interpretatione, & futura tum fertilitatis, tum sterilitatis prædictione edita, verum etiam egregiæ, & aliorum captum longe superantes animi dotes, quibus plenissime instructus, atque exornatus *Josephus*, vulgo vir divinus in Ægypto audiebat. Addo denique *Josephum* (sicut patet ex totius illius vita conversatione, qua in sacra Historia describitur) speciali quadam Spiritus Sancti inhabitatione atque assistentiæ fuisse condecoratum, & eodem Spiritus Sancti lumine, quo erat ipse assulitus, rerum atque factorum causas, & circumstantias primo statim intuitu sese offerentes, penetrare, accurate cuncta, & adamassim examinare, de eisdem recte, & citra ullum erroris periculum judicare, atque ratiocinari, somnia interpretari, & futura pradicere potuisse. *Josephus* itaque hanc artem & scientiam, quam habuit, divinandi, non didicit ab Ægyptiis, Magiæ, superstitionibus, variisque diabolicarum di-

vinationum generibus addicis, sed illam accepit a Deo, qui ejus mentem Prophetæ dono illuminavit. Sed de prima difficultate haec tenus satis. Ab altera vero, quam proposuisti, difficultate breviter me expedio, dicendo, Evangelistam *Lucam* in describendis Actis Apostolorum secutum fuisse Versionem lxx. Interpretum, in qua inter animas, quæ cum Patriarcha *Jacobo* ingressæ sunt in Ægyptum, numerantur quinque nepotes *Josephi*, seu quinque filii *Manassis*, & *Ephraim*, videlicet *Machir*, *Galaad*, *Sutalam*, *Taam*, & *Edem*, quos quinque *Josephi* nepotes prætermisit in Textu Hebreo *Mosyes*, enumerans subinde septuaginta dumtaxat animas, quæ ingressæ sunt in Ægyptum, cum tamen S. Lucas, sequens Versionem lxx. Interpretum, percensat animas septuaginta quinque. Quod si dicas hos quinque *Josephi* nepotes non potuisse per anticipationem ab Evangelista *Luca* numerari, nec vere dici ingressos in Ægyptum, cum ibi nati sint; respondebo ipse, tam vere S. Lucas numerasse inter animas, quæ ingressæ sunt in Ægyptum, quinque illos *Josephi* nepotes, tametsi in Ægypto natos, quam *Mosyes* in Textu Hebreo numeraret inter animas, qua cum *Jacobo* descenderunt in Ægyptum, duos filios *Josephi*, scilicet *Ephraim*, & *Manassem*, quos tamen in Ægypto natos esse tam certum est, quam quod maxime. Præterea cap. 46. lib. Gen. *Mosyes* recensendo nomina eorum, qui cum Patriarcha *Jacob* descenderunt in Ægyptum, numerat *Beniaminum* & decem ejus filios. Non poterat autem *Beniaminus*, quando descendit in Ægyptum, esse pater decem filiorum, quia *Beniaminus*, quando ingressus est in Ægyptum, natus erat dumtaxat annos viginti tres, sicut proclive est demonstrare ex Scriptura Sacra, & ex contentu omnium Scripturarum Interpretum. At, cui verisimile sit, *Beniaminum*, etiam si a prima pubertate cœpisset precreandis liberis operam dare, genuisse quot annis prolem, eamque vitalem semper, & nullas in ea filias fuisse, nihilominus habuisse filios decem ante annum ætatis suæ vigesimum tertium? Verosimilius itaque est, *Beniaminum* habuisse quidem decem filios, quorum aliquot genuit, antequam cum patre suo *Jacobo* descendaret in Ægyptum, alios vero genuit in Ægypto. *Mosyes* autem ait, *Beniaminum* descendisse in Ægyptum cum decem filiis, non quod velit sacer ille Scriptor, decem illos *Beniamini* filios descendisse in Ægyptum in sua persona (quidam enim ex his decem necdum erant nati) sed *Mosyes* dumtaxat innuit, quosdam ex his decem filiis *Beniamini* descendisse in sua persona cum patre in Ægyptum, quosdam vero ex his decem filiis descendisse in Ægyptum, non in sua persona, sed in lumbis patris sui *Beniamini*, in quibus adhuc latitabant, eosque natos esse in Ægypto.

D. Quot anni interfluxerunt a vocatione *Abrahami*, idest, ab eius egressu ex *Haran* in Terram Chanaan, usque ad ingressum Patriarchæ *Jacobi* in Ægyptum? Et quot annos in Ægypto vixerunt Patriarcha *Jacob*, ejusque filius *Josephus* post descensum Israëlitarum in Ægyptum?

M. *Abra-*

M. Abrahamus, quando vocatus est a Deo, & exivit ex *Haran*, ut veniret in Terram Chanaan, natus erat annos septuaginta quinque, dum autem centesimus etatis sua annum attigisset, hoc est viginti quinque annis postquam exiisset ex *Haran*, & venisset in Terram Chananam, genuit *Iaacum*. Nam centenarium fuisse *Abrahamum*, quando genuit *Iaacum*, legimus cap. 17. vers. 17. & cap. 21. vers. 5. lib. Genesis. Porro *Isaacus*, dum genuit *Jacobum*, natus erat annos sexaginta, sicut legimus cap. 25. vers. 26. lib. Genesis. Denique, quando *Jacobus* in *Egyptum* descendit, erat annorum centum triginta, ut ipsem Regi *Pharaoni*, eum interroganti, quot annos natus esset, dum venit in *Egyptum*, respondit, dicens: *Dies peregrinationis meæ, centum triginta annorum sunt*, libri Genesis cap. 47. vers. 9. Facta igitur per partes horum annorum suppatione coalescet summa annorum ducentorum, & quindecim; qui interfluerunt a vocatione *Abrahami*, seu ab ejus excessu ex *Haran* in Terram Chanaan, usque ad ingressum Patriarcha *Jacobi* in *Egyptum*. Vixit autem *Jacobus*, postquam cum suis filiis intrasset in *Egyptum*, annis septem decim, ut liquet ex cap. 47. v. 27. libri Genesis, ubi *Jacobus* mortuus dicitur anno etatis sua centesimo quadragesimo septimo. Venerat autem *Jacobus* in *Egyptum* annos natus centum triginta, sicut mox dicimus, ex quo evidenter consequitur eum vixisse dumtaxat in *Egypto* annos septendecim. Quod spectat annos per quos *Josephus* vixit in *Egypto*, postquam pater ipsius *Jacob* cum tota familia ingressus est in *Egyptum*, facile hoc pacto putari possunt. *Josephus* quando ipsius pater *Jacobus* venit in *Egyptum*, annum agebat quadragesimum, & moriente patre *Jacobo*, annum agebat etatis sua quinquagesimum septimum. A morte autem *Jacobi* usque ad mortem *Josephi*, elapsi sunt quinquaginta tres anni; nam *Josephus* annos natus erat centum & decem, cum diem ultimum clausit, sicut legitur cap. 50. v. 22. & 25. lib. Genesis. Porro, si ex his centum & decem annis vita *Josephi* detrahantur septendecim anni, quos habebat *Josephus*, quando, a fratribus suis venditus mercatoribus *Imaelitis*, seu *Madianitis*, fuit in *Egyptum* deportatus, invenietur *Josephum* vixisse in *Egypto* annos nonaginta tres, a tempore vero, quo pater ipsius *Jacobus* migravit in *Egyptum*, eum vixisse annos septuaginta. Erat enim *Josephus* annos natus quadragesima, quando pater ipsius *Jacobus* venit in *Egyptum*, & mortuus est *Josephus* annos habens centum & decem, sicut perhibet Scriptura Sacra, ex quo plane sequitur, *Josephum* vixisse annos septuaginta in *Egypto*, postquam pater ipsius *Jacobus* cum suis filiis venit in *Egyptum*, ut ibi suum figeret domicilium.

D. Fueruntne *Israelite*, qui una cum Patriarcha *Jacobo* descenderunt in *Egyptum*, bene excepti a *Pharaone*, *Egyptiorum* Rege, & a *Josepho*, Prorete *Egypti*?

M. *Israelite*, qui una cum Patriarcha *Jacobo*, in *Egyptum* sunt ingressi, magnifice a *Pharaone*, Rege *Egypti*, & a *Josepho*, Prorete *Egypti*, fuerunt suscepiti, & collocati in terra *Gessen*, quæ

*Hist. Vet. Test. Tom. II.*

ipfis, utpote vitam pastoritiam agentibus, pascerendo pecori aptior erat, illosque veri Dei cultores, ab *Egyptiis*, Idololatriæ addictis disjungebat (a). Diu in hac Terra *Gessen*, soboles Patriarchæ *Jacobi* habitavit, & majora in dies incrementa coepit. Quod *Aegyptii*, sive invidia, sive metu extimulati, cum ferre minime possent, *Israelitas* intolerabili servitutis jugo, sicut legitur cap. 1. libri *Exodi* opprimere tentarunt. Infestum istud *Aegyptiorum* confilium diserte describit *Flavius Iosephus*, *Hebreus*, cap. 9. lib. 2. Antiq. Jud. juxta *Rufini* translationem, his verbis: *Cum enim Iosephi (Proregis Aegypti) memoriam tempus obliterasset, Regnumque Aegypti in aliam demigrasse familiam, inhumane tractabant Iraelitas, & variis laboribus atterebant. Nam & flumen in multas fossas deducere sunt iussi, & maria exedificare, & aggres exstruere, quibus inundationes fluminis arcerentur. Pyramidum etiam insanis substructionibus vexabante gentem nostram, cogendo varias artes ediscere, & laboribus ferendis adiuvescere. At, cum videret Aegyptiorum Rex, Israelitas, quibus erat exosus, opressos licet gravissimis laboribus, magis ac magis, Deo sic volente, multiplicari, perdere mares omnes Israelitas, recens natos, decrevit, idque molitus est per obstetrics Aegyptias, a quibus cum se se officioso mendacio delulum intellexisset, ira excandescens ferale promulgavit Edictum, de mergendis Nilo, flumine, omnibus infantibus *Judaicis*, exceptis feminis. Sed irritum plane & evanidum fuit istud Regis Edictum, cum id temporis natus sit in Aegypto *Moyses*, quem ex aqua, quibus, juxta Regis Edictum, fuerat expositus, singulari beneficio liberavit Deus, quemque ad asserendos Israelitas e captivitate Aegyptiaca in proximam libertatem destinavat.*

(a) „ Ubi locorum sita esset terra *Gessen* in certum est. Septuaginta collocare videntur in Nomo Arabico; habent enim in terra *Gessen* Arabiæ, sed ali melius ex voce *Hebraæ*, quam legisse in suis Codicibus Septuaginta visi sunt, reddi censem terra pluvie, idest in inferiori *Egypto* ubi pluit, cum in superiori imbris sint fere nulli, ut ex itinerario *Thevenotii* lib. 11. cap. 71. discimas. In itinerario *Shaw* *Gessen* portio est tractus *Heliopolitani* in littore Nili prope *Heliopolim*, quæ terra est Nomo Arabiae *Egypti* contermina, eademque non procul jacebat a *Memphi*. Vid. T. 2. pag. 26.

D. Describe hic, quæso, vitam *Moysis* ab ejus ortu usque ad exitum *Israelitarum* ex *Egypto*.

M. *Moyses*, cuius meminere multi non modo sacri, sed prophani Scriptores, natus est in *Egypto*, ac illustres parentes habuit, genere, virtuteque præstantes. Pater illi fuit *Amram*, filius *Caat*, nepos *Levi*, pronepos *Jacobi* sicut legitur cap. 6. vers. 18. & 20. lib. *Exodi*. Mater vero ejus fuit *Jocabed*, neptis *Levi*, & *Amrae* contubrina, ut patet ex eodem Scriptura Sacra loco, mox a me laudato. Infantulum *Moysen* ac recens natum, domi cum maxima follicitudine, ut periclitanti ejus vita consulerent, per tres menses occultarunt parentes. Sed veriti, ne ferente regia in pueros *Hebraeorum* inquisitione,

fibi multisque Israëlitis ultimum in Aegypto extermínium accerserent, si diutius contra Edictum Regium puerulum Moysem celarent, illum misere comploratum ad Nili fluminis ripas expouerunt inter juncos, ne a flumine abripereatur, in fiscella scirpea, seu in cymbula, vel arcula ex papyro formata, & pice oblita, ut moris erat apud Aegyptios. Maria, soror Moysis, puella decem aut duodecim annorum grandiscula, eminus respiciens futuram fratris sui fortem tacita expectabat, a matre sua Jocabeda quid factò opus esset edocēta: Ea sic excubante puella, ecce filia Pharaonis Regis Aegyptiorum cum ancillis suis ad lavandum, purificandumque corpus venit ad fluvium, videntque puerulum aquis expositum, visumque afferri iussit, totumque a capite ad calcem inspectum, vultu decoro, totiusque corporis forma probata, misereri coepit, & quasi maternum induere afferat. Hæc ubi vidit Maria, soror Moysis, quæ in excubib⁹ erat, protinus accurrit ad filiam Regis Pharaonis, eique jam deliberanti de educatione pueruli istius (quem Hebraeū esse ex circumcisione statim cognoverat) promisit, se conducturam pueroram Hebraeām, quæ puerulo lac propinaret, & ejus curam haberet; cumque consensum filiæ Regis Pharaonis facile obtinuisse, suam & Moysis matrem, tanquam prorsus alienam adduxit, cui puerulum laetandi, & educandi provinciam demandavit filia Regis Pharaonis, adoptavitque in locum filii hunc a se repertum infantulum, Moysis nomen imposuit, quod de aqua tulisset eum. Lingua enim Aegyptiaca Mos aquam, is, vel ises, servatum significat. In Aula Aegyptiaca Moyses, procurante filia Regis Pharaonis, quæ illi instar matris erat, nutritus, & educatus est, omnemque Aegyptiorum sapientiam, ut ait Scriptura Sacra, fuit plenissime edocitus, quod quidem tamē non sic intelligendum est, quod Aegyptii fuerint ante Moysen sapientæ, seu artium & scientiarum inventores (sicut, post Marshamum, Hæreticum Anglum, perperam nonnulli pertendunt) sed quod Patriarchæ Abrahamus, Jacobus, & Josephus, qui in Aegypto permanerunt, vera sapientia, seu Artium & Scientiarum notitia, quam a suis Majoribus accepterant, Aegyptios, discendi cupidos, iam informaverant, sicut docet S. Augustinus, lib. 18. De Civitate cap. 39.

D. Quot annos Moyses mansit in Aula Aegyptiaca Regis Pharaonis?

M. Per quadraginta annos Moyses vixit in Aula Aegyptiaca Regis Pharaonis, quibus exactis, aulam reliquit, seque palam gente Hebraeū professus, venit ad suos fratres, id est, gentiles Iosu Hebreos, ut illos variis calamitatibus in Aegypto iactatos, & tantum non oppressos, ad patientiam, & in spem meliorum temporum erigeret. Sed cum vidisset Moyses Aegyptum quendam, qui conviciis & plagis Iudeum immerentem male multabat, in percussorem irruit, eumque occidit. Quod cum Regi Aegyptiorum innotuisset, pœnamque metueret Moyses, in Madianitudem protinus fugit, ubi filiam Jethro, dictam Sepha-

rem, duxit uxorem, & per quadraginta annos in Madiam pastorem egit. Sed cum attigisset annum ætatis suæ octuagesimum, & in monte Oreb, qui etiam dictus est mons Sinai, pasceret gemmæ loceri sui Jethro, apparuit ei Angelus in ardente Rubo, eique, nomine Dei loquens, præcepit ut iret ad Pharaonem Aegyptiorum Regem, & captivos in Aegypto Israëlitas in libertatem vindicaret. Moysi, hanc difficilem Provinciam suscipere eo potissimum nomine detrectanti, quod blasphæmus esset, & impeditioris lingue, adjunctus est comes Aaron, ipsius frater, vir facundus & eloquens. Sese itaque ad iter accingunt Moyses & Aaron, in Aegyptum ingressi sunt ambo, Regem Pharaonem adeunt, Mandatum, sibi a Deo datum, de Israëlitis e servitute Aegyptiaca liberandis, ei exponunt, & ad faciendam fidem Moyses, virgam, quam præ manibus tenebat, mutavit in draconem, seu in serpentinam, qui statim devoravit illos serpentes, in quos ministerio dæmonum virgas suas converterant Magi, seu Præstigiatores Aegypti, quorum Principes fuisse Joannes & Mambrem, docet Apostolus Paulus Epist. 2. ad Timoth. cap. 3. v. 8. Hæc signa quæ isti Magi coram Rege Pharaone ediderant, fuisse meritas præfigias füte ostendit Augustinus Calmet, Benedictinus, in Dissertatione De miraculis, quam præfxit suo Commentario literali in librum Exodi, & in qua certas præscribit Regulas, vera miracula a falsis secernendi.

D. Tam insigne prodigium a Moysi per virgam editum compulitne Pharaonem, ut dimitteret Israëlitas ex Aegypto?

M. Nequaquam, sed potius induratum est cor Regis Pharaonis, quod vidisset, magos suos simile lignum fecisse, parum cogitans, quod serpens, in quem Moyses suam virgam, divina ope fretus, verterat, devorasset illos serpentes, in quos Magi Aegypti ministerio dæmonum suas virgas committaverant. Cum igitur Regis Pharaonis animus, nec signis, nec verbis molliri, flecti, ac subiugari posset, tandem a verbis ventum est ad verbera, seu plagas, quibus Deus per Moysen percussit totum Aegyptum, induxitque Regem Pharaonem, tot plagiis attritum, ut, volens nolens, Israëlitas dimitteret ex Aegypto.

D. Percense, quæ illas plagas, quibus Deus per Moysen percussit Aegyptum, & quibus tandem aliquando dominus Rex Pharaon, Hebreos dimisit ex Aegypto.

M. Plagas istas ad decem revocat Scriptura Sacra. In prima. Nilus universus versus est in sanguinem. Secunda plaga fuit incredibilis Ranarum, & Buffonum copia, quæ per totam Aegyptum confestim sparsa est. Tertia plaga fuit produc̄tio Ciniphum, quos alii putant esse pediculos, alii pulices, alii culices. Utut sit, agnoverunt Magi in hac plaga divinam virtutem & operationem, dicentes: *Digitus Dei est hic.* Quarta plaga fuit produc̄tio Muscarum, quæ alis obstrepebant, proboscide pungebant, morsu aculeum alte infigebant, contactu omnia contaminabant, & sedentibus, ambulantibus, cubantibus infestæ ac molestissimæ erant. Quinta plaga fuit pe-

His animalium. Sexta plaga fuit Lues, quæ per-  
vasit quoque homines, inducens ulcera, ardore,  
& sanie turgida ac tumentia. Septima plaga fuit  
grando, quæ permixta fulguribus arbores omnes  
excusit contrivitque. Octava plaga fuit incredibili-  
lis locustarum multitudo, quæ quidquid ex grandine  
supererat, depasta est. Nona plaga fuit den-  
sitas tenebrarum, quæ per totam Aegyptum efflu-  
sa, adeo cæcæ erant, ut nec ignibus, nec faci-  
bus accensis dissipari possent; adeo crassæ, ut sen-  
tiri, palparique viderentur. Decima denique pla-  
ga, quæ divinis in Aegypto flagellis colopho-  
nem imposuit, est strages omnium primogenitorum  
tam hominum, quam animalium, facta ab  
Angelis exterminatoribus, qui foliis perpercerunt  
Hebreis, qui moniti a Moyse superliminaria  
domorum suarum intinxerant sanguine Agni Pa-  
schalis, quem solemni ritu manducaverant. Ea-  
dem igitur nocte, qua Angeli exterminatores  
omnes primogenitos, in domibus, quarum por-  
ta sacro carebant cruento, occiderunt, turma-  
tim convenerunt Aegypti, compellentes He-  
breos, ut suum ex Aegypto maturarent di-  
cessum, tantusque fuit Aegyptiorum timor,  
ut in his temporum angustiis oblii sunt repe-  
tere ab Hebreis Vasa aurea, argentea, alia-  
que id genus pretiosa monilia, quæ Hebrei  
pridie quam discederent, ab illis mutuati fuer-  
ant, & quibus onus ex Aegypto abierunt. Hoc  
pacto Israelitæ omnes solipes & incolu-  
mes ad sexcenta viorum millia cum suis coniungi-  
bus & liberis excesserunt ex Aegypto in qua per-  
ducentos & quindecim annos ab ingressu Patriar-  
chæ Jacobi hæserant. In hac profectione Populi  
Israeliticæ ex Aegypto ostendit virtutem sue Ma-  
jeftatis Deus. Nam, præter quam quod fugienti-  
bus Hebreis, præfentissimam in via opem tulit  
per columnam, quæ noctu lucida erat, ut eos il-  
lustraret, interdiu vero erat opaca, ut illos ab a-  
flu vindicaret: trajecit etiam Deus Hebreos me-  
dio mari rubro, precedente Angelo, & scindente  
aquam, ut Populus Israeliticus per siccum gradii  
posset, quem verius ( ut ait Poeta ) Curvata in  
montis faciem circumfleuit unda. Denique, Deus,  
qui haecnus sustinuerat in multa patientia Aegyptios,  
tanquam vasa iræ apta in interitum,  
Pharaonem, Aegyptiorum Regem, cum magna suo-  
rum manu Israelitas infecutum, & rubrum mare  
adhuc patens temere ingressum, coenitibus pro-  
tinus aquis, cum omni exercitu ita delevit, ut  
ne unus quidem tantæ cladis nuncius fuerit su-  
perfites.

D. In hac Israelitarum profectionis ex Aegy-  
pto compendiosa, quam texuisti, narratione plu-  
res invenio difficultates. Prima est; quorsum Moy-  
se præceperit Hebreis, ut, ante suam ex Aegy-  
pto egressionem, tam solemni ritu comedenter A-  
gnum Paschalem? Altera difficultas est, quomodo  
fieri potuerit, ut Israelita per ducentos dum-  
taxat & quindecim annos, per quos ab obitu Ja-  
cobí manerint in Aegypto, ita multiplicati ac  
propagati sint, ut, dum ex Aegypto exierunt,  
cenia sint sexcenta millia Israelitarum, cum ta-  
men sacer Textus Hebreus percenseat septuaginta

tantum animas, que una cum Patriarcha Jacobo  
ingressa sunt in Aegyptum? Tertia difficultas  
est, quo pacto sexcenta illa millia Israelitarum  
pedimentum, seu virorum bellatorum, intra tam bre-  
ve temporis spatium, quod illis ab Aegyptiis ad  
descendendum ex Aegypto concessum fuit, potue-  
rint congregari, & in unum locum simul conve-  
nire, atque composita exercitus ordinatione ex  
Aegypto discedere? Quarta difficultas est, an pec-  
caverint Israelita, qui, ex Aegypto proficisci-  
tes, Vasa aurea & argentea, aliaque id genus,  
quæ eis commodaverant Aegyptii, secuti abstulerunt,  
hisque Aegyptios spoliarunt? Has qua-  
tuor difficultates optarem quidem, ut hic diluci-  
de explanare, sed veritus, ne longius quam par-  
sit, nostrum protrahatur Colloquium, consutius  
esse doço, ut earum examen ad proximum, quod  
habebimus, Colloquium remittamus. Hoc u-  
num igitur dumtaxat sub finem hodierni no-  
strri Colloqui a te scire percupio, num scilicet  
Historici Prophani, præfertim Aegyptii, aliquam  
de Israelitarum in Aegyptum ingressu, & de eo-  
rundem ex Aegypto exitu mentionem fecerint,  
nomenque exprefserint illius Aegyptiorum Regis,  
sub quo contigit hæc Israelitarum ex Aegypto pro-  
fectio?

M. De ingressu Israelitarum in Aegyptum, &  
de illorum ex Aegypto exitu non pauca referunt  
Scriptores Prophani, potissimum Aegyptii, ni-  
mirum Manetho, Lishmachus & Chæremos, quo-  
rum testimonia citat Josephus Hebreus, in libro  
primo contra Apionem. Verba Manethonis sic Jo-  
sephus ibidem exscribit: Fuit nobis Rex, Ti-  
meus nomine ( inquit Manetho ): sub hoc Rego ne-  
scio quomodo Deus iratus fuit, & preter spem ex  
partibus Orientalibus homines genere ignobiles,  
addepta fiducia, in Provincia castra metati sunt, fa-  
cile ac sine bello eam potenterque ceperunt, & Prin-  
cipes ejus alligantes, de cetero civitates crudeliter  
incendere, & Deorum Templa evertere ... Vocabu-  
tur autem illa gens Hycos, hoc est, Reges Paf-  
tores. Hyc enim secundum sacram linguan ( seu Aegyptiacam ) Reges significat: Sos vero Pastorem,  
sive Pastores, secundum communem dialectum, &  
ita compositum inventitur Hycos. Quidam vero  
dicunt, eos Arabas esse. In aliis vero Exemplari-  
bus non Reges significari compcri per appellatio-  
nem Hyc, sed e diverso capti vos declarare Paf-  
tores. Hyc enim Aegyptiaca Lingua capti vos aperte  
significat, & hoc potius verisimile mihi videtur, &  
Historie antique converiens. Hos ergo, quos prædi-  
ximus Reges, & eos, qui pastores vocabantur,  
& qui ex eis fuere ( loquitur nunc Josephus )  
obtinuisse Aegyptum, ait Manetho, annis unde-  
cim & quingentis. Post hæc autem idem Ma-  
netho dicit, Regum Thebaidis, & Aegypti reli-  
qua factam esse super Pastores invasionem, &  
bellum maximum & diuturnum eis illatum. Sub  
vero Aegyptiorum Rege, cui nomen erat Alis-  
fragmuthosis, victos dicit Pastores, & inclusos  
in loco, cui nomen erat Avaris, filium au-  
tem Regis Alisfragmuthoseos, dictum Themosim  
conatum esse hos Pastores, inclusos in eo loco,  
dictio Avaris, quem, ut ait Manetho, maximus

muro atque robustissimo circumdederant Pastores, vi, inquam, conatum esse Regem Aegyptiorum *Themosim* illos expugnare, sed cum Rex obſidium desperasset, pacta cum eis fecisse, ut Aegyptum relinquentes, quo vellent innoxii abirent, illos vero, seu Pastores, his promissionibus impetratis, cum omni domo & possessionibus non minus ducenta quadraginta millia numero ex Aegypto per desertum in Syriam iter egiſſe, & in terra, qua nunc Iudea vocatur, civitatem ædificasse, qua tot millibus hominum sufficere posset, eamque Hierosolymam vocatæſſe. Hæc, & alia ex *Manethone* exſcribit *Josephus*, ex quibus, illos Pastores in Aegypto, de quibus loquitur *Manetho*, quoſque *Hycos* vocat, non alios fuſſe quam Israelitas, qui cum Patriarcha *Jacobo* descendenter in Aegyptum, multis momentis evinci potest. Primo, quia Israelitæ, qui cum Jacobo venerunt in Aegyptum, erant Pastores: *Pastores ovium sumus servi tui*, & nos & patres nostri, ait Patriarcha *Jacobus*, dum Regem *Pharaonem* salutavit, ſicut legitur cap. 47. libri *Genesios*. Secundo, ſemel mortuo illo Aegyptiorum Rege, qui Israelitis impeneſe favebat, aliis regum in Aegypto ſolum conſendit, qui Israelitarum fuit infenſiſtissimus hoſtis, & in eos atrocem perſecutionem excitavit, quam Scriptura Sacra cap. 1. lib. *Exodi* v. 8. 9. 10. & 11. deſcribit his verbiſ: *Surexit interea Rex novus super Aegyptum, qui ignorabat Joseph*, & ait ad populum ſuum: *Ecce populus filiorum Israel multus, & fortior nobis eſt. Venite, sapienter opprimamus eum, ne forte multiplicetur . . . P̄p̄oſuit itaque (Rex) eis (ſeu Israelitis) magiſtrus operum, ut affigerent eos oneribus*. Hinc Israelitæ facti ſunt in Aegypto captivi, miſerari coaſti ſervire ſervitutem, quos ſubinde *Manetho* iure optimo appellat *Hycos*, id eſt, *Pastores captivos*. Tertio, tempus, quo illos *Hycos*, ſeu Pastores captivos, ex Aegypto pulſos fuſſe ſcribit *Manetho*, optime quadrat tempori, quo Israelitæ ex Aegypto re vera egressi ſunt. Apio ſiquidem, & *Ptolemaeus Mendesius*, citati a *Taciano* in libro quem edidit contra Græcos, & a *Juliano Africano* apud *Eusebium* lib. x. *De P̄p̄. Evangelica* cap. 10. afferunt, Israelitas exiſſe ex Aegypto, regnante *Amoſo*, qui etiam dicebatur *Amoſis*. Scribit autem *Manetho*, illos *Hycos*, ſeu Pastores captivos, egressos fuſſe ex Aegypto, regnante *Themosi*, qui idem plane eſt ac *Amoſis*. Binominis quippe erat ille Aegyptiorum Rex, ſicut testatur *Georgius Syncellus* in ſua *Chronographia* pag. 63. & 69. & perinde vocabatur *Amoſis*, vel *Themosi*. Ex quo palam sequitur, tempus, quo Israelitæ egressi ſunt ex Aegypto, plane convenire cum Epochā, quam aſſignat *Manetho*, expulſionis ex Aegypto illorum Pastorum captivorum, quos *Hycos* appellat. Quarto, Israelitæ, quando ingressi ſunt in Aegyptum, erant Pastores, id eſt, viři obſcuri, ignobiles, tales autem fuſſe illos *Hycos*, ſeu Pastores, qui expulſi ſunt ex Aegypto, testatur *Manetho*, quos ideo appellat homines obſcuros, nullaque re geſta memorabili adhuc commendabiles. Quod

quidem argumento eſt, illos *Hycos*, ſeu *Pastores*, quos *Manetho* ſcribit fuſſe ex Aegypto extroſos, non alios eſſe quam Israelitas, qui tam tum post ſuam ex Aegypto profectionem in Republiſcam coaluerunt, nomenque ſuam ſub *Moyſe*, *Ioſue*, & aliis, five *Judicibus*, five *Regibus*, five *Pontificibus*, toti orbi illuſtre rediderunt. Poſtremo, ait *Manetho*, illos *Hycos*, ſeu *Pastores*, ex Aegypto ejectos, iter ſuum per desertum in Syriam egiſſe, & in terra, qua nuncupatur *Iudea*, ampliiffimam extrixiſſe civitatem, quam *Jerofolymam* appellarunt. Quibus verbiſ aperte indicat *Manetho*, illos *Hycos*, ſeu *Pastores*, quos ex Aegypto excessiſſe ſcribit fuſſe ipſiſimos Hebreos, qui ex Aegypto dimiſi veneſunt poſtea in terram, qua dicitur *Iudea*, ibique civitatem ædificaverunt, quam *Jerofolymam* vocitarunt. Faceſſat itaque *Joannes Marshamus*, qui in ſuo *Chronico Canone Aegyptiaco*, *Hebraico*, & *Greco*, pertendit: *Historicum Manethonem* voluſiſſe per illos *Hycos*, ſeu *Pastores*, qui ex Aegypto fuerunt ejecti, indicare non Hebreos, ſeu Israelitas, ſed Arabes, qui in Aegyptum cum irrupiſſent, ibique vitam paſtoritiam degerent, tandem potentioreſ facti, imperium obtinuerunt, illudque exercuerunt in Aegyptiоs, a quibus vocati ſunt, *Hycos*, id eſt, *Reges Pastores*. Faceſſat, inquam, *Joannes Marshamus*, cujus vanum ſyſtema e fronte pugnat cum historia *Manethonis*. Nam primo, *Manetho*, concepiſi verbiſ, aſſerit, illos *Hycos*, ſeu *Pastores* ab Aegypto expulſos, veniſſe in *Judeam*, ibique civitatem quam *Jerofolymam* appellarunt, conſtruxiſſe. Qui character in foliis Hebreos, ſeu Israelitas, competere potest, non vero in Arabes, quos neque in *Judeam* veniſſe, neque *Jerofolymorum* urbem condidiſſe certiſſime conſtat. Præterea, quamvis *Manetho* innuat, aliquibus viſum eſſe per *Hycos* ſignificari *Reges Pastores*, teſtatur tamen idem *Historicus*, te in aliis Exemplariſbus conſperire per *Hycos* non ſignificari *Reges Pastores*, ſed e diverso declarari *captivos Pastores*, & hoc potius ſibi veriſimile videri, & hiflorie antiquæ conueniens. Tertio, *Manetho* ait, illos *Hycos*, ſeu *Pastores*, fuſſe viros obſcuros, & ignobiles, qui ſane character competere haud potest in Arabes, qui in Aegypto non poterant eſſe viři obſcuri & ignobiles, cum, ipſo met fatente *Marshamo*, Arabes ſuos in Aegypto habuerint *Reges*, & imperium exercuerint in Aegyptiоs. Denique, *Marshamus* in citato Opere, quod lucubravit, omnem ſibi abrogavit fidem, quia in eo Veteris Testamento antiquitatē evertere totis viribus admittitur; ceremoniarum, quarum in veteri Testamento Iudeis præcipit obſervatio, Deum negat eſſe auctorem ac institutorem; Prophetiam *Danielis* de LXX. Hebdomadibus ad Iefum Chriſtum per tinere audacter inſiciatur, *Josephum*, egregium Nationis & religionis Judaicæ defenſorem in libris, quos ſcribit contra *Apionem*, *Ethnicum Grammaticum Alexandrinum*, data opera refelliſit, impugnat, eumque tanquam fabularum, & mendaciorum Scriptorem traducere ac ſugillare

non veretur: Verbo dicam, *Marshamus* in suo male consarcinato opere tot futilia, tot absurdula commenta, tot inaudita paradoxa in his, quæ Religionem, Sacram Historiam cum Veteris, tum Novi Testamenti spectant, effuttiit, ut jure optimo apud omnes, qui de Religione bene sentiunt, tanquam temerarius Scriptor audiat, dignumque judicetur ejus male natum Opus, quod naturalitatis tenebris damnetur.

D. Quamvis in tuam sententiam facile descendam, ac vehementer improbem falsam *Marshami* interpretationem; non possum tamen, ne quid dissimulem, narrationem *Manethonis*, circa illorum Pastorum, quos *Hycos* appellat, manitionem in Ægypto, conciliare cum his, quæ superius dixi de habitatione Israëlitaram in Ægypto. *Manetho* quippe, teste *Josepho*, Hebreo, quem laudasti, scribit, illos Pastores, quos *Hycos* nuncupat, mansisse in Ægypto per annos quingentos & undecim. At, juxta Chronologię sacra peritiorum sententiam, quam superius probasti, Israëlite habitarunt in Ægypto per annos dumtaxat ducentos quindecim. Ex hac itaque haud mediocri Chronologię discrepantia colligi posse videtur, Pastores illos, quos *Manetho* appellat *Hycos*, plane diversos esse ab *Israëlitis*.

M. Non ita est: sed ex ea Chronologię discrepantia colligi tantum potest primo, circa numerum annorum, per quos Pastores, quos *Manetho* appellat *Hycos*, manserunt in Ægypto, irreplisse in Textum Josephi mendum, & loco annorum 215. susiectum fuisse 511. non quod existimem, *Josephum* Hebreum, qui sicut in scribendo diligentissimus juxta ac gravissimus Auctor, notandis temporibus ita turpiter errasse, sed quod putem, Textum Josephi in annorum numeris fuisse interpolatrice manu vitiatum, sicut aper te declarant quam plurima menda, quibus in annorum numeris scatet hodiernus *Josephi* Textus, idque ultro farentur omnes hujus temporis Chronologi, in libris Josephi versati, quos inter unum instar omnium laudabo nostrum Melchiorem Cannum, qui lib. 11. *De locis* cap. 5. ad Argumentum 9. istud de libris Josephi profert judicium: Sed in numeris Josephi libri menda habent innumera, que ego menda viro diligentissimo atque gravissimo assignare nec volo, nec debeo. Secundo, ex ea Chronologię, quam adduxisti, discrepantia colligitur, *Manethonem*, & alios Græcos Historicos Prophani, multa quidem ex Historia Sacra haussisse, sed eam pluribus mendaciis & erroribus aspersisse, sive ut contradicerent Judæis, quos capitali odio prosequebantur; sive ut vanam & falsam suam antiquitatem ac Religionem stabilirent, sive ut fabulis, quas finixerunt de suis Diis, *Jove*, *Apolline*, *Marte*, *Mercurio*, *Hercule*, & aliis, aliquam veri speciem conciliare possent, sicut latto calamo ostendit Illustrissimus Daniel Huetius, in sua *Demonstratione Evangelica*; sive denique cum essent Idolorum cultores, non poterant sacras literas *omni scrupulostate sequi*, ut ait *Josephus* lib. 1. contra *Apionem*, ubi sermonem habens de Scriptoribus Prophanis Græcis, *Demetrio Phalereo*, *Philone seniore*, & *Eupolemo*, ait: *Plurimi predi- His. Vet. Test. Tom: II.*

*etorum virorum veritate quidem causarum antiquarum frustrati sunt..... non enim inerat eis, ut nostras litteras, id est, Sacram Historiam, possent omni scrupulostate sequi. Quæ cum ita sint, mirum sane tibi videri haud debet, quod *Manetho*, Scriptor Prophanus, & ex ea Gente oriundus, quæ erat Hebreis infestissima, Historiam sacram de ingressu Israëlitarum in Ægyptum, de eorum mansione in Ægypto, & de illorum protectione ex Ægypto, data opera interpolari, ac nonnullis mendaciis, & erroribus in numeris resperferit, quamvis multa reliquit veritatis vestigia, & per illos Pastores, quos vocat *Hycos*, quoque ait venisse in Ægyptum, in ea diu mansisse, & postea fuisse ex ea expulsos, non obscure, sicut mox commonstravimus, indicare vouluerit Israëlitas, qui erant Pastores, quique, ut narrat Historia Sacra, ingressi sunt una cum Patriarcha *Jacobo* in Ægyptum, diu in ea habitarunt, ac denique ex ea pulsi fuere, seu potius a Deo per *Moysen*, eorum Ducem, in libertatem asserti ac vindicati. Hæc, que hactenus dixi, confirmare non pigebit. testimonio *Grotii*, qui lib. 1. *De Veritate Christiane Religionis* hæc apposite scribit: *De exitu Hebreorum ex Ægypto non pauca referunt Scriptores Ægypti, Manetho, Lysimachus, & Chæremont. Loca sunt apud Josephum contra Apionem, que tamen pluribus mendaciis sunt respersa, utpote scripta a gente Judeis infelissima, unde & sua haussit Historicus Cornelius Tacitus. Apparet autem ex his omnibus Scriptoribus Ægyptiis, Hebreos, Ægypti parte positos, ibi pastoralem egisse vitam, sed operis postea servilibus pressos exiisse Ægypto, Ægyptiis etiam quibusdam ipsos comitantibus Moyse Duce, perque Arabum terras postremo pervenisse in Syriam Palæstinam, ibique eos Instituta secutos, Ægyptiorum Institutis contraria. Ceterum, quomodo in his, que huic Historie aspersere mendaciis Scriptores Ægyptii inter se quidem, & secum singuli pugnant, quorque illa seculis ab antiquitate Moysis librorum vincantur, egregie ostendit Josephus in illo libro eruditissimo, sed primo, quem edidit contra Apionem. Sed eo de argumento hactenus satis, de quo tamen si plura scire aveas, auctor tibi sum, ut legas, modo per otium licet, Tomum secundum perdocti Operis, quod Cl. Ferrandus, insignis Senatus Parisiensis Causidicus, gallice concinnavit, cuique hunc præfixit titulum: *Reflexions sur la Religion Chrétienne*. Ibi quippe laudatus ille Auctor hoc argumentum non minus fuse, quam eruditæ tractat, & omnes objections, quas proponit Joannes Marshamus, plenissime diluit.**

## C O L L O Q U I U M I I.

*In quo proponuntur Dubia, que tam Theologi, quam Scriptores Sacre Interpretantes, circa Historiam tertie Mundi Ætatis ventilare solent.*

DISCIP. *SÆPIUS* in superioribus nostris Colloquiis dixi, Deum apparuisse Patriarchis *Abramam*, *Isaaco*, *Jacobo*, & aliis, eosque familiari colloquio fuisse dignatum.

At, nunc scire vellem, an vere ipsem̄ Deus sub humana specie apparuerit Patriarchis? An potius Angelus, humanam formam referens, apparuerit Patriarchis, & cum illis, nomine Dei, quem repraesentabat, colloquia milcuerit?

M. Communis est Theologorum sententia, quod dum legitur in Veteri Testamento, apparuisse Deum Patriarchis, & cum illis fuisse locutum; id eo in sensu intelligi debeat, quasi Deus sub humana specie sese Patriarchis conspicuum exhibuerit, & cum illis sermonem habuerit; sed quod Angelus, a Deo missus, ejusque vice fungens, id muneric ex aere sibi formato corpore, obiret, seque Patriarchis adspectabilem praebet. At, non defunt celebres quidam Theologi, qui, aliquot sanctorum Patrum antiquorum, seu S. Justini, Martyris, in Dialogo cum Tryphonē, S. Irenei, lib. 4. adversus Hæreses cap. 26. S. Augustini, lib. 2. de Trinitate, cap. 13. & Theodoreti, quæst. 5. in Exodum, Doctrinam sequuti sentiunt, quod quando in sacris literis dicitur, Deum apparuisse Patriarchis, id intelligi haud debeat de Angelo, tanquam Dei Legato, sed potius de Verbo Divino, seu de secunda Sanctissima Trinitatis Persona, qua sub specie humana sese Patriarchis jam tum visibilem ostendebat. Doctissimus Bernardus l' Amy, Congregatiois Oratorii Presbyter, in suo Apparatu Biblico, pag. 26. hanc Theologorum sententiam, his verbis confirmat: *Ile summus Deus, qui dicitur dignatus Abramum familiari colloquio, ipsum erat Dei Verbum, seu secunda Sanctissima Trinitatis Persona, que ab hisce temporibus præludebat Incarnationi sua. Quanquam enim tunc Carnem non sic assumeret, ut iam fieret Homo, in imagine tamen carnis, sive vere, sive apparentis conspicuum Patriarchis se præbebat, ipsum, inquam, erat Verbum Dei, ut omnis Antiquitas creditit, unus ex tribus Angelis, qui apparuerunt Abraham, & promisit de lumbis ejus Carnem se sumpturum. Hunc vero Abramam ut Deum summum adoravit, pro Deo habuit, & ejus colloquio gavisus est, ad quod alludens, ut opinor Christus ajebat cap. 8. Evang. S. Joannis: Abraham, pater uester exultarit ut videbet diem meum, vidit & gavisus. Praevit Bernardo l' Amy in hac sententia Petrus Cuneus, qui libro 2. De Republica Hebreorum cap. 3. pag. 378. hæc habet: Aju[n]t prestantissimi Theologi, quotiescumque Deus immortalis hominibus apparuit, apparuisse secundam Sanctissimam Trinitatis Personam, seu Filium Dei. Quod Jane ab illis recte existimatum est. Utique cum Apostolus ait: Sepe Deum ante per Prophetas, norissime autem locutum fuisse per Filium: non ille negat, vixum antea in terris Messiam, sed haud obiisse eum concionandi illud murius significat, quod olim a Vatibus semper, ac tandem vero suscepimus ab ipso est. Non poterat ipsum illud corpus induere, quod in terris postea intuiti sunt, & conrectivere mortales. Id enim sero admodum genitum formatumque est, neque antea exitit. Quare imaginem dumtaxat illius reprezentavit Abraham, sed plane eandem, quam inter homines habuit.*

D. Libentius, ut candide dicam, descende-

rem in sententiam horumce Thologorum, qui docent, secundam Sanctissimam Trinitatis Personam, seu Filium Dei, apparuisse etiam Patriarchis, qui vixerunt ante Legem Scriptam, seu Mosaicam. Inde enim facili negotio intelligitur, Patriarchs, etiam illos, qui præcesserunt Legem Mosaicam, habuisse notitiam, seu fidem in venturum Messiam, Liberatorem generis humani, & Mediatorem Deum inter & homines. At, cum ejusmodi Secunda Persona Sanctissimam Trinitatis apparitiones non omnibus Israëlitis, qui vixerunt ante Legem Mosaicam contigerint, tamen ultro, me proorsus nescire, quo pacto Populus Israëliticus potuerit ante Legem Mosaicam habere notitiam, seu fidem in Messiam venturum, cum ejusmodi notitiam, seu fidem, nec ex apparitionibus Secunda Persona Sanctissimam Trinitatis, quæ ei facta non sunt, nec ex Lege Mosaica, quæ necdum scripta erat, haurire potuerit? Hic est sane nodus vindice dignus.

M. Neminem ab Adamo, seu a Creatione Mundi, absque fide in venturum Messiam, salutem æternam fuisse consecutum, nec deinceps ad finem usque Mundi consecuturum, constans est ac perpetua Ecclesiæ Catholice Doctrina, quam nullus citra apertam hæresim impugnare potest. Id tamen discriminis fuit inter fidem Patriarcharum ante Legem Mosaicam, & fidem Populi Israëlitici, quod Patriarchæ ante Legem Mosaicam, haberent fidem in venturum Messiam magis distinctam, quam ideo Theologi appellant Fidem explicitam; Populus vero Israëliticus ante Legem Mosaicam haberet fidem in Messiam venturum minus distinctam, quam subinde Theologi vocant Fidem implicitam, quam videlicet a Patriarchis & a Majoribus suis acceperant, per continuam traditionem, quæ ab ipsa Creatione Mundi usque ad ipsorum tempora fuit jugiter conservata, eorumque animis altius infixæ. Quod, ne gratis a me dictum esse videatur, plurimi Scripturæ Sacrae testimonii evincant. In primis, legimus cap. 4. Evangelii, quod scriptum est a S. Joanne, mulierculam Samaritanam ex recepta pridem ac pervulgata apud Judæos traditione Jesum Christum, verum Messiam, quem ipsa venisse ignorabat, sic fuisse afflatum; Novimus Messiam venturum. Cum venerit ille, omnia nobis annuntiabit. Erant autem Samaritani residua pars Israëlitarum, quos a Judæis olim Jerooboamus avulserat, proindeque ignorare non poterant, quod vulgo cuncti Hebrei super hac re senserunt, sicut optime observat Petrus Cuneus sub fine lib. 3. De Republica Hebreorum, Præterea Apostolus Paulus cap. 11. Epistolæ ad Hebreos, postquam premisit, Fidem esse substantiam rerum sperandarum, non solum Fidem Abelis, Enochii, Noemi, Abrahami, Isaaci, Jacobi, Josephi, & Moysis laudat ac plurimum commendat, sed etiam ejusdem fidei laudem Populo Israëlitico, etiam ante Legem Mosaicam, tribuit eo potissimum nomine, quod Dei imperio obsecutus, Ægyptum reliquit. Sic enim ait Apostolus: Fide transferunt mare rubrum tanquam per aridam terram. Quin, idem Apostolus eodem in capite fidei

fidei hujus laudem adscribit Israelitis , qui jam defuncti erant , dicens : *Juxta Fidem defuncti sunt omnes isti , non acceptis reprobationibus , sed a longe eas aspicientes ; & salutantes , & confitentes , quia peregrini & hospites sunt super terram . Qui enim haec dicunt , significant , se patriam inquirere..... Nunc autem meliorem appetunt , id est celestem . Id saepius inculcat Apostolus Paulus , sed praelestum cap. 10. Epist. 1. ad Corinthios , ubi indiscriminatum omnes Israelitas fidei elogio ornat his verbis : *Nolo enim vos ignorare , Fratres , quoniam Patres nostri omnes sub nube fuerunt , & omnes mare transferunt , & omnes in Moyse baptizati sunt , nube , & in mari ; & omnes eandem escam spiritualem manducaverunt & omnes eundem potum spiritualem biberunt ( bibebant autem de spirituali consequente eos petra : petra autem erat Christus . )* Tertio , Patriarcha Jacobus propediem moriturus in Aegypto , suos omnes acceravit filios , quibus viritudine bene precatus , dixit filio Iudea : *Non auferetur sceptrum de Iudea , & Dux de femore ejus , donec veniat , qui mittendus est , & ipse erit expectatio Gentium , Genef. cap. 49.* quibus verbis voluit Patriarcha Jacobus , non solum filiorum suorum , sed etiam omnium Israelitarum , qui erant in Aegypto , Fidem , quam habebant de adventu Messiae , seu Liberatores , quæque a suis Majoribus accepta penitus eorum animis insidebat , confirmare , prædictens illis , venturum illum Mессiam , quem expectabant , postquam familiae filii sui Iudee Regium Sceptrum fuisset ablatum , & ad alienigenam transiisset . Quarto , Josephus , filius Patriarchæ Jacobi , moriens itidem in Aegypto , obsecravit , & obtulstus est Israelitas , ut dum essent ex Aegypto exituri , ejus ossa secum aportarent sepelienda in Terra Chanaanæ : *Asportate ossa mea vobiscum de loco isto , Genef. cap. 50.* Sciebat quippe Josephus , fore ut in Chanaenium sedibus nasciturus esset Mессias , illiciue sua ossa quiescere voluit . Fidem Josepho datam liberarunt Israelitæ , quando excellerunt ex Aegypto , & fide , quam in Messiam venturum habebant , animati , ossa Josephi , sepelienda in Terra Chanaan , secum aportarunt . Tulit Moyse ossa Joseph secum , eo quod abjurasset filios Israel , dicens : *Visitabit vos Deus , auferete ossa mea hinc vobiscum , lib. Exodi cap. 13.* Denique , non tantum Patriarchis , sed & omnibus Israelitis , etiam ante Legem Mosaicam , nota erat illa promissio , qua Deus ab exordio Mundi , hoc est , post primorum parentum nostrorum peccatum , sese obstrinxit , mittendi Messiam , seu Liberatorem , dum imprecando serpenti , dixit : *Ipse conteret caput tuum , id est , Mессias , aliquando ex muliere nasciturus , conteret caput tuum .* Hanc , inquam , promissionem , qua Deus ab exordio Mundi sese obstrinxerat , mittendi Liberatorem , seu Messiam , omnes Israelite etiam ante Legem Mosaicam jam perspectam exploratamque habebant , tum ex certa traditione ab Adamo ad ipsos usque propagata ; tum etiam ex sanctificatione Sabbathi , quæ per singulas Hebdomades memorabat illos de Creatione Mundi , seu in memo-*

riam illorum revocabat Creationem Mundi , formationem primi hominis , ejus lapsum , divinam promissionem mittendi Liberatorem , & Legem latam a Deo ab exordio Mundi , & a majoribus suis , etiam ante Moysem tempora , jugiter observatam , sanctificandi Sabbathum in memoriam creationis mundi , & diei septimi , quem sanctificavit Deus , quia in ipso cessaverat ab omni opere suo , ut legitur Genesis cap. 2. Cum igitur omnibus Israelitis , etiam ante Legem Mosaicam , nota fuerit haec promissio , qua Deus ab exordio Mundi , hoc est , post peccatum Adami , sese obstrinxit , mittendi Liberatorem , seu Messiam , planum ac expeditum esse debet , omnes Israelitas , etiam ante Legem Scriptam , habuisse aliquam notitiam , seu fidem in Messiam venturum . Hinc merito S. Augustinus lib. de peccato originali cap. 24. ait : *Sine Fide ergo Incarnationis & Mortis & Resurrectionis Christi , nec antigos Justos , ut justi essent , a peccatis potuisse mundari , & Dei gratia justificari , veritas Christiana non dubitat , sive in eis Justis , quos Scriptura sancta commemorat , sive in Justis , quos quidem illa non commemorat , sed tamen fuisse credendi sunt , vel ante diluvium , vel inde usque ad Legem datam , vel ipsis Legis tempore non solum in filiis Israel , sicut fuerunt Prophetæ , sed etiam extra eundem Populum , sicut fuit Job . Ipsorum enim corda eadem mundabantur Mediatoris Fide .* Quo fit , ut omnino inexcusabiles sint Hebrei , qui , licet per Legem Mosaicam , & vaticinia Prophetarum majorem de venturo Messia notitiam poslea haberint , pertinacia tamen plusquam adamantina Jesum Christum , verum Messiam , in quo Moysem , & Prophetarum fuerunt ad amissum omnia adimplenta oracula , agnoscere detrectarunt . Unde cum reputare in animo soleo ( utor verbis Sulpicii Severi ) lib. 1. Historiæ Sacrae ) Populum , seu Hebreum , tot beneficis Dei obligatum , tot cladiis , cum peccaret , coercitum , experuntque & misericordiam , & severitatem Dei , nequaquam emendatum ; & cum semper veniam erroris acciperet , semper peccasse post veniam , nihil mirum videri potest , Christum ab his non esse receptum , cum jam in dies ab initio toties in Domino rebellis deprebenduntur , magisque mirum est , illis semper peccantibus , nunquam Dei , si quando eum imploraverunt , defuisse clementiam .

D. In illo Vaticinio Patriarchæ Jacobi : *Non auferetur sceptrum de Iudea , & Dux de femore ejus , donec veniat qui mittendus est , & ipse erit expectatio Gentium .* In hoc , inquam , vaticinio Jacobi probe intelligo , promitti adventum Messiae , quando Sceptrum Regium fuerit ablatum e Iudea ; sed quandonam id revera contigerit , profrus me later .

M. Sunt quidam periti Theologi , & Scripturarum Sacra Interpretates , qui asserunt , in hoc vaticinio Jacobi promitti venturum Messiam , quando e Tribu Iudea Sceptrum esset ablatum , adeo ut illud Jacobæum Oraculum : *Non auferetur Sceptrum de Iudea , & Dux de femore ejus , donec veniat qui mittendus est &c. ad solam Tribum Iudea restringi debeat cum exclusione Levitica , Beniaminitica , & aliarum Tribuum . Sed pace illorum*

Theologorum, & Scripturæ Sacrae Interpretum dixerim, huic sententia calculum meum adjicere non posse. Primo, quia compertum habemus ex Scriptura Sacra, plures extitisse Gentis Judaicæ Duces ac Principes a Jacobi vaticinio usque ad Christum, Servatorem nostrum, qui ex Tribu Iuda non fuerunt oriundi. *Moyse* namque & *Josue*; qui post egressionem Israelitarum ex Ægypto, præfuerunt Populo Judaico, suam ex Tribu Iuda originem non ducebant, sed *Moyse* erat de Tribu *Levi*, *Josue* vero de Tribu *Ephraim*. Inter *Judices* postea, qui post *Moysem*, & *Josue*, apud Judæos summa potestate prædicti erant, duo tantum fuerunt orbi e Tribu Iuda, videlicet *Othoniel*, & *Abesan*. Secundo, tempore, quo Judæi in Captivitatem Babyloniam fuerunt abducti, Sceptrum e Tribu Iuda ablatum est in *Jechonia*, & *Sedecia* Regibus. Post laxatam vero Captivitatem Judæorum Respublica formam Aristocratiæ assumpsit, ita ut Judæi nunquam amplius regia, & absolta imperandi forma potiti sint, utpote qui Persarum Monarchis primum subditi fuerunt, deinde, postquam *Alexander Magnus*, Macedo, *Darium Codomanum*, & Perfarum simul Imperium levissit, & omnem hujus gloriam ad Græcos translisset; Judæi Græcis paruerunt, idest Asia minoris, & Ægypti Regibus servierunt, donec tandem a Romanis devicti sub jugum missi sunt. Porro, per totum illud temporis intervallum, quod a soluta Captivitate Babylonica fluxit usque ad Christum Dominum, nullos Duces habuerunt Judæi e Tribu Iuda oriundos, sed summa rerum erat penes Summos Pontifices, quæ Pontificum potestas per Assamonæos, in Ordine Sacerdotali constitutos, firmata est usque ad tempus *Herodis*, qui devicto *Antigono*, genus Assamonæorum penitus extinxit, & Regnum Judææ a Senatu Romano obtinuit. Cum igitur a laxata Captivitate Babylonica usque ad Christum, hoc est, per quingentos, & amplius annos Sceptrum e Tribu Iuda fuerit ablatum, stare nullo modo potest sententia illorum, qui Jacobi de venturo Messia vaticinum, *Non auferetur Sceptrum de Juda &c.* restringunt ad solam Tribum Iuda, exclusis aliis Tribibus.

D. Quo pacto igitur vis esse intelligenda hæc Jacobæi vaticinii verba: *Non auferetur Sceptrum de Juda, & Dux de fomore ejus &c.*? videtur quippe mihi, quod sola hic indigitetur Tribus Iuda, exclusis aliis Tribibus.

M. Ut hinc Jacobæo Vaticinio de venturo Messia sua constet veritas, necessum est, ut hæc priora verba, quibus constat: *Non auferetur Sceptrum de Juda*, non limitentur ad solam Tribum Iuda, exclusis aliis Tribibus, sed potius referantur ad totam Gentelem Judaicam, adeo ut sensus sit, non ablatum iri sceptrum e tota Gente Judaica, donec veniat Messias. Hac autem semel admissa Jacobæi vaticinii interpretatione, proclive est demonstrare, Judæos a tempore, quo a Patriarcha Jacob editum est hoc vaticinum, usque ad Herodem, alienigenam, qui a Senatu Romano Judææ Regnum obtinuit, & quo adhuc in Judæa rengante natus est Jesus Christus, versus Messias,

semper habuisse e Gente sua Judaicam, seu ex genere suo, & ex aliqua Tribu Duces, Reges, ac Principes, qui toti Populo Judaico cum summa rerum potestate præfuerunt. At enim, post mortem Patriarchæ Jacobi in Ægypto, Judæi Ducem habuerunt *Moysem*, qui eos e captivitate Ægyptiaca liberavit. Post obitum *Moysis*, Judaico Populo præfuit *Josue*, qui illum in terram promisam, seu in terram Chananaeam introduxit. *Josue*, in regime Populi Judaici succederunt alii Duces, quos e genere suo ortos Judæi appellarent *Judices*, qui summa apud Gentem Judaicam potestate potiebantur. Post *Judices*, habuerunt Judæi Reges, & Regia dignitas, seu potestas permanxit in Tribu Iuda, & in familia Davidica usque ad captivitatem Babyloniam. A tempore autem captivitatem Babyloniam Judæi habuerunt Duces itidem ex genere suo, seu Principes exercitus, qui ipsis reducibus, & proprio solo, laxata captivitate, restitutis præfuerunt: His Ducibus sufficiunt Pontifices, dicti *Assamonæi*, seu Machabæi, qui pariter e Judeorum genere erant oriundi, & quibus Rempublicam Judaicam gubernandi onus incumbebat. Denique, hanc supremam Reipublicæ administranda potestatem conservarunt Pontifices, seu Assamonæi, usque ad *Herodem*, qui, licet non esset ex Gente Judaica, sed alienigena, utpote genere Idumæus, devicto tamen *Antigono*, ultimo Assamonæorum Rege, Regnum Judææ obtinuit a Romanis. Quo tempore, cum Judææ Regnum ad *Herodem*, alienigenam transferri; natus est Jesus Christus, verus Messias, juxta Patriarchæ Jacobi vaticinium: *Non auferetur Sceptrum de Juda*, idest, de tota Gente Judaica, donec veniat, qui mittendus est, & ipse erit *expectatio Gentium*. Hoc pacto intelligendum, & explicandum esse Patriarchæ Jacobi de venturo Messia vaticinum censem sancti Patres, & Scriptores Ecclesiastici, *Justinus*, *Martyr*, in Dialogo cum *Triphone*, *Athanasius* in lib. de Incarnatione, *Eusebius* lib. 8. Demonstrationis Evangelicæ, *Chrysostomus* Homilia 77. in Gen. *Ambrosius* in libro de Benedictionibus Patriarcharum, cap. 4. *Augustinus* lib. 18. De Civitate Dei cap. 45. *Theodoreetus* quest. 100. in Genesim, aliquique sancti Patres, qui istam vaticinii Jacobi interpretationem suo calculo approbarunt. Huic igitur tam cano, tamque venerando totius Antiquitatis confensui assensum præstare debes.

D. Prono capite veneror antiquos illos sanctos Patres, eorumque sententia lubentissime subscribo; sed necdum fecisti satis difficultati, quam mox insinuavi. Videtur quippe mihi, hæc verba vaticinii Patriarchæ Jacobi: *Non auferetur Sceptrum de Juda*, pertinere dumtaxat ad Tribum Iuda, exclusis aliis Tribibus. Alioqui si prædicta verba spectent totam Gentelem Judaicam, non video certe quid peculiare de filio suo, *Juda*, Patriarcha Jacobus prædixerit, dum, antequam moreretur, suam ei benedictionem largitus est. Et tamen legimus cap. 19. libri Genesis Patriarcham Jacobum, iam morti proximum, convocasse omnes filios suos, hisque singulis viritim, speciatim, ac distin-

ste benedixisse, atque prædictissse, quæ ipsis, eorumque posteritati deinceps obventura erant. Quæ cum ita sit, longe verosimilius mihi videtur, hæc verba vaticini<sup>s</sup> Jacobi: *Non auferetur Sceptrum de Juda*, restringenda esse ad solam Tribum Judæ, exclusis aliis tribibus Israeliticis.

M. Non ita est, sicut sentis. Quamvis enim hæc benedictio, seu prædictio Jacobi morientis: *Non auferetur Sceptrum de Juda &c.* toti Genti Ju-daicæ, seu ceteris Tribubus Israeliticis competit, attamen *Juda*, filio Patriarchæ Jacobi, peculiarius accommodari debet, & ejus Tribum magis spectat, quam cæteras Tribus. Primo, in eo quod soli filii Judæ, seu viri e Tribu *Juda* orti, a *Davide* usque ad captivitatem Babyloniam; hoc est, per annos circiter quingentos, Regnum in Gente Judaica obtinuerint, idque sub *Davide*, & *Salo-mone* florissantissimum. Secundo, in eo quod, post captivitatem Babyloniam, cum ad aliam Tribum, distinctam a Tribu *Juda*, suprema potestas in Gente Judaica transierit, nihilominus universus Populus Israeliticus a *Juda* nomen fortius sit, tumque primum Israelita coeperint cognominari *Juda*. Tertio, in eo quod eodem tempore, quo suprema in gente Judaica potestas penes Pontifices, seu Assamonaos erat devolvenda, Regio tamen ipsa, qua Regnum continebatur, tota, aut maxima ex parte ad sortem Tribus *Juda* pertinere debebat. Quarto, in eo quod Tribus *Juda*, sive in castris ponendis, sive in ordine offerentium, sive in divisione terræ Chanaan, ceteris Tribubus præstantia quadam, & excellentia singulari præire debebat. Postremo, in eo quod Jesus Christus, verus a Patriarcha *Jacobo* promissus Messias, ex sola Tribu *Juda*, & non ex aliis Tribubus Israeliticis proditus erat. Propter has, & alia rationes, quæ legi possunt apud *Eusebium* lib. 8. *De Demonstratione Evangelica*, jure optimo dici potest, hanc benedictionem, seu prædictionem Patriarchæ *Jacobi*, fuisse quidem omnibus Tribubus Israeliticis communem, peculiari tamen ratione, ad Tribum *Juda* pertinuisse. Consule etiam, si velis Dissertationem, quæ in *Traictatu de Mysteriis*, & annis Christi, a me Romæ recens edito, ordine septima est, in qua evinco, hoc Patriarchæ *Jacobi* Vaticinium: *Non auferetur Sceptrum de Juda*, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium, fuisse revera impletum in ortu Iesu Christi, veri Messiae, illudque ab omnibus Judæorum argutii, & cavillis vindico.

D. Sufficit mihi hæc, quam de Patriarchæ *Jacobi* vaticinio dedisti, brevis explanatio. At nunc duo dubia haud levis momenti, ne quid dissimilem, circa eundem Patriarcham *Jacobum* subeunt animum meum, quæ mihi solvas velim. Primum Dubium est, an revera mentitus sit *Jacobus*, quando, usus consilio matris suæ *Rebecca*, paternam benedictionem, loco *Esaï* fratris sui primogeniti, accepit, dicens patri in *Isaaco*: *Ego sum filius tuus primogenitus Esau*; quod tamen probe sciebat esse falsum. Alterum Dubium istud est: Num Patriarcha *Jacobus* injusta fraude deluserit ficerum suum *Labanum*, dum post famulatum quatuordecim

annorum pacta cum illo mercede, gregem suum per virgas ex parte decorticatas, sique varias, quas bestiæ inter bibendum, calente venere, obiciébat, copiosa pecudum accessione multiplicavit cum evidenti dispendio gregis ficeri sui *Labani*, ut narrat *Moyses* cap. 30. lib. *Genesis*. His duobus Dubiis rogo te, ut breviter facias satis.

M. A duobus istis, quæ proposuisti, Dubiis nunc paucis verbis me expedio, & ad primum dico, Patriarcham *Jacobum*, si literaliter Scripturæ sensu inhereamus, vix, ac ne vix quidem a mendacio posse excusari, dum paternam benedictionem loco *Esaï*, fratri sui primogeniti, consilio matris suæ, accepit. Id luculenter colligi posse videatur ex capite 27. libri *Genesis*, ubi primo narratur, *Jacobum* non modo dixisse se esse primogenitum, sed etiam disertis verbis professum fuisse, se esse *Esaï*, idque respondisse patri suo *Isaaco*, de persona *Esaï*, non de solo jure primogenitura querenti, & benedictionem *Esaï*, non autem *Jacobo* dare volenti. Deinde, legitur eodem in capite, *Jacobum*, vulgares cibos offerten tem patri suo *Isaaco*, idest, duos hædos, quos non in sylvis venatus erat, sed in stabulo conquistos & electos a matre coquendos, ac parandos attulerat, ipsum rogasse, ut de ipsius venatione comederet, quod certe (si solus attendatur literalis verborum sensus) a fraudis, & mendaciis crimine excusari non potest. Denique, ibidem legitur *Jacobum*, accepta benedictione, statim a patre suo *Isaaco*, fraudis ac mendacii fuisse infirmatum. *Esaï* quippe lugenti, & graviter de surrepta sibi a fratre suo *Jacobo* benedictione querenti, respondit, pater, *Jacobum* venisse fraudulenter, & benedictionem suffiratum fuisse. *Venit germanus frater tuus fraudulenter, & accepit benedictionem tuam*. Hæc, inquam, si juxta literalem dumtaxat sensum expendantur, *Jacobum* mentitum fuisse haud obscure significabunt. At, si ad sensum verborum *Jacobi* mysticum, seu figuratum, ut par est, assurgamus, Patriarcham *Jacobum* ab omni fraude, & mendacio poterimus excusare, sicut illum tam vere, quam pie excusant sancti Patres, *Augustinus* lib. 1. *Contra Mendacium* cap. x. *Theodoreus* quest. 81. in *Genesim*, *Gregorius M.* Homilia vi. in *Ezechiel*, *Isidorus Hispanensis*, *Venerabilis Beda*, *Rupertus*, quorum agmen claudit *S. Thomas*, qui 2. 2. qu. cx. Art. 3. in refensione ad 3. Argumentum his verbis agit *Jacobi* vindicias: *Jacob dixit, se esse Esau primogenitum Isaac, quia videlicet primogenita illius de jure ei debebantur. Ufus est autem hoc modo loquendi per spiritum Prophetarum ad designandum mysterium, quia videlicet minor Populus, scilicet Gentilium, substituendus erat in locum primogeniti, scilicet Judeorum*. Quam rationem excerptit *S. Thomas* ex jam citato libro primo *S. Augustini contra Mendacium* cap. decimo. Huic itaque sanctorum Patrum, & gravissimorum Theologorum sententia, qui *Jacobum* a mendacio excusant, conflanter adhaerere debes, illumque penitus repudiare errorem quorundam recentium molliorum Theologorum, qui, licet faterentur, *Jacobum* non fuisse mentitum, ajebant tamen, illum amphibio.

phibolia, seu verbis ambiguæ, ancipitisque significationis, necnon mentis restrictione usum fuisse absque peccato. Quin, quod magis mirari debas, hunc amphiboliarum usum adeo licitum, & innoxium esse audacter pronunciabant moliores illi Theologi, ut non puderet eos afferere, Deum ipsum, Patriarchas, aliosque viros sanctos interdum amphiboliis, mentisque restrictionibus fuisse usos. Sed, apage hunc errorem Deo, & Sanctis tam injurium, sinceritati, ac simplicitati Christianæ (quam tantopere commendat Christus cap. 5. Matthei vers. 37. dicens: *Sit autem sermo vester: est, est, non, non: quod autem his abundantius est, a malo est.*) omnino oppositum, societatis humanae pestem, & occultandæ veritatis pessimum artificium, uno verbo, saepius fulgoritum, & vaticanis protritum fulminibus.

Venio nunc ad alterum, quod proposuisti, Dubium, an Patriarcha Jacobus injusta fraude deluserit socerum suum *Laban*, quando singulari usus artificio gregem suum multiplicavit, cum gravi jactura, quam inde passus est *Laban*? Quod quidem Dubium, ut clarius diluere possim, observare debes, *Jacobum*, postquam per quatuordecim annos *Labano*, sacero suo, nullo recepto præmio, gregem ipsius pascendo, famulatus fuisset, tandem exiguam mercedem ab illo poposcisse, ut videlicet quidquid ex ovibus unius coloris deinceps nascetur variegatum, idest, variis distinctum coloribus, ad se pertineret. Annuit *Laban*, futuri artificii, quo *Jacobus*, ipsius gener, usurus erat, omnino incius. At, cum subdolus, & rapax *Labani* animus, quem multis experimentis per quatuordecim famulatus annos probe perspectum habebat *Jacobus*, non sponderet pacti fidem, nec mercedis acceptæ securitatem, nisi notabili coloris discriminé, & loci intervallo peculum suum, a reliquo *Labani*, saceri sui, grege secereret, ideo *Jacobus* segregavit oves, & capras discolores, sibi oves, & capras unius coloris pascendas servavit, ne, si *Labanus*, præter opinionem suam, gregem *Jacobi* auctum, ac multiplicatum videret, furtæ & rapinas clamaret. Aderat tempus, quo Deus injuriam, & darnna a *Labano* per quatuordecim annos illata *Jacobo*, qui totius spei, ac fiduciae suæ anchoram nunquam non in remuneratione divina collocaverat, sarcire constituit. Monetur itaque *Jacobus* a Deo de artificio, quo præmia, toleratis laboribus digna, cum scenore consequi debebat, cumque non ignoraret *Jacobus*, quanta vis esset imaginationis in variando foetu, & quam facile ea moveretur ab errore externo, speciatim in bestiis, quarum sensio cum speciebus corporeis arctius connexa est, quales foetus nasci oportebat, tales oculis consipientium obiectiæ arbitrabatur. Nec visa commodior via, ut rem ad optatum exitum perduceret, quam si virgulta ex arboribus, quarum color artificium adjuvabat, recens resecta, cortice alternis intervallis detracto, variegata, in conchis, vel alveis, aqua limpida plenis, reponerentur, ut qua aviditate potum fauibus, ea species objectas oculis inter bibendum hauirent bestiæ, quas forte cum imaginibus marium lascivientium, & adhæ-

rentium commixtas, ex aqua, tanquam ex speculo naturali, oculus, alias vagus, & instinctu potius, quam confilio, in objecta quæque raptus, ut solet esse oculus bestiarum, ad hoc unum tempore generationis raptus facilius perciperet, & firmius imaginationi imprimiceret, unde insinuita, & impressa informatio foetum eodem tempore conceptum imbueret. Non defuit *Jacobo* successus, quoties usus est isto artificio, quod fuisse naturale sola vi imaginationis, nullo interveniente miraculo, ad quod citra ullam necessitatem recurrent nonnulli, contigisse facile crediderim. Vis siquidem phantasiae, seu imaginationis, solet in coitu esse maxima, & factui similitudinem visam fortiter imprimet, sicut bene multis experimentis constat, quibus falsi convincitur systema Cartesianorum, aliorumque modernorum Philosophorum, qui docent, belluas esse mera automata, arcans rotulis & elateriis a fabre contexta, omni cognitione, vita, vi imaginatrice, aliisque sensationibus tam internis, quam externis prorsus destituta. Sed istud recentiorum Philosophorum sistema hic impugnare locus non est. Quare, Dubii a te proposti explicationi dumtaxat insistens, breviter hic ostendam, *Jacobum*, in eo, quo usus est, artificio, injusta fraude non delusisse sacerorum suum *Labanum*. Et primo quidem, *Jacobus* juste ac licite usus est eo artificio, quia illud ab Angelo in somnis doctus erat, ut testatur ip'sem *Jacobus* cap. 31. v. 11. libri Genesij, sic loquens: *Dixit Angelus Dei ad me in somnis: Leva oculos tuos, & vide universos masculos ascendentis super feminas, varios, maculosos, atque respersos. Vidi enim omnia quæ fecit tibi Laban.* Secundo, hoc astu & dolo usus est, titulo iustæ compensationis, quia per viginti annos servierat *Labano*, & tamen iustum laborum suorum mercedem ab eo, ut pote homine avaro, extorquere necrum potuerat, sicut ipsam queritur cap. 21. v. 40. & seq. libri Genesis, dicens: *Die noctuus astu urebar & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis, siccus per viginti annos in domo tua (idest, saceri *Laban*) servivi tibi, quatuordecim pro filiabus, & sex pro gregibus tuis; immutasti quoque mercedem meam decem vicibus.... Forsan modo nudum me dimisisses. Afflictionem meam, & laborem manuum mearum respexit Deus, & arguit te heri.* Denique, *Laban* promiserat *Jacobo* dotes filiatum *Rachelis* & *Liae*, quas ei uxores dederat, & quas tamen indotatas reliquit, quemadmodum ipsam testantur c. 31. v. 14. lib. Genesis, his verbis: *Responderunt Rachel & Lia: Numquid habemus residui quidquam in facultatibus & hereditate domus patris nostri? nonne quasi alienas reputavitis nos, & vendidit, comeditque pretium nostrum?* His, & aliis ejusmodi rationibus probant Scriptura Sacra Interpretæ *Jacobum* non injusta fraude delusisse sacerorum suum *Labanum*, quando ad augendum gregem suum, & ad se redimendum ab injusta vexatione, novo isto commento, seu artificio usus est.

D. Jam sciebam, *Liam* & *Rachelem* esse filias *Labani*, & uxores Patriarchæ *Jacobi*. Sed earum Histo-

Historia, quam legi in libro Genesis, duos mihi injecit scrupulos, quos mihi eximas velim. Narratur quippe cap. 29. hujus libri, *Liam*, quæ erat filia *Labani*, natu major, obtemperasse patri suo, qui illam concubia nocte introduxit in lectum *Jacobi*, eamque suffecit in locum *Rachelis*, quæ vere cum *Jacobo* erat matrimonio juncta, non vero ejus soror *Lia*. Quero igitur, an peccaverit *Lia*, quæ obsecuta patris consilio, dormivit, remque habuit cum *Jacobo*, cui tamen nondum nupta erat? Deinde capite sequenti, seu trigesimo ejusdem libri Genesis, legitur, quod *Ruben*, filius *Liae*, reperit mandragoras, quas matri *Liae* detulit, dixitque *Rachel*: *Da mibi partem de mandragoris filii tui*. Dixi, sodes, quid sibi velint istæ mandragoræ, quibus tantopere delectabatur *Rachel*, & qua virtute pollerent?

M. *Liam* peccasse, dum parenti suo morem gerendo, intrusit fæse, loco *Rachelis*, in lectum *Jacobi*, & cum ipso carnalem copulam habuit, cùtamen nondum nupta erat, in confessu est apud omnes Scripturæ Sacrae Interpretes. Consensit quippe *Lia* in stuprum, immo adulterium, a quo *Jacobus*, hujus facinoris plane nescius, jure optimo excusari debet ob facti ignorantiam invincibilem, qua putavat, se non cum *Lia*, sed cum *Rachele*, quæ ei vere nupta erat, congressum carnalem habuisse. Hinc est, quod *Jacobus* mane expergefactus, & videns *Liam*, loco *Rachelis* subrogatam, sic socerum suum, hujus strophæ, seu potius facinoris, auctorem allocutus est: *Quid est quod facere voluisti? nonne pro Rachele servivi tibi? quare imposuisti mihi?* Potuit autem facile *Laban* decipere generum suum *Jacobum*, & in ejus lectum *Liam*, loco *Rachelis*, intrudere, quia mos olim vigebat, ut virgines, dum nubebant, in teñbris, verecundia causa, mariti thalamum adirent. At, si peccavit *Lia*, parentis sui dicto audiens, gravius sane peccatum admisit *Laban*, quippe qui filiam suam *Liam* ad hoc facinus induxit. Tentavit quidem *Laban*, se, prætextu consuetudinis, ab hoc crimine purgare, genero suo *Jacobo* respondens: *Non est in loco nostro consuetudinis, ut minores (supple sorores) ante tradamus ad nuptias.* Genesis c. 29. Sed factus ille erat consuetudinis prætextus, quem obtendebat *Laban*. Nam si revera oblitio aliquæ loci consuetudo, non debuisset *Laban* publice illud solemne convivium nuptriale, cuius meminit Scriptura Sacra eodem in capite libri Genesis, celebrare, quasi uxorem *Jacobo* daturus *Rachelem*, quam omnes sciebant esse natu minorem. Sed de hoc primo, quod proposuisti, Dubio, hactenus satis dictum sit. Quod spectat alterum Dubium, videlicet quid per *Mandragoras*, quas *Ruben* invenit, & detulit ad matrem suam *Liam*, quasque tantopere expetivit *Rachel*, intelligendum sit? fateor ingenue, me in explanatione hujus Dubii hærere ad aquas, & qua mihi vadum tentandum sit, prorsus nescire. At enim, in primigenio Textu Hebræo cap. 20. libri Genesis legitur, *Ruben* detulisse DUDAIM ad matrem suam *Liam*. Legitur etiam in Textu Hebræo cap. 7. libri Canticorum: *Dudaim dederunt odorem suum.* Sed quid per *Du-*

*daim* intelligendum sit? Hoc opus, hic labor est, resque difficultissima, ac multum & saepe quæsita, quæ crucem fixit Scripturæ Sacra Interpretibus, eosque coegerit in variis abire sententias. Quapropter ipse, antequam aperiam, quid in tanta renum obscuritate, tantisque clarissimorum virorum opinionibus longe diversis, ac inter se pugnantibus, probabilius sentiam, varias præmittam opiniones, in quas Scripturæ Sacrae Interpretes, virique doctissimi in hujus vocis *Dudaim* interpretatione distrahitur. Alii existimant, *Dudaim* esse certos quosdam flores & fructus agrestes, orientalibus in locis mense Mayo maturefcente, coloris, odoris, & saporis gratissimi, eoque nomine multum amabiles. Alii autem, *Dudaim* esse *Lilia*; alii *Narcissum*; alii *Tubera*. Alii putant *Dudaim* esse poma, quæ Arabice nuncupantur *Mauz*, & quæ sunt dulcissima, gustuque gratissima, & hanc sentientiam tuetur Cl. Vir. exotericarum Linguarum peritissimus, *Blaſius Ca-riophilus in Dissertationibus Miscellaneis*, Dissertatione tertia. Alii docent, *Dudaim* esse Mandragoras. Alii denique Difficultate oppressi, ajuunt, quid fuerint *Dudaim* in specie? non liquere, ac subinde in hujus vocis explicacione bonas horas collocari non debere. Hæ sunt discrepantes circa notionem *Dudaim* Sacrae Scripturæ Interpretum opiniones, quas inter huic, utpote communiori, adhæreo, quæ vocem hanc *Dudaim* pro Mandragoris accipit. Sic enim omnes Paraphrasæ, tam Græci, quam Chaldæi, Syri, & Arabes, vocem illam *Dudaim* pro Mandragoris acceperunt. Editio etiam vulgata, a qua discedere nefas est, illam *Dudaim* Hebraicam vocem, quæ dumtaxat duobus in locis Sacrae Scripturæ reperitur ( scilicet cap. 30. libris Genesis, & cap. 7. Cantici Canticorum ) accipit pro Mandragoris, ut videatur est in Editione vulgata cap. 30. v. 14. Libri Genesis, ubi hac habet: *Egressus autem Ruben tempore messis triticea in agrum, reperit Mandragoras* ( In Textu Hebræo legitur vox *Dudaim* ). Similiter in Editione vulgata cap. 7. v. 13. libri Cantici Canticorum hæc leguntur: *Mandragore dederunt odorem* ( In Textu Hebræo habetur vox *Dudaim* ). Cum igitur omnium Paraphrasarum, & vulgati nostri Interpretis unus consensus & conspiratio sit in accipienda voce illa Hebraica *Dudaim* pro Mandragoris, eorum interpretationi lubens subscribo. Monitum tamen te obiter velim, ut carreas a gemino errore, in quem circa ejusmodi Mandragoras impegerint aliquot Scriptores. Quidam enim sunt, qui assertunt, Mandragoras vim habere dandi mulieribus fecunditatem, & ideo *Ruben* illas detulisse ad *Liam*, matrem suam, & ad *Rachelem*, ut non solum earum amicitate, & flagrantia declararentur, verum etiam ut ab illis acciperent fecunditatem. Quid quidem tam falsum est, quam quod maxime. Nam primo, quid scire poterat *Ruben*, adhuc puerus, *Dudaim*, sive Mandragoras, fecunditatem comparare, & sterilitati adversari? Deinde, legitimus in sacris Literis, sœminas suisse consecutas fecunditatem precibus Deo factis, sicut de *Sara*, uxore *Abra-*

*Abrahāni*, & de aliis manifestum est, sed nominatim de *Lia* & *Rachele*. Ait enim Scriptura, loquendo de *Lia* cap. 30. v. 17. libri Genesis: *Et exaudiuit Deus preces ejus: concepitque & peperit filium.* Et versu 22. ejusdem capituli libri Genesis, *Moyses* hæc de *Rachele* scribit: *Recordatus quoque Dominus Racheles, exaudiuit eam, & aperuit vulvam ejus; quæ concepit, & peperit filium.* Tertio, soli Ethnici gloriabantur, fecunditatem, vel sterilitatem adhibitis quibusdam medicamentis procurari posse. At illo Ethnicorum errore labrassæ *Liam* & *Rachelem*, easque sancto viro *Jacobo* sociatas, id sibi persuasissæ, & fecunditatem a Mandragoris se accepturas putasse nulla ratione fit verosimile, maxime, cum Patriarcha *Jacob* a gre ferenti *Rachel*, quod infecunda esset, eique dicenti: *Da mibi liberos, alioquin moriar, statim iratus respondit: Num pro Deo ego sum qui privavit te fructu ventris tui?* Quibus verbis palam innuit *Jacobus*, mulieres, quæ sunt steriles, non debere fecunditatem a medicamentis querere, sed illam a Deo, suis precibus, postulare. Nulla ergo vis inest Mandragoris mulieribus sterilibus accersendi, seu dandi fecunditatem, sed tantum, ut docent Medici, Mandragoras possunt quadrangulus fecunditatem juvare. Scribit enim *Plinius* lib. 25. cap. 13. semen Mandragoræ potum purgare foeminarum uterum, indeque fieri, ut ad conceptum præparetur. Alter error, quem perinde cavere debes, in eo situs est, quod nonnulli, post *Dioscoridem* & *Theophrastum*, affirmant, Mandragoras vim habere philtri amatorii, unde inferunt, *Rachelem* Mandragoras sororis sua *Lia* ideo expetivisse, ut hoc pacto amorem viri sui *Jacobi* magis in se accendere ac inflammarè posset, quemadmodum olim Ethnici, ad amorem foeminarum sibi conciliandum, philtri amatorii uti solempne fuisse, docent Scriptores Prophani. Sed a page hanc errorem. Tantum enim abest, ut Mandragora vim habeat Philtri apti ad provocandum amorem, quin potius sit genus herba soporiferæ, propter innatam, quam habet, frigiditatem, quo fit, ut sive olfactu, sive in poculo somnifera sit, & libidinis impetum cohibeat, sicut (post *Plinium* lib. 25. cap. 13.) docent periti Scriptores Botanici, qui de Mandragora, ejusque vi, ac proprietatis tractarunt, quos inter præfertim legi debet *Matbiolus*, qui luculentissimos in *Dioscoridem* edit Commentarios. Præterquam quod, incredibile est, *Liam* & *Rachelem*, quarum preces ad habendum prolem Deus, ut inquit Scriptura Sacra, exaudiuit, voluisse pagano ritu uti Mandragoris, philtri gratia, quo amorem mariti *Jacobi* ardentius erga se excitarent.

„ ( „ ) In tanta de *Dudaim* ambiguitate ali-  
„ quid mihi lucis rei obscuræ affundendum susci-  
„ pio. Inter eos, qui hac de re disputant, minus  
„ probanda mihi videtur aliquorum opinio, qui  
„ *Dudaim* fructum esse fecunditatim promovendæ a-  
„ ptum censem; nec enim ajunt, Autor sacer  
„ mentionem hic de illis habuisset, ubi de fecun-  
„ ditate *Lia* sermonem instituit, nisi *Dudaim* fru-  
„ ctus esset ad fecunditatem utilis. At si nunc  
„ primum inventi sunt *Dudaim*, quomodo medi-

„ cus ejus usus tunc resciri poterat? Hic ergo  
„ commemorantur ab Historico, quasi per parer-  
„ gon, seu præter rem. Oportet autem extitisse  
„ dein Israelitis frequentes, & celebres ad usum.  
„ Viderint nunc Docti, num deferri aliquid possit  
„ traditioni apud Christianos Terra Sanctæ rece-  
„ pta, qui hoc nomen dant quibuldam leguminini-  
„ bus crescentibus inter frumenta, quæ simile ali-  
„ quid habent nostris ciceribus; cum præfertim le-  
„ guminum flores in Palæstina grata oleant, ac  
„ proinde congruere his leguminibus possint, quæ  
„ de mandragoris, seu *Dudaim* legimus *Cant.*  
„ *vii. 13. Mandragoræ* (*Hebr. Dudaim*) dederunt  
„ odorem suum. Vid. *Shaw Voyag.* tom. 2. pag.  
„ 66. Convenit etiam hisce tempus, quo *Ruben*  
„ *Dudaim* invenit, tempus scilicet messis triticeæ,  
„ nam, ut superius animadverti, legumina hæc inter-  
„ fata frumenta crescunt.

D. Id pace tua dixerim, non mihi incredibile videtur. Suspicor, enim, *Rachelem* Idololatriæ cultricem fuisse, eamque a teneris annis in ædibus paternis per educationem, & institutionem, culturæ Idolorum assuevit. Id non obscure colligitur ex c. 31. libri Genesis, ubi sacer Scriptor *Moyses* narrat, *Rachelem*, una cum suo viro *Jacobo*, e paterna domo fugientem, surripuisse Idola patris sui *La- ban*, non alio certe fine, quam ut ea coleret, superstitiosis, & Idololatriæ studioſa. Si ergo *Rachele* Idolorum cultui fuit addicta, incredibile non est, eam, Ethnicorum morem secutam, mandragoris, philtri amatorii gratia, usum fuisse, ut arctiori vinculo amorem mariti sui *Jacobi* sibi devinciret.

M. Non infic iasquidem eo, esse quosdam Santos Patres, & Scriptoræ Sacrae Interpretæ, quibus vixum est, *Rachelem*, in ædibus patris sui *Laban*, Idolorum cultoris, educatam, superstitionum & Idololatriæ studiosam fuisse, eamque idcirco, e domo paterna fugientem, compositis sarcinis Deos penates, seu *Idola* patris sui *Laban* (*inscio viro suo Ja- cobo*) inseruisse, eaque secum furto sustulisse. Sic censent *S. Joannes Chrysostomus* Homilia 57. in Genesim, *Rupertus* lib. 7. Comment. cap. 42. noster *Cajetanus*, & *Oleaster*. At, *Rachelem* ab Idololatriæ vindicant non solum omnes ferme Scriptoræ Sacrae Interpretæ, verum etiam plures Sancti Patres, nimisrum *S. Basilii* Homilia 12. in principium *Libri Proverbiorum*, *Sanctus Gregorius Nazianzenus* Oratione 42. & *Theodoreetus* quæst. 90. in Genesim, iisque rationibus ducuntur, quæ rem plane confidere videntur. At enim primo, verosimile haud videtur, *Jacobum*, Patriarcham sanctissimum, voluisse matrimonium inire cum *Rachele*, ejusque sorore *Lia*, si utraque fuisse revera Idolorum cultrix; et quippe illicita matrimonia Israelitarum cum infidelibus detesta- ti sunt sancti Patriarchæ *Abrahamus*, *Isaacus*, ac subinde *Jacobus*, qui sanctitate morum conspicuus, semper insitit vestigis Majorum suorum. Secundo, Deus preces, quæ *Rachel* & *Lia* ad obtinendam prolem fuderunt, gratas ha- buit, ut ait Scriptura Sacra; quod argumen- to est, eas non fuisse Idololatriæ tenebris im- mersas, quia, sicut ait *Apóstolus*: *Sin. Fide impossibile est placere Deo.* Potremo, ipsamet *Rachēl*

*Rachel* sat superque ostendit, se non esse Idolorum cultricem, quando *Labano*, patre suo, tentrium ipsius, ad querenda Idola sua, ingresso, illa festinans (inquit Scriptura Sacra, Genesis cap. 31.) abscondit Idola subter stramenta, idest, sub clitellis *Camelorum*, & sedidit desuper, & ne parenti suo, qui ad invenienda Idola sua oinnes angulos cum magna sollicitudine, perscrutabatur, assurgere cogeretur, simulavit, se labore fluxu menstruorum, ideoque pra infirmitate assurgere non posse. Non est autem verosimile, *Rachelem*, si fuisset Idolorum cultrix, voluisse ea tam indecenter, tam irreverenter & abjecte tractare. Sed quorsum igitur dices *Rachel* Idola patris sui susturata est, si non esset I-dolatriæ dedita? Huic quæstioni multifariam respondent Scriptura Sacrae Interpretes. Abstulit *Rachel* Idola patris sui, vel quia timuit, ne parens illa aspicioendo, & per illa augurando, cognosceret suam & mariti *Jacobi* fugam, quam tamen volebat esse occultam; vel ut parenti Idola colendi occasionem adimeret; vel denique (quod ipse probabilius censeo) quia ejusmodi Idola ex pretiola materia erant conflata, quæ *Rachel*, intentione compensanda dotis, quam ei parens promiserat, & injuste non dederat, sibi vindicavit, eaque justo titulo retinere posse sibi persuasit. Hæc autem *Labani* Idola, hebraice dicta *Teraphim*, erant statuæ, seu figuræ, aut imagines, humanam formam habentes, ut patet ex lib. 2. Regum cap. 19. v. 13. Hac etiam voce Hebraica *Teraphim* proprie utitur Scriptura Sacra ad designandas illas statuas, quæ opera Daemonum responsa dabant, ut videre est c. 18. v. 18. lib. *Judicium* cap. 21. v. 21. *Ezechielis*, & cap. 10. v. 2. *Zacharie*.

D. Potestne *Judas*, qui Patriarchæ *Jacobi*, & *Lie* filius fuit, excusari a peccato, dum *Thamarem*, nurum suam, constipravit, quam tamen non nurum suum, sed scortum seu meretricem esse putabat? Audivi quippe nuperrime virum quemdam eruditum, qui in publico cœtu asserebat, scortationem fuisse licitam Israelitis ante Legem Mosaicam, idque se evincere posse putabat exemplo *Juda*, qui cum *Thamare*, quam meretricem esse credebat, scortatus est.

M. Priusquam tuæ difficultati faciam satis, historiam *Jude* cum *Thamare* congressus, sicut refertur cap. 38. libri Genesis, paucis describam, ex qua manifeste patebit, nec *Judam*, nec *Thamarem*, a peccato posse illo pacto excusari. *Judas*, sicut in superiori Colloquio jam obseruavimus, inconsulto patre suo *Jacobo*, matrimonium init cum muliere *Chananæa*, ex qua tres filios suscepit, videlicet *Herem*, *Onanum*, & *Saram*. Primogenito filio suo *Herem*, uxorem dedit nomine *Thamarem*. Sed, cum *Her* esset vir nequam in conspectu Domini, & ideo ab illo occisus, voluit *Judas*, ut *Onanus*, suorum filiorum alter, *Thamarem*, jure Leviratus, uxorem duceret, ad fulcitandum semen fratri suo defuncto: Ingredere, inquit ei, ad uxorem fratris tui, & sociare illi, ut suscites semen fratri tuo. Ille, seu *Onanus*, sciens non sibi nasci filios, introgens ad uxorem

fratris sui, semen fundebat in terram, ne liberi, fratris nomine, nascerentur; & ideo percussit eum Dominus, eo quod rem detestabilem faceret, cap. 38. v. 8. 9. & 10. lib. Genesis. Mortuo *Onano*, jussit *Judas* tertio filio suo *Sela*, ut *Thamarem* aciperet uxorem ad suscitandum, jure itidem Leviratus, semen fratri suo *Onano* defuncto. At, cum *Sela* adhuc ætatem haberet intempestivam matrimonia, coacta est *Thamar*, ei despontata, expectare donec *Sela* in ætatem matrimonio idoneam firmamque adolesceret. Tandem, promissis non stante *Juda*, eoque non dante *Thamar* jam adulatum *Selam* maritum, quem ei promiserat, & ex jure Leviratus tenebatur, hanc nimiam dilationem ægre ferens *Thamar*, moræ impatiens, & habenda prolis percupida, induit perlonam scorti, & meretricia specie atque habitu *Judam*, sacerorum suum, ad libidinem incitavit, a quo, postquam prò furtivo concubitu accepisset arrhabonem, seu annulum *Juda*, armillam, & baculum, quem præ manibus tenebat *Judas*, sese ei profuit, duosque ex uno coitu concepit filios, *Pharem* & *Zaram*. Haec tenus descripsi breviter Historiam *Jude* cum *Thamare* congressus. Nunc ostendendum mihi incumbit, scortationem non fuisse licitam Israelitis ante Legem Mosaicam, ac subinde nec *Judam*, nec *Thamarem* posse a peccato fornicationis excusari. Et primo quidem, scortationem non fuisse Israelitis licitam ante Legem Mosaicam docet Scriptura Sacra cap. 24. lib. Genesis, ubi, postquam *Moyses* narravit cruentam cædem Sichemitarum, factam a *Simeone*, & *Levi*, filiis Patriarchæ *Jacobi*, in ultiōem stupri sororis suæ *Dine* inducit *Jacobum* objurgantem filios suos his verbis: *Turbatis me*, & *odiosum fecistis me Chanaeis* & *Pherzeis*, *habitatoribus hujus terre*. Cui paternæ objurgationi confessim respondeunt *Simeon* & *Levi*: *Nunquid ut scorto abiui debuere forore nostra?* Quod certe responsum (si scortatio Israelitis ante Legem Mosaicam licita fuisset) plane futile esset ad excusandam crudelissimam illam stragem, qua *Simeon* & *Levi*, ob stuprum sorori suæ *Dine* illatum, omnes ad unum Sichemitas internecione deleverunt. Ut quid enim hi duo filii *Jacobi*, ira & furore perciti, tot tragedias excitassent, torque homines per summam immanitatem & perfidiam trucidasset, si tam temporis, id est, ante Legem Mosaicam, scortatio Israelitis licita esset? præterea, factum istud historicum de scortatione *Jude* cum *Thamare*, dum narrat Scriptura Sacra cap. 38. lib. Genesis, aperte declarat, scortationem non fuisse Israelitis licitam ante Legem Mosaicam. Ibi quippe legitur, quod cum *Thamar* uterus, post tres mentes a furtivo cum *Juda* concubitu intuniesceret, nunciatum est *Jude*: *Fornicata es Thamar*, *nurus tua*, & *videtur uterus illius intumescere*. Quem nuncium audiens *Judas*, feceris atrocitate purculus, in eam tulit duram sententiam: *Producite eam ut comburatur*. Attamen, dum *Thamar* duceretur ad pœnam, & misserit ad *Judam*, sacerorum suum, dicens: *De viro, cuius haec sunt, concepi, cognosce cujus sit annulus*,

& armilla, & baculus. Hæc cum audisset Judas, sententiam, quam tulerat in Thamarem, revocavit, eamque ab indicta pena liberam pronunciavit. Quis autem credat, Judam in Thamarem, fornicationis ream, & quam ipse prægnantem esse sciebat, tam gravi poena animadvertere voluisse, illamque ultricibus flammis addici iussisse, si tum temporis, hoc est, ante Legem Mosaicam, scortatio, seu fornicatio, Israelitis licita fuisset? Denique, fornicatio non ideo mala est, quia Lege Mosaica prohibita est, sed ideo Lege prohibita est, quia per se & intrinsece est mala. Quo sit, ut non potuerit esse licita Israelitis ante Legem Mosaicam. Id confirmare non pigebit egregio S. Thomæ ratiocinio 2.

2. Quæst. clv. Art. II. ubi inquirit, utrum fornicatio simplex sit peccatum mortale? Sic autem hanc quæstionem solvit. Respondeo dicendum quod absque omni dubio tenendum est, quod fornicatio simplex sit peccatum mortale. Ad hujus autem evidentiam considerandum est, quod peccatum mortale est omne peccatum, quod committitur directe contra vitam hominis: Fornicatio autem simplex importat inordinationem, que vergit in monumentum vitae ejus, qui est ex tali concubitu nasciturus. Videntur enim in omnibus animalibus, in quibus ad educationem prolixi requiritur cura maris & fœminæ, quod in eis non est vagus concubitus, sed maris ad certam fœminam, unam, vel plures, sicut pater in omnibus avibus. Secus autem est in animalibus, in quibus sola fœmina sufficit ad educationem prolixi, in quibus est vagus concubitus, ut pater in canibus, & hujusmodi aliis animalibus. Manifestum est autem, quod ad educationem hominis non solum requiritur cura matris, & qua nutritur, sed multo magis cura patris, a quo est instituendus & defendendus, & in bonis tam interioribus, quam exterioribus promovendus. Et ideo contra naturam hominis est, quod utatur vagus concubitus; sed oportet quod sit concubitus maris ad determinatam fœminam, cum qua permaneat, non per modicum tempus, sed diu, vel etiam per totam vitam. Et inde est, quod naturaliter est maribus in specie humana sollicitudo de certitudine prolixi, quia eis imminet educatio prolixi. Hac autem certitudo tolleretur, si esset vagus concubitus. Hæc autem determinatio certe fœmine, matrimonium vocatur, & ideo dicitur esse de jure naturali. Ex quo S. Thomæ ratiocinio facile colligitur, fornicationem esse peccatum mortale; primo, quia est contra bonum procreationis. Fornicator quippe in coitu non intendit generationem prolixi, sed estrani dumtaxat libidini sue vult indulgere. Secundo, fornicatio est contra bonum nutritionis, educationis, & instructionis prolixi. Denique, fornicatio est contra divinam Ordinationem, quæ ab exordio mundi fuit, & est, ut una uni conjungatur. Dixit enim Deus Adamo, primo omnium hominum parenti: *Quam obrem, relinquer bona patrem suum, & matrem, & adhæreibit uxori sue, & erunt duo in carne una, sive, ut habet Textus Hebraicus, in carnem unam, quia vir & mulier, qui eo junguntur actu, qui ad generis humani propagationem a natura est destinatus, una caro esse debent, idest, ita sibi arcta necessitudine adhaerere, ita se amare, fidem*

sibi mutuo datam servare, & omnes amoris reciproci vices, communii convictu, perpetuo contubernio, bonorum & malorum communione, inter se alternare debent, ut unam carnem, seu in unum & idem corpus coaluisse videantur. Qui ergo se carnali copula jungunt, nec una caro esse volunt, hoc est, per conjugium, perpetuumque contubernium sociari nolunt, hi profecto non solum non utuntur medio ad generis humani propagationem legitimo, verum etiam divinum Institutum violant, primordialeme de Matrimonio Legem, non Mosaicam dumtaxat, sicut perperam sibi persuasit Joannes Marshamus, Scriptor Anglus, qui inter cætera opinionum portenta, quæ effutare illum non puduit, ausus est asserere in suo *Canone Chronicæ* pag. 17. ante Legem Mosaicam *Hebreis innuptis licium fuisse corporis copiam pro libitu facere*. Qui error ex his, que haec tenus diximus, abunde confutatus manet. Cum igitur scortatio, seu fornicatio, non fuerit Israelitis ante Legem Mosaicam licita, sicut jam ostendimus, aperte sequitur primo, Thamarem, quæ data opera se meretricem simulavit, & meretricia specie atque habitu Judam, sacerorum suum, ad libidinem provocavit, seque ei prostituit, a peccato excusari nullatenus posse. Sequitur secundo, peccasse itidem Judam cum Thamare congreßum, quippe qui petulanti libidine incensus, ad eam accessit, quam putabat meretricem, & illicita voluptatis fruitionem pactus, nefariae libidini sua frena laxavit. Hinc S. Thomas, loco mox a me laudato, sic responderet tertio, quod sibi proponit, argumento: *Judam autem necessarium non est a peccato excusare, qui etiam auctor fuit venditionis Josephi*.

D. Nimirum morosum profecto te exhibes censoriem, dum Thamarem a fornicationis peccato excusari hand posse asseveras. At, si ipse hac in causa arbiter, ac judex federem, a peccato eam liberam inunctanter pronunciarem, ob reclam, quam habuit, intentionem, dum ad suffurandum Jude, saceri sui, concubitum impulsus est. Nec enim furtivum istum concubitum expetivit Thamar, ut libidini indulgeret, sed quia marito, seu Sela, sibi promisso, & suo debito fraudata fuit a Juda, sacero suo, & quia etiam ardentissimè flagrabat desiderio ex Abrahami stirpe, quæ a Deo benedicta erat, fuscipendi prolem. Quis autem inficiari potest, hanc fuisse bonam intentionem, rectum ac piuum consilium? Cum igitur multi, quos consului, Theologi, nonnullas actiones excusant, quæ sine hac intentione factæ jure culparentur, non video sane, cur Thamarem, cum bona intentione, pioque confilio operantem in concubitu, quem habuit cum Juda, a peccato fornicationis eximere nolis?

M. Recta illa intentio, piusque consilium, quo Thamar inducta est ad suffurandum Jude, saceri sui, concubitum, non potest illam a peccato fornicationis excusare propter duplē rationem, quam hic subjicio. Prima hæc est: Duplex non bonorum officiorum genus distinguit S. Thomas. Quod-

Quodlibeto 9. Art. xv. Aliud suapte natura, in-  
five, ut loquuntur Theologi de Schola, in-  
trinsece malum, & nullis additis circumstantiis e-  
mendabile. Tale est, Ex. gr. stuprum, seu fornicatio.  
Aliud est non bonorum officiorum genus,  
quod quidem in malum est propensum, & sua  
sponte inordinatum, sed tale tamen, ut quibus-  
dam adhibitis circumstantiis, possit illis inordi-  
nationibus exui, imo laudabile fieri, quale est  
quod a S. Thome ibidem commemoratur exem-  
plum illius, qui propter maximas quasdam Ec-  
clesiae utilitates retineat plures Praebendas. Hoc  
iusto solidissimo in Doctrina moralis S. Thomae fun-  
damento, fateor ultro illas actiones, quae non  
sunt suapte natura, idest, intrinsece malæ,  
sed dumtaxat propendent in malum, nonnunquam  
fieri licitas, non sola & voluntaria directionis in-  
tentione, sed ex additis circumstantiis, quibus ad  
bonum reflectuntur, sicut conceptis verbis docet  
Angelicus Doctor, loco mox a me citato. At,  
actionem, quae est intrinsece mala, qualis est  
fornicatio, posse adhibitis circumstantiis, vel  
solo bona intentionis flexu evadere bonam, hoc  
est, quod nego ac pernego non solum cum S.  
Thoma, sed etiam cum S. Augustino, qui lib.  
contra Mendacium cap. 7. haec habet: *Interest quidem plurimum, qua causa, quo fine, qua intentione quid fiat.* Sed ea, que constat esse peccata, nullo  
causæ bona obtenu, nullo quasi bono fine, nulla ve-  
lut bona intentione facienda fuit. Altera ratio, quæ  
probat recti finis intentionem, quam habuit  
Thamar, non posse eam a fornicationis peccato  
excusare, haec est, quia docent Theologi, recti fi-  
nis intentionem opus, quod ex genere suo malum  
est, moraliter bonum non efficere, cum moralis  
bonitas non solum hauriatur ex bonitate finis,  
verum etiam ex bonitate objecti & circum-  
stantiarum, & bonum ex integra causa, malum  
vero ex quocumque defectu censeatur; alioqui  
gravissima peccata homicidium, furtum, duellum,  
facrilegium, &c. quæ quis propter bonum finem  
perpetraret, puta ad impertiendam eleemosynam,  
ad tuendum honorem, ad vitam servandam,  
ad publicum aliquod bonum consequendum, fa-  
cili negotio excusari possent, sicut ea excusare  
tentarunt nonnulli moderni moliores Theolo-  
gi, qui per directionis intentionis methodum,  
quæ excogitarunt, amplissimam aperuissent viam  
ad excusandas excusationes in peccatis, nisi Ec-  
clesia horrendas laxitates, ac corruptelas, quas in  
doctrinam moralem invexerunt, proscripsisset.  
Esto igitur bona fuerit intentio, rectiusque desi-  
derium suscipienda prolis, quo Thamar flagrabat;  
prolem tamen ex furtivo Jude, soceri sui, expe-  
tere, turpe fuit & execrandum flagitium, quia,  
sicut dicit S. Augustinus lib. 22. contra Faustum  
cap. 62. Melius sine filii remaneret (Thamar)  
quam sine iure matrimonii mater fieret. Scio qui-  
dem Judam, cum facti Thamaris veritatem explo-  
ratam habuisset, seque sceleris participem esse intel-  
lexisset, haec verba protulisse: *Justior me est, idest,*  
*Thamar.* Non me latet etiam quodam Ecclesiae  
Doctores, S. Chrysostomum Homil. 62. in  
Genesim, S. Ambrosium lib. 3. Comment. in

Evangelium S. Luca, & Theodoretum quæst.  
95. in Genesim, excusatæ intentionem & consi-  
lium Thamaris, quæ non impulsu libidinis,  
sed amore suscipienda prolis, furtivum concubitu-  
num Jude, socero suo, concessit. Verius, ut  
candidè fatear, nihil inde ad excusanduni Tha-  
maris factum extundi, seu elici potest; primo,  
quia Judas non dixit de Thamar, quod esset se  
ipso sanctior, aut castior, sed tantum quod es-  
set se ipso Justior, quod certe verissimum est, Ju-  
das enim promissa & pacta sua minime servaver-  
at, & injuste impeditabat, ne Thamar prolem  
ex Sela, quem maritum ei promiserat, & da-  
re tenebatur, susciperet. Secundo, Judas, his  
verbis: *Justior me est, innuere dumtaxat voluit,*  
Thamarem, quæ ejus concubitum appetierat, non  
turpis libidinis causa, sed honesto suscipienda pro-  
lis desiderio impulsam, minus esse ream, quam  
ipse revera erat, qui turpis ardore libidinis fla-  
grans ad Thamarem accesserat; sed illam inson-  
tem nequaquam pronunciavit. Sic verba haec  
Jude interpretatur S. Hieronymus in libro Tradi-  
tio um Hebraicarum in Genesi: *In Hebreo, in-*  
quit sanctus ille Doctor, *habet; Justificata est ex*  
*me, (seu Thamar) non quod iusta fuerit, sed quod*  
*comparatione illius (seu Jude) minus mali fecerit,*  
*nequaquam vaga ad turpitudinem, sed liberos re-*  
*quirendo.* Postremo, Thamarem, ob illud hone-  
stum, quod habuit, suscipienda prolis desiderium,  
nulla feda libidine conspurcatum, excusant mox  
citatæ Ecclesiæ Doctores, eam tamen non absolvunt,  
quia haec Thamaris intentionis honestas in  
actionem ex se & intrinsece malam refundi non  
potuit, eamque efficeré bonam, tamersi actio-  
nis malitiam minuerit, & a tanto, non a toto, ut  
post sanctum Thomam docent Theologi, eam ex-  
cusaverit.

D. Referendo superius historiam Jude concubitus  
cum Thamar obseruasti, Judam, tres habuisse fi-  
lios, Herem, videlicet, Onanum, & Selam, pri-  
mogenito filio Heri nuptam esse Thamarem, sed,  
eo mortuo, absque prole, Onanum, alterum Ju-  
de filium, uxorem, iure leviratus, duxisse Tha-  
marem, viduam fratris sui Heri demortui absque  
liberis; denique, demortuo itidem Onano absque  
prole, Selam, qui erat tertius Jude filius, eodem  
iure leviratus, uxorem accepisse Thamarem, vi-  
duam, ut suscitaret semen fratri suo Onano; qui  
e vivis abierat nullis procreatis liberis. Jam  
probe scio, jus leviratus in eo situm esse, quod  
frater demortui fratris sui sine prole uxorem vi-  
duam ducere tenebatur, eique suscitare semen,  
seu prolem, quæ fratrū defuncti stirpem propa-  
garet. Qua de re Moyses cap. 25. Libri Deuteronomii v. 5. specialemi tulit Legem, his verbis con-  
ceptam: *Quando habitaverint fratres simul, & unus*  
*ex his absque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti*  
*non nubet alteri, sed accipiet eum frater ejus,*  
*& suscitabit semen fratris sui.* Hanc, inquam, de  
Leviratu Legem a Moyse institutam esse scio.  
Sed inde emergit difficultas, quam mihi in præ-  
sentia expediens velini. Dicas enim, sodes, quo-  
modo fieri potuerit, ut hanc de Leviratu Legem,  
cujus auctor ac conditor fuit Moyses, notam  
habe-

habere & observare potuerint *Judas*, aliique Patriarcha, qui ante Legem Mosaicam vixerunt?

*M. Judas*, aliique Patriarchae, qui ante promulgationem Legis Mosaicae vixerunt, predictum jus Leviratus per specialem divinam revelationem notum habuerunt, & observarunt, ut constat jam adducto exemplo filiorum *Jude*. Voluit quippe Deus triplici potissimum de causa, ut jus Levirationis, quo frater defuncti fratris absque prole uxorem viduam ducere tenebatur, & fratris semen excitare, seu prolem, qua *ejus* familiam propagaret, observaretur a sanctis Patriarchis, qui vixerunt ante legem Mosaicam, primo, ne familiarium Israelitarum numerus minaueretur, & ne haereditates Tribuum ac familiarium promiscue confunderentur, quo accidisset, si viduæ alienis viris nupserent, bona enim sua in exteris familias transviscent. Deinde, hoc ius Leviratus voluit Deus ut Patriarcha, etiam ante Legem Mosaicam observarent, quo ius primogenitura, additaque ei benedictio in familia continuarentur ad praetfigurandum Messiam, qui (ut inquit Apostolus in Epistola ad Romanos cap. 3. v. 29.) est *Primogenitus in multis fratribus*. Denique voluit Deus, ut Patriarcha, qui vixerunt ante Legem Mosaicam, observarent ius Levirationis, quod postea per Legem *Mosis* posteris fanciendum, & praescribendum erat, quo *Hebrei*, Majorum suorum excitati exemplo, ius illud Levirationis, moremque ducenti uxorem fratris sine liberis defuncti, in Lege Mosaica preceptum, promptius ac facilius observarent. Non clam me est, *Joannem Marshamum*, vanis conjecturis indulgentem, a sum fuisse asserere, Patriarchs ante Legem Mosaicam mutuatos fuisse ab Aegyptiis hoc ius Leviratus, seu morem ducenti uxorem fratris absque prole defuncti; eumque ad tam inauditi haec tenus paradoxi probationem citare quamdam Legem ab Imperatore *Zenone* latam (qua extat lib. 5. *Justitiae Codicis*, Tit. vi. L. viii.) in qua laudatus Imperator narrat, quosdam Aegyptios idecirco mortuorum fratum conjuges sibi matrimonio copulasse, quod post illorum mortem mansisse virgines dicebantur, ideoque districte in hac Lege inhibet *Zeno* Imperator, ne quis, ad exemplum Aegyptiorum, hujusmodi nuptias contrahere presumat. At, hec *Marshami* probatio quam jejuna, quam subfesta & frigida sit, nemo est, qui statim non videat. *Zeno* siquidem Imperator non ait, receptum hunc apud Aegyptios morem, & ex jure, patrioie Instituto ab illis observatum, ut defunctorum conjuges, sibi matrimonio conjungent, sed solum ait, id soleme dumtaxat fuisse quibusdam Aegyptiis: *Lacet quidam Aegyptiorum*, sunt ipsissima verba *Zenonis* Imperatoris. Præterea, mos ille, qui apud quosdam Aegyptios invaluerat, uxores fratris defuncti sibi matrimonio sociandi, eo dumtaxat casu locum habebat, quo morruens frater non convenisset cum sua conjugi, idest, matrimonium cum ea non consummasset: adeo ut post mariti mortem virgo permanuisse diceretur. At, dispar omnino fuit, ac longe lateque discrepans Juris Leviratus ratio apud Hebraeos, quia, juxta ius Leviratus,

quod fuit in usu apud Hebraeos ante Legem Mosaicam, quodque postea sanctum est in Lege Mosaica, matrimonium conjugum jam supponebatur consummatum, & frater uxorem fratris absque liberis defuncti ducere obstringebatur ad suscitandum defuncto fratri semen, & ejus hereditatem una cum benedictione primogeniti in familia conservandam. Postremo, Imperator *Zeno* imperare coepit anno ccclxxiv. Quo pacto igitur *Marshamus* ex ea recentiori *Zenonis* Lege, sibi, aliquique persuadebit, ius Leviratus ante *Jude* Patriarchæ tempora, & ante Legem Mosaicam apud Aegyptios ibi invaluisse, ibique obtinuisse? Ad summum ex ea Imperatoris *Zenonis* Lege colligi potest, Aegyptios ius Leviratus, aliquique Hebraeorum ex Lege Mosaica ritus mutuatos esse, eosque, Imperante *Zenone* adhuc observasse. Ceterum, Patriarcham *Judam*, ius Leviratus e more Aegyptiorum in familiam suam recepisse, sicut comainiscitur *Marshamus*, tam falsum est, quam quod maxime, cum *Judas* id temporis, idest, quando filius *ejus* *Onanis* jure Leviratus, matrimonium inivit cum *Thamar*, uxore fratris sui *Her*, defuncti absque liberis, necdum in Aegyptum profectus esset, nihilque negotii, societatis, & confutundinis adhuc habuisset cum Aegyptiis, sicut convenit inter omnes Scripturæ Sacra Interpretates, quamvis in assignanda hujus historiae *Jude* & *Thamaris* epocha non una sit apud illos sententia. Alii namque putant, hanc *Jude*, & *Thamaris* historiam contigisse ante venditionem *Josephi*. Alii vero existimant, hanc *Jude*, & *Thamaris* historiam contigisse post venditionem *Josephi*. Sed, ut ut sit de istius historiae epocha, quam certe ac præcise non designat, & definit Scriptura Sacra, in confessu est apud omnes, hanc historiam *Jude*, & *Thamaris* contigisse, antequam Patriarcha *Judas*, una cum patre suo *Jacobo* ingredieretur in Aegyptum, eique aliqua cum Aegyptiis intercederet consuetudo. Facebat itaque *Marshamus*, qui facilius oleum ex pumice extundere potuisset, quam ex memorata *Zenonis*, Imperatoris, Lege elicere, ius Leviratus, seu morem, quo fratres tenebantur uxores fratrum absque liberis defunctorum sibi matrimonio copulare, jam apud Aegyptios ante Patriarchæ *Jude* tempora, hoc est, ante Legem Mosaicam invaluisse.

D. Cum de venditione *Josephi* mox mentionem feceris, obsecro te, ut mihi exponas, quale sit nomen, quod *Pharao*, Rex Aegyptiorum, postquam somniorum suorum a Patriarcha *Josepho* explicacionem accepisset, imposuit eidem Patriarchæ *Josephi*? Legi siquidem in Scriptura Sacra, *Pharaonem* vertisse nomen *Josephi*, & vocasse eum Lingua Aegyptiaca, Salvatorem Mundi: *Dixit Rex ad Joseph*: *Ego sum Pharaon, absque tuo imperio non movebit quisquam manum, aut pedem in omni terra Aegypti*: veritatem nomen *ejus*, & vocavit eum lingua Aegyptiaca, Salvatorem mundi, Genesis cap. 41. v. 44. & 45. Velim igitur scire, an nomen Patriarchæ *Josepho* a *Pharaone*, Rege Aegyptiorum, impostum vere in Lingua Aegyptiaca significet *Salva rem*? M. Ta-

M. Tametsi, ut candide fatear, Linguam Aegyptiacam prorsus ignorem, & eam nequidem a limine salutaverim, nihilosecius (ne ad aquas omnino hærente videar) referam hic breviter quid circa etymologiam Ægyptii nominis, quod Patriarchæ Josepho indidit *Pharaos*, Ægyptiorum Rex, sentient viri eruditæ. Dein, eam, quæ mihi magis arridet, sententiam, quamque tu tenere debeas, indicabo. Dudum querunt Scripturæ Sacrae Interpretæ, utrum nomen quod Josepho Patriarchæ imposuit *Rex Pharaos*, Salvatorem Mundi significet, an vero revelatorem arcanorum, seu absconditorum repertorem. *Lyranus*, Lingua Hebraicæ perittissimus, datus hujus Ægyptii nominis etymon, hæc scribit: *In Hebreo*, inquit, *sic dicitur*, & vocavit Pharaon nomen Joseph Zaphnath Pahaneah, quod in Hebraica Lingua significat occultum revelans, secundum quod dicunt Hebrei & Hieronymus, & est conveniens ipsi Joseph, qui revelavit ea, quæ erant alia occulta, ut patet per predicta. Utram autem idem nomen in Lingua Ægyptiaca, significet Salvatorem Mundi, nefcio, nisi quantum dicit translatio nostra, seu vulgata editio quia Linguam Ægyptiacam penitus ignoro. Haec tenuis *Lyranus*, qui censet, nomen Patriarchæ Josepho a Rege impositum significare hebraicæ Revelatorem occultorum, sed non Salvatorem. In eamdem *Lyrani* interpretationem abeunt Oleaster, Joannes Gregorius in notis & Observationibus in loca aliquot Scriptura Sacrae cap. 16. & aliqui periti Rabbini. At, ista nominis Josepho a Pharaone impositi interpretatione non probatur doctissimo Patri Guillermo Bonjour, Ordinis Eremitarum S. Augustini, qui Romæ anno MDCXCVI. eruditam Dissertationem edidit *De nomine Patriarchæ Josepho a Pharaone imposito*, in qua omnigeno antiquitatis argumento, multisque perdoctis observationibus, ex antiquissimis Lingue Ægyptiacæ fontibus haustis, probat, nomen Patriarchæ Josepho a Pharaone impositum significare in Lingua Ægyptiaca SALVATOREM. Sed præcipue Cl. ille Scriptor sententiam suam adstruit ex vetustis Nummis & Inscriptionibus *De Serapide*, quem tanquam Deum colebant Ægyptii, & in cuius simulacro quidam sancti Patres, Patriarcham Josephum adumbratum esse tradiderunt. In his namque Inscriptionibus *Serapis* appellatur *Servator*, ut patet ex ista de Serapide Inscriptione, quæ extat apud Gruterum pag. 83. num. 3.

D E O  
I N V I C T O  
S E R A P I D I  
S E R V A T O R I

Est etiam vetus Inscriptio de *Iside*, individua *Serapidis* comite, quamque Ægyptii invocabant tanquam *Deæ Salutis* in memoriam salutis per Servatorem Josephum latæ. Hac autem Inscriptio, *Isidi Salutari* nuncupata, extat apud Gruterum pag. 83. num. 15.

SÆCULO FELICI.  
PHISIAS. SACERDOS.  
ISIDI. SALUTARIS.  
CONSECRATIO.

Advertit tamen eruditus *Guillelmus Bonjour*, imperitum Sculptorem *Isidi Salutaris* mendose posuisse pro *Isidi Salutari*.

D. Age nunc, & indica, si placet, quænam ex his, quas mox adduxisti, de nomine Patriarchæ Josepho a *Pharaone*, Ægyptiorum Rege, imposito, interpretationibus, sit probabilior, & cui adhædere debeam?

M. Vera & genuina nominis Patriarchæ Josephi impositi interpretatio ea est, quæ *Josephum* fuisse a Rege *Pharaone* appellatum SALVATOREM MUNDI statuit. Hæc enim interpretatione apprime consona est Editioni vulgata, quæ, ut antea dixi, cap. 41. lib. Gen. v. 45. hac habet: *Et vocavit* (seu *Pharao*) *cum* (ideft, Patriarcham Josephum) Lingua Ægyptiaca SALVATOREM MUNDI. Porro, ab Editione Vulgata, quam Oecumenicum Concilium Tridentinum authenticam declaravit, & Ecclesiæ usui consecravit, discedere nefas est. Præterea, hanc interpretationem suo calculo probant sancti Patres *Augustinus* & *Hieronymus*, quorum prior lib. Quæst. super Gen. quæst. 135. ait: *Hoc nomen interpretari dicitur*, occulta revelavit, *ex illo utique*, quod *sonnia* (Josephus) *Regi aperuit*. *Aegyptiaca vero Lingua Salvatorem Mundi perhibent isto nomine appellatum*, quibus verbis palam innuit *S. Augustinus*, non solum sibi, sed & pluribus aliis probatam fuisse ejusmodi interpretationem: *Aegyptiaca vero Lingua Salvatorem Mundi perhibent isto nomine appellatum*. Idipsum quoque tradidit *S. Hieronymus* lib. Traditionum Hebraicarum in *Genesim*, ubi hæc habet: *Licer Hebraice hoc nomen absconditorum repertorem sonet, tamen quia ab Aegyptio ponitur, ipsius Lingue debet habere rationem*. Interpretatur ergo sermone *Aegyptio* Zaphanath Phanea, sive, ut septuaginta transferre voluerunt *Ψουρωπαν* Salvator Mundi, eo quod orbem terræ ab immunitate famis excidio liberavit. Auctoritas autem *S. Hieronymi* hac in re præsertim magni ponderis esse debet, quippe qui Lingua Ægyptiacam apprime callebat. Epistolas enim, quas *S. Pachomius*, *Cornelius*, & *Syrus* *Aegyptio* sermone ad se ultra citroque scribabant, Latinas ille fecit, simplicitatem sermonis Ægyptii imitatus, sicut ipse testatur Praefatione in Regulam *S. Pachomii*: *Ajunt, inquit, Thebæi, quod Pachomio, Cornelio, que & Syra, qui usque hodie ultra centum & decem annos vivere dicitur, Angelus lingue mystice scientiam dederit, ut scriberent sibi, & loquerentur per alphabetum speciale, signis quibusdam & symbolis absconditos Jesus involvens: quas nos epistolæ, ita ut apud Ægyptios, Grecesque leguntur, in nostram linguam vertimus, eadem, ut reperiimus, elementa ponentes, & qua simplicitate Ægyptia sermonis imitati sumus, interpretationis fides est, ne viros Apostolicos, & totos gratie spiritualis sermo Rhetoricus immutaret*. Cum igitur *S. Hieronymus* Lingue Ægyptiacæ fuerit peritus, debet omni

omni procul dubio esse testis locupletissimus, omnini exceptione major, significationis vocabulorum hujus linguae, hisque omnibus Scriptoribus praeferendus est, qui, nulla Aegyptii sermonis ratione, aut notitia habita, nomen Josephi, a Pharaone, Aegyptiorum Rege, impositum Revelatorem arcanorum interpretantur.

D. Ex his, quæ in nostro primo Colloquio in Historiam tertia Mundi Etatis de habitatione Israelitarum in Aegypto narrasti, satis compertum habeo, tribus potissimum rebus hanc habitacionem insignitam atque nobilitatam fuisse. Primum enim Josephus eo tempore universam Aegyptum summo cum imperio, & secundus a Rege gubernavit, eoque superstite omnia prospera & laeta fuerunt Hebrais. Deinde, post mortem Josephi perinsigis & admiranda fuit multiplicatio Hebraeorum, quamvis durissima servitate ab Aegyptiis opprimerentur. Demum eorum liberationem atque exitum ex Aegypto tot & tanta tunc a Moysi edita prodigia illustrem ac mirabilem reddiderunt. Hæc, inquam, ex his, quæ de habitatione Israelitarum in Aegypto narrasti, satis comperta & explorata habeo. Sed nonnulli difficultatis patior circa stirpis Israeliticæ multiplicationem in Aegypto. At enim, certum est septuaginta tantum animas, ut loquitur Scriptura Sacra, seu septuaginta dumtaxat Israelitas familiæ Patriarchæ Jacobi descendisse in Aegyptum, & habitationem Israelitarum in Aegypto fuisse tantummodo ducentorum & quindecim annorum; atqui tamen, quando Israelites profecti sunt in Aegypto, fuere (sicut legitur lib. Exodi cap. 12. v. 37.) sexcenta armatorum millia, nec eum in numerum venere pueri, aut mulieres, fortasse nec calones, nec lixæ, sed solum illi, qui proprio militum loco poterant censerri. Qui igitur, amabote, fieri potuit, ut ex tam paucis Israelitis, qui in Aegyptum ingressi sunt, tam exiguo tempore, tantus hominum prodierit numerus?

M. Nonnulli Scriptores, ut ab hac, quam proposuisti, difficultate se expediunt, ajunt, Israelitas mansisse in Aegypto per quadringentos triginta annos, ac subinde mirum non esse, si per tantum temporis intervallum in hunc immensum, qui percentsur Exodi cap. 12. v. 37. numerum excreverint, quando egressi sunt ex Aegypto. Verum hanc sententiam jam falsi convicimus in nostris Colloquiis in Historiam secundæ Mundi Etatis, ubi, explicando hæc verba, quæ Deus (cap. xv. lib. Genesis) dicit Abrahamo, in Chananæ Regione jam habitanti: *Scito pranoscens quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non tua, & subiiciens eos servituti, & male tractabunt eos annis quadringentis*, ostendimus, per terram non suam, tum terram Chananæam, tum Aegyptum designari, adeo ut anni Hebraeorum peregrinationis, quam Deus eo loci futuram praedixit Abrahamo, duas in partes æquales distribuendi sint, & ducenti quindecim peregrinationi eorum in terra Chanaan, ducenti vero & quindecim alii anni peregrinationi eorum in terra Aegypti sint assignandi. Quod quidem, ut magis hujusce rei patescat veritas, duobus momentis

hic confirmare non pigebit. Primo, hæc quadringentorum & triginta annorum summa ad servitatem Aegyptiacam referri citra errorem non potest, quia generationes, quas toto eo tempore, quo Israelite manserunt in Aegypto, percentet Moyses, id minime patiuntur. Caath siquidem filius Levi cum patre suo, & avo Jacobo descendit in Aegyptum (Gen. cap. 46. v. 11.) Amram autem filius Caath, pater fuit Moysis. Quis autem tam bonus, ut credat, unam, vel duas generationes per 430. annos ea ætate protendi potuisse? Præterea, 430. annos peregrinationis Hebraeorum, de qua loquitur Scriptura Sacra, putando esse non ab ingressu Israelitarum in Aegyptum, sed ab eo tempore quo Deus dixit Abrahamo: *In semine tuo benedicentur omnes Gentes*, concors est omnium Scriptorum, cum Graecorum, tum Latinorum, nec non peritorum Rabbinorum sententia. Veteres soli ponam Scriptores Graecos, quales sunt Eusebius in Chronicis, Epiphanius in Ancorato cap. 12. Chrysostomus Homil. 37. in Genesim, ut de Gedreno, Zonara, & juniorum aliis sileam. E Latinis vero laudabo S. Hieronymum Commeat. in Cap. 3. Epist. ad Gal. S. Augustinum cap. 16. libri 16. De Civitate Dei, & quæst. 47. in Exodus, Severum Sulpitium lib. 1. Sacrae Historiae, ut nihil dicam de modernorum Scripturæ Sacrae Interpretum copia, quorum hic catalogum texere nimis longum foret. Denique, inter Judæos huic sententia aperte suffragatur Josephus lib. 2. Antiquitatum Judaicarum cap. 5. ubi conceptis verbis, ait, Hebraeos profectos fuisse ex Aegypto anno, post Patriarchæ Jacobi migrationem in Aegyptum, ducentesimo quinto decimo. Josephum, Hebraum, in hoc computo ducentorum & quindecim annorum habitationis Hebraeorum in Aegypto, sequuntur R. Levi Ben Gerzon, R. Salomon, & Rabbini in Seder Olam. Huic igitur tot Scriptorum, in eamdem sententiam conspirantium, calculo adhærere debemus, planeque cum illis affirmare, initium quadringentorum triginta annorum peregrinationis Hebraeorum, cuius mentionem facit Scriptura Sacra, non esse arcendum ab ingressu Populi Israelitici in Aegyptum, sed a tempore promissionis a Deo factæ Abrahamo: *In semine tuo benedicentur omnes Gentes*, ita ut Israelites una cum Abrahamo, Isaaco, & Jacobo peregrinati sint in Terra Chananæa per annos ducentos quindecim & deinde habitaverint in Aegypto per alios ducentos & quindecim annos. Sed, si ita sit, inquires, quo pacto fieri potuit, ut ex septuaginta illis animabus, seu Israelitis, qui cum Patriarcha Jacobo ingressi sunt in Aegyptum, prodierit, intra spatium ducentorum & quindecim annorum, ingens illa & stupenda Israelitarum multitudo, quæ prævaleret Aegyptiis; tamque gravem metum conciret Pharaoni, Aegyptiorum Regi, ut obstetricibus mandarit, ut quoties masculi apud Hebraeos nascerentur, eos interferient? Huic difficultati tuae respondebo cum S. Augustino in libro Questionum in Genesim, quæst. xlvi. His (ccxi. annis) quantum multiplicari potuerint Hebrei, si fecunditas hominis consideretur, adjuvante illo, qui eos voluit multiplicari,

plicari, reperietur, non esse mirum, quod in sexcentis millibus peditum egressus est populus. Et sane, ut obiter dicam, si tres filii Noemi, Semus, Chamus, & Japhetus a Diluvio usque ad divisionem terrae, seu dispersionem hominum, qua facta est anno circiter centesimo nonagesimo secundo a Diluvio pares fuerunt procreandis hominibus, qui ad Turrim Babyloniam struendam, diversaque condenda Regna sufficere potuerunt, sicut ostendimus in nostris Colloquiis in Historiam secundam Mundi Etatis; quidni credibile erit, potuisse Israelitas intra spatum ducentorum & quindecim annorum ita sobolescere ac multiplicari in Aegypto, ut in numerum sexcentorum milium hominum armatorum, divina maxime favente ac fœcundante benedictione, excreverint, quando sunt egressi ex Aegypto? (a)

(a) „Quamvis tanta Hebraeorum in Aegypto intra adeo breve temporis spatium multiplicatio in Deum auctorem referenda est, multum tamen loci naturam in rem illam contulisse credibile efficit auctoritas veterum profanorum Scriptorum. Ariostoteles hist. anim. lib. vii. cap. iv. Sepe & plerisque in locis geminos (pariunt mulieres) quemadmodum in Aegypto. Strabo lib. xv. interdum mulieres Aegyptiae quater geminos parvum. Plinius lib. vii. cap. iii. trigeminos nasci certum est; supra, inter ostensa ducitur, preterquam in Aegypto, ubi saeferi potu Nilus; & paulo post: in Aegypto pteros uno partu simul gigni, auctor est Trogus. Columella de re rust. lib. iii. cap. vii. Aegyptiis, & Afri gemini partus familiares, ac pene solemnes sunt. Vide & Paulum Juriscons. in L. 3. ff. si pars hereditatis &c.

D. Dixisti, si bene memini, in superiori Colloquio, Regem Pharaonem, ab obstetricibus Hebraeis, quibus ipse præceperat, ut puerulos Hebraeorum, recens ex utero materno egressos interficerent, officioso mendacio fuisse delusum. Quapropter nunc, quodnam fuerit istud officiosum obstetricum Hebraearum mendacium? & an revera fuerit peccatum?

M. Illud officiosum obsteticum Hebraearum mendacium, in hoc situm est, quod haec obstetrices timentes Deum, & nolentes obtemperare crudeli Mandato Regis de mactandis maribus Hebraeorum, irato Pharaoni responderunt: Non sunt Hebreæ, sicut Aegyptie mulieres: ipse enim habent obstetricandi scientiam, & priusquam veniam ad eas, pariunt. Exodi cap. i. subdit autem Scriptura Sacra ibidem: Et quia timuerunt obstetrices Deum, edificavit eis domos. Dubium non est, quin obstetrices illa mentiri sint, non quidem animo fallendi, sed misericordiam praefatam, sed nullo modo mentendum est. Unde cum Scriptura Sacra dicit, eas a Deo fuisse mercede donatas, respondet S. Augustinus lib. Contra Mendacium num. 32. alias cap. 15. Non ideo famulum, quia mentitae sunt, sed quia in homines Dei misericordies fuerunt. Non est itaque in eis remunerata fallacia, sed benevolentia; benignitas mentis, non iniquitas mentientis. Et inferius num. 34. alias cap. 17. Sed dicit aliquis: ergone obstetrices illæ mentiis fecissent, si nullam misericordiam præstisset?

Immo vero illæ mulieres Hebreæ, si essent tales, de qualibus querimus, utrum sit eis aliquando mentionandum, nec aliquid falsi dicerent, & fœda ministeria de parvulis occidentis liberimè recusarent. Sed, inquit, ipsa morerentur. At vide quid sequatur: morerentur enim cœlestis habitationis incomparabiliter ampliore mercede, quam domus illæ, quas sibi fecerunt in terra, esse potuerunt: morerentur future in aeterna felicitate, mortem perpeccisse pro innocentissima veritate. Huic doctrinæ Sancti Augustini non solum subscrribit Sanctus Thomas, ejus fideliissimus discipulus, sed tota ei constanter adheret sanctioris Ethicae Schola, quæ omne mendacium in quocunque casu, omnem fictionem, aut dissimulationem, vel restrictionem mentalem, vel quilibet verborum anticipitis significationis usum, quo decipi possint homines, & candor Christianus infici, suis penitus interdicit, & damnat.

D. Cum istud officiosum mendacium, ab obstetricibus Hebraeis prolatum, a peccato excusari non debere censeas, non excusabis itidem opinor, a peccato Israelitas, qui vasa aurea & argentea, cateramque divitem Aegyptiorum supellectilem, quam mox ex Aegypto discessuri ab illis mutuati fuerant, fraudulenter abstulerunt, suffurati sunt, suumque in usum vendicarunt?

M. Non ita est, sed potius censeo, Israelitas, qui Aegyptiorum bona suum in usum vendicarunt, non peccasse. Primo, quia Deus, qui omnium bonorum Dominus est, voluit, ut Israelites, qui multis injuriis vexati durisque ac inquis laboribus, absque ulla mercede, fuerant ab Aegyptiis tempore captivitatis oppressi, terrenis bonis locupletarentur, quibus Aegyptii, densissimis Idololatriæ tenebris immersi, ad superstitionem falsorum suorum Numinum in injuriam Creatoris præpostere abutebantur. Præterea, id confirmari potest exempli Patriarche Jacobi, qui, ut superius dicebamus, dum peculiari usus artificio gregem suum auxit, non peccavit, nec injuria fraude socerum suum deluxit, tum quia hujusmodi artificium Jacobus a Deo edocitus est per Angelum: Tum quia etiam nullam, post tot annorum famulatum, nihil mercedis accepérat Jacobus a socero suo Labano. Tum qui denique, Patriarcha Jacobus nihil sibi sumpsit, quod non debebatur: sed arte providit, ne quæ conventione sua erant, a socero sibi contra jus eriperentur. Et sane, quam alienus fuerit Jacobus a surripiendo socii bonis ex pacto sibi non debitis non aliunde melius disci potest, quam ex ipsis verbis: Ecce enim quam hoc a Labano, socero suo, exprobratum indigne ferat: Quam ob culpam meam, ob quod peccatum meum sic exarsisti post me, & scrutatus es omnem supellectilem meam? Quid invenisti de cuncta fiducia domus tua? Genes. cap. 31. v. 36. & 37. Cave tamen, ne putes, me hic patrocinari velle Doctrine recentis Scriptoris Baunii, qui in sua Summa morali pag. 213. & 214. sexta Editionis, quam præ manibus teneo, hæc de famulis bona dominorum occulta compensatione surripiensibus, habet: Famuli, qui de stipendiis suis queruntur, possuntne ea au-

gere , tantum ex bonis domini sibi corradentes , quantum sufficit ut suis laboribus merces respondeat ? Posse sunt omnino aliquando id licite facere ; velut si tam inopes operam suo domino locarunt , ut quodvis pretium ab eo accipere coacti sint : deinde si vulgo ob similia officia famuli majori mercede conducantur . Cave , inquam , ne putes , hanc Baunii doctrinam illicitam , perniciosa , divinæ , naturali , humanae Legi contrariam , omnibus familiis pestiferam , fovendisque domesticis furtis accommodatam , me hic approbare velle , a qua tam alienus sum , quam qui maxime . Nec enim jus est famulis in Domini , seu heri , bona , qui pacis non deest : nec Deus illis , itidem ut Israelitis , bonorum domini possessionem adjudicavit . Quocirca , lubentissime subscrivo censura , quam doctrinæ Baunii furtum famulis concedentis , duæ præstantissime Facultates , Parisiensis nempe & Lovaniensis jure optimo inuferunt . Parisiensis Censura anno MDCLXLI. in Baunium lata sic habet : *Falsa est & periculosa , & domesticis furtis viam aperiens . Censura Lovaniensis his verbis concepta est : Hæc assertio falsa est , naturam hominis de se pronam ad malum precipitans in furtis , ac domesticam pacem perturbans , eu vel potissimum quod ista compensatio ipsorummet famularum & famularum iudicio relinquitur.*

D. Si Baunii , aliorumque ejusdem farinæ Caſuſtarum , qui puritatem Doctrinæ moralis Christianæ variis corruptelis & laxitatibus depravant , detesteris doctrinam , ipſe , ut ingenue dicam , non minus odi & execror quosdam Scriptores prophanos , qui Sacram Historiam de exitu Israelitarum ex Aegypto , eorumque Institutis aucti fuit multis fabulis & infusis figmentis interpolare , dictitantes , liberationem Iudaorum ex Aegypto non factam esse a Deo per Moysen potenti virtute miraculorum , sed potius Iudeos , quos aucti , fuisse agmen hominum , qui impetigine , seu scabie & lepra in Aegypto erant infecti , per ignominiam , & ne pestis illa ad plures serperet , e tota Aegypto expulso , una cum Moysi , eorum Duce , qui itidem scabiem & vitiliginem patiebatur . Hos inter Scriptores , unum , quem nunc penes me habeo ; proferam Cornelium Tacitum , qui Historiarum lib. v. cap. 3. & 4. hæc habet : *Plurimi Autores consentiunt , orta per Ægyptum tare , quæ corpora foedaret , Regem Occcharim , aucto Hammonis Oraculo , remedium petentem , purgare Regnum , & id genus hominum , ut invisum Deis , alias in terras avehere jussum . Sic conquisatum collectumque vulgus , postquam valles locis relictum sit , ceteris per lacrymas torpentinibus , Moysem , unum exulum , monuisse , ne quam Deorum hominumve opem expectarent , ab ursisque deserti ; sed sibimet , ut Duci cœlesti , crederent , primo cuius auxilio crederes , presentes miserias pepulisset . Assentire , atque omnium ignari fortuitum iter incipiunt . Sed nibil aquæ quam inopia aquæ fatigabat . Jamque haud procul exitio , totis campis prouocauerant : cum grex asinorum agrestium , e pastu in rupem nemore opacam concessit . Secutus Moyses coniuncturaberbidi soli , largas aquarum venas aperit . Id levamen : & continuo sex dierum iter emens ,*

*septimo pulsis cultoribus , obtinuere terras , in quibus Urbs & Templum dicata sunt . Moyses , quo sibi in posterum gentem firmaret , novos ritus , contrariosque ceteris mortalibus indidit . Prophana illic omnia , qua apud nos sacra . Rursum concessa apud illos , qua nobis incesta . Effigiem animalis ( seu asini ) quo monstrante , errorem stimique depulerant , penetrali sacravere , &c. Hæc & alia id genus ibidem scribit Cornelius Tacitus , quem non pudet , veram , quam texit Moyses , exitus Israelitarum ex Aegypto , totiusque Gentis Judaicæ Historiam putidis mendaciis interpolare . Sed cum Cornelius Tacitus longe post tempora Moysis vixerit , scire vellem an ejusmodi figura propria marte procudere , aut ex antiquioribus Scriptoribus ea hauefit?*

M. Isthac male consarcinata figmenta hausit Cornelius Tacitus ex antiquioribus Scriptoribus Ethnici , videlicet ex Manethone in Aegyptiacis , Chæremone , Lysimacho , sed potissimum ex Apione , Grammatico Alexandrino , qui sub Imperatoribus Tiberio , Cajo , & Claudio vixit , quemque Josephus , Hebraeus , data opera duobus libris perdoce confutavit , Gentisque Judaicæ Historiam ab illius Ethnici Scriptoris mendaciis , & calumniis egregie vindicavit . Non is certe ego sum , qui velim singulas hic inferere rationes , quibus Josephus illorum male feriatorum Scriptorum deliramenta refellit ; id enim longius me abducerebat ; sed tantum breviter referam præcius Josephi rationes , quibus tres insignes calumniae horum Scriptorum Ethnicorum , qui odio plusquam valtiniano Gentem Judaicam prosequebantur , facili negotio dispunguntur . In primis , fallum est , Iudeos , dum egressi sunt ex Aegypto , scabie , lepra , aliisque generibus morborum laborasse , sicut caluminiantur isti Scriptores ; nam si his morbis languissent revera Judæi , quo pacto , quo , tantum iter agere , suisque vincendis hostibus parer esse potuissent ? Apage fabulam tam crassò filio contextam . Alteri calumniae , quam isti Scriptores inferunt Moysi , dicentes , eum fuisse Aegyptum , Sacerdotem Heliopolitanum , nomine Osansiphum vocatum , & lepra infectum cum aliis ex Aegypto fuisse pulsum , ac tanalem illorum exxulum Ducem factum , mutasse nomen suum , & deinceps Moysem ab istis exilibus , qui fidem ei obstrinxerant , appellatum esse : huic , inquam , atrocí calumnia , sic respondet Josephus lib. 2. contra Apionem : *Quod vero hujus calamitatis , seu lepræ , corpus expers habuit Moyses , ipsius dilecta indicant . Leprosi enim & oppidis & vicis interdixit , ut seorsim in lacero vestitu agant , & eum , qui eos attigisset , aut sub idem tectum successisset , pro impuro habet . Quin etiam , si eo morbo laborari , & in pristinum statum restitui contingat , prescripta certas purificationes , mundationes , & fontanarum aquarum lavacula , & omnium pilorum abrasiones , multisque & variis sacrificiis peractis , tum demum sanctam Urbem adeundam . Adque contra par erat , qui talem calamitatem , seu lepram , expertus esset , providentiam aliquam ac humanitatem exhibens simili infortunio prefisis . Non solum autem de leprosis sic Leges tulit ( Moy-*

(Moyses) sed ne nimia quidem corporis parte mutilatos ad Jacobum curam accepit. Sed etiam si Sacerdotale aliquid accidisset, honore eum privaverit. Quomodo igitur verisimile est, illum has adversus Iesum ipsum cum opprobrio suo damnique tulisse Leges? Quin & nomen valde incredibiliter mutavit. Osarsiph enim ( inquit Apion ) vocabatur. Hoc ad transmutationem nihil quadrat. Verum autem nomen significat ex aqua servatum Moysem, nam aquam Aegyptii Moy vocant. Tertia denique & horribilis calumnia de capite asini a Jacobis in Templi Hierosolymitanis penetralibus consecrato, sua sponte condidit. At enim, si Judaei caput asini in Templo consecrassent, illudque venerati fuissent, Idolatriæ cultores extitissent. Et tamen Cornelius Tacitus, qui, loco a me citato, hanc de capite asini consecrato Jacobis impingit calumniam, ultra fatetur, Jacobos ab Idolatria & superfluitate cultu Imaginum penitus abhoruisse, Deumque dumtaxat adorasse: Judæi, inquit, mente sola, unumque Numen intelligunt, summum illud & eternum, neque mutabile, neque interiturum. Igitur nulla simulacra urbibus suis, nedum Templis sunt. Non Regibus hec adulatio, non Cesaribus honor. Quonodo igitur credibile est, Jacobos, qui, teste ipsomet Cornelio Tacito, Idolatriam summopere averabantur, voluisse caput asini in Templo Hierosolymitanis consecrare? In hac itaque terrima concinnanda calumnia non sibi constat Cornelius Tacitus, & antiqui Scriptores, ex quibus illam exscripsit, nullam prorsus merentur fidem, tum quia fuerunt Ethnici, & Gentis Judaicæ infestissimi hostes; tum quia etiam certissime constat, eos multis fabulis ac male consuris mendaciis Historiam Sacram interpolasse; tum quia denique, auctu passionum abrepti, nullam, de rebus Jacoborum scribentes, veritatis rationem habuerunt, & quod caput est, animum ad scribendum appulerunt longe post tempora Moysis, qui primus est omnium Gentium Scriptor, atque divina revelatione & inspiratione Sacram Historiam literis consignavit.

D. Quod Scriptores Ethnici Sacram Historiam de exitu Israelitarum ex Aegypto fabulis & putidis mendaciis infuscaverint, mirari certe non fubit, voluerunt namque stupenda illa prodigia, quæ Deus in hac mirabili Israelitarum liberatione per Moysem patravit, quæque Genti Judaicæ, cuius erant infestissimi hostes, maximum decus conciliabant, negare, & ad Sacra Historia veritatem occultandam, fabulas de industria commenti sunt, in quibus nec mica, nec ulla ratiōnis scintilla appetet. At, illud maxime miror, quod Josephus, qui erat Gente Hebreus, & Antiquitatem Judaicarum peritissimus, incertum habeat, an Mare Rubrum, per quod Hebrei, ex Aegypto egressi, siccis vestigiis transferunt, naturæ viribus per æstum maritimum, seu fluxum & refluxum, divisum sit, an hæc Maris Rubri divisione facta sit Dei, supra naturæ Leges operantis, potestate, sicque miraculo adscribenda? Sic enim ( locum milii nuperime indicante viro erudito ) legi apud Josephum lib. 2. Antiq. Jud. cap. 7. Nemo autem, inquit Josephus, mirari debet Hist. Vet. Test. Tom. II.

tanquam incredibilia, si prius hominibus, & ad malitiam rudibus, de salute periclitantibus, via per mare patuit, sive Dei voluntate, sive sponte nature: Quandoquidem heri & nudius tertius Alexander ductu Macedonibus Pamphylium Mare cessit, & alias viam non habebibus illac iter aperruit, cum Deus ejus opera ad defruendum Persicum Imperium ut decrevisset: Id quod omnes testantur, qui res gestas illius Regis scripto prodiderunt. Hanc Josephi de insigni illo miraculo, quod in Maris Rubri divisione, & Israelitarum transitu contigit, praeposteram dubitationem ferre minime possum.

M. Sunt nonnulli Scriptores, qui Josephum excusant, quod ad captum Ethnicorum, quibus scribebat, se attemperando, in speciem dubitare videatur, an divisio Maris Rubri in transitu Israelitarum aut viribus naturæ, seu fluxu & refluxu Maris, aut potius omnipotentia Dei, seu miraculo sit adscribenda? Josephum tamen certissime in divisione Maris Rubri, & Israelitarum transitu agnoscere insigne, quod contigit, miraculum, colligunt illi Scriptores ex his, quæ ibidem narrat Josephus: Ut vero, inquit, ad extremum littus ventum est, tum Moyses sumpta virga Deum in auxilium suppliciter invocat. Et postquam descripsit orationem, quam Moyses, tanto in crimine constitutus, fudit ad Deum, sic pergit: Hæc precatus ( Moyses ) Mare virga percūit: Quo istu repente scissum, & retrorsum se recipiens, nudum solum Hebreis ad fugam capeſſendam relinquit. Denique narrans Josephus, Aegyptios sibi quoque eundem eventum pollicitos fuisse, ait: Verum fefellerit eos hec opinio, nescientes non quoniam talis viam esse, sed Hebreorum tantum.... Ergo cum iam universus Exercitus ingressus esset, refundit iterum Mare, & Aegyptios fluctibus involvit. Ex hac Josephi narratione quidam Scriptores colligunt, eum in divisione Maris Rubri, & transitu Israelitarum, miraculum agnoscere. At, ipse hanc Josephi excusationem admittendam non esse judico. Primo quia, ut dem Josephum agnoscere illud miraculum, attamen illud proponit, non tanquam rem indubitatam, sed potius illius judicium permittit aliorum arbitrio, dicens: Sed de his, ut cuique liber, ita sentiat. Debūsset autem Josephus referre istud miraculum tanquam extra omnem dubitationis aleam positum, quia Scriptura Sacra pluribus in locis disertissimam de illo mentionem facit. Quædam hic laudare abunde sufficit: Tu autem eleva virginem tuam, ( ait Deus Moysi cap. 14. lib. Exodi ) & extende manum tuam super Mare, & divide illud, ut gradiantur filii Israel in medio Mari per secum. Et Lib. Sapientia cap. 10. Transtulit illos per Mare Rubrum, & transvixit illos per aquam nimiam, inimicos autem illorum demersit in Mare. Item cap. 5. lib. Judithæ v. 12. Fugientibus his, seu Israelitis; Deus Cœli Mare aperuit, ita ut hinc inde aquæ quasi murus solidarentur, & isti pede seco fundum Mari perambulando transirent. Denique, ut alia non minus luculenta Scripturæ loca prætermittant, dicitur Psalmus 135. Qui divisisti Mare Rubrum in divisiones, & eduxisti Israel per medium eus;

*Et excussum Pharaonem, & virtutem ejus in Mari Rubro, quoniam in eternum misericordia ejus. Hec sane locupletissima Scriptura testimonia omnem de eo miraculo dubitandi locum adimunt. Quorsum igitur Josephus istud miraculum, velut rem incertam & dubiam Ethnicis proponit? Præterea, suam Josephus de illo miraculo dubitationem confirmat exemplo Alexandri Magni, cui Pamphylium Mare cessisse, & Macedonibus liberum permisisse aditum ait. Quod tamea oppido falso & fabulosum esse testatur Plutarchus in Vita Alexandri M. Alii vero ( post Strabonem lib. 14. Geographia ) afferunt, Alexandrum Magnum non transiisse per medium Mare, sed per Montem dumtaxat, qui, affluente Mari, cooperitus aquis esse solebat, tranquillo tamen pelago, discopertus; reciprocè autem Maris æstu interceptos Alexandrum M. ejusque milites magnum subiisse discrimen, adeo ut in aqua, umbilico tenus, iter facere coherentur. Porro, istum Alexandri M. transitum, nihil simile admirabili transitui Hebræorum per Mare Rubrum habuisse, nemo est, qui statim non videat. Denique, quemadmodum Josephus ju se optimo a viris eruditis culpatur, quod Prophetarum vaticinia, quibus prædictitur adventus Jesu Christi, veri Messiae, sacrilega adulatio detorserit ad Imperatorem Vespasianum, cuius benevolentiam aucupari volebat; ita ipse existimo, debere virtutem verti Josepho, quod miraculum, factum in transitu Israelitarum per Mare Rubrum, velut incertum & dubium retulerit, ut sese accommodaret ad captum Ethnicorum, qui miraculis, quæ in sacra Historia leguntur, nullam fidem dabant. Ex his, quæ haecenus dixi, debes colligere primo, transitum Hebræorum per Mare Rubrum non restitui Maris, quem observaverit Moses, rerum naturalium peritissimus, esse tribuendum. Refluxus siquidem Maris pervia dumtaxat littora Maris facit, sed medium Mare peruum & siccum facere non potest. Israelitæ autem, ut legere est in Historia sacra, per medium Mare, siccis vestigiis transierunt. Præterquam quod, incredibile omnino est, hunc fluxum & refluxum Maris Rubri ( si quis unquam fuit ) soli Moysi fuisse notum, & neminem ex aula Regis Pharaonis, neminem e numerosissimo ejus exercitu, neminem Aegyptiorum, qui maritimas plagas incolebant, ullam hujus fluxus & refluxus Maris notitiam habuisse. Si enim aliqui inter Aegyptios hunc maritimum æstum, seu fluxum & refluxum Maris, perspectum & exploratum habuissent, confessim Regem Pharaonem, ejusque exercitum de evidenti, quod imminebat, periculo moauissent, & Rex, ab illis monitus, le cum toto exercitu sospitem & incolumem servasset. Quod cum factum haud fuerit, sed potius contrarium acciderit, signum est, hunc prætentum æstum maritimum, seu fluxum & refluxum Maris Rubri latuisse Aegyptios, ac sabinde omnino fictitium esse, eique prodigiosum illum per Mare Rubrum Israelitarum transitum tribui minime posse. Addo etiam cum Julio Scaligero, apud Criticos sacros in cap. xv. libri Exodi pag. 304. non potuisse Moysen ( tametsi Mare Rubrum habuisset fluxum, & refluxum ) in*

sicco una cum Israelitis transire naustum refluxionis occasionem. Hec sunt perdocti illius Scriptoris verba: *Erythreo seu Mari Rubro, tantus est æstus, ut oores Sacrarum Litterarum temere mentiti sit, Moysem in sicco transiisse, naustum refluxionis occasionem. Quod tamen fieri non potuit; propterea quod ad Syres usque, quod intimo in recessu jacet, Mare operit litus illud, neque unquam regrediens ita nudat, ut inferiores partes, qua transierunt Hebrei, sua decessione aperiat.* Secundo, colligere debes, falsam esse, & Scriptura Sacra penitus contrariam opinionem quorundam Hebraeorum, qui pertendunt, Israelitas, Duce Moysi, non totum Mare Rubrum transisse, id est, non ab uno littore Maris ad aliud oppositum litus transmisisse, immo ne adiisse quidem medium Mare, sed illos dumtaxat circuivisse nescio quam rupem, per Mare aliquanto intervallo protensam, eosque ducto illo intra Mare circuitu, seu semicirculo, demum ad litus, unde progressi fuerant, rediisse. Sic opinantur quidam Hebrei, quos inter censem Aben-Esra. Sed hæc opinio, seu potius istud recitorum figuramentum ( cui Topatum, Episcopum Abulensem, voluisse suffragari mirantur viri eruditi ) aperte adversatur his, quæ superius laudavi, Scripturæ testimoniis, ex quibus coruscante meridiano sole clarius patet, Israelitas non circuisse Mare Rubrum, sed per medium Mare transisse. Si autem quaras, quomodo fieri potuerit, ut tot Israelitarum millia, per spatium quatuor, aut ad summum quinque horarum, transferint totum Mare Rubrum, quod latissime patet, & ex Topographorum commensuratione vix horis vix ganti quinque trajici potest? Respondebo ipse, observari ab iisdem Topographis, Mare Rubrum in summo suo capite esse adeo angustum, ut eo loco, quo a Moyse trajectum est, vix sex miliaribus pateat. Præterquam quod, Deus robustas Israelitæ ad fugiendum inseruit, suppeditavitque vires, & inequentium Aegyptiorum metus eis addidit alas, illosque compulit maturare gradum, ut ab uno littore Maris usque ad aliud litus oppositum festino pede se conferrent. Sed de transitu Israelitarum per Mare Rubrum satis dictum sit. Nunc velim breviter observes, illud Mare, quod nos Rubrum vocamus, appellari ab Hebreis Mare Suph, nec ideo nuncupari Rubrum, quod illius aquæ rubeant ( sicut multis Scriptoribus per errorem obrepit ) sed quia id nominis huic Mari impositum est ab Erythro Rege, ut testis est Q. Curtius lib. 8. Mare, inquit, quo alluitur, ne colore quidem abhorret a ceteris. Ab Erythro Rege conditum est nomen, propter quod ignari rubore aquas credunt. Et lib. 10. ait: Rubrum Mare non a colore undarum, ut plerique credunt, sed ab Erythro, Rege, appellari. Erythus quippe Graece significat Rubrum, non secus ac nomine Edom, quod idem Mare accepit olim ab Esau, ejusque posteris, Regionem Idumæam incolentibus, Hebraice significat itidem Rubrum. Circa hanc Maris Rubri etymologiam cum Q. Curtio consentiunt Strabon lib. 16. Plinius lib. 6. cap. 27. Pomponius Mela lib. 3. cap. 8. Agatharcides Editionis

tionis Oxon. pag. 2. Philostratus lib. 3. cap. 19. Arrianus in libro Rerum Indicarum pag. 579. quos citat recens Scriptor Humphrydus Prideaux, Tom. I. Historiae Judaeorum, quam Gallico \* idiomate concinnavit. Addit quoque Q. Curtius, in Insula quadam illius Maris non procul a continente columnam eminere, istius Regis Erythri monumen- tum, literis ejus gentis scriptam. Testatur etiam Brodus in Miscellaneis lib. 3. cap. 9. se a multis viris & nautis, qui, tempestibus acti, in Mare Rubrum fuerant ejecti, audivisse, Mare illud Rubrum appellatum, non discrepare, quantum ad aqua colorem, ab Oceano nostro. Si plura de transitu Hebreorum per Mare Rubrum scire desideres, lege Dissertationem, quam eo de argumen- to Augustinus Calmet, Benedictinus, præxxit suo Commentario literali in lib. Exodi.

D. Cum horam, quam Colloquii nostris præfigere soleamus ad finem vergere videam, præstat, ut quidquid adhuc supereft temporis, id totum nunc impendamus in explanandis his omnibus, quæ spectant Pascha, quod Judæi, sicut antea obseruasti, iussu Moysis, celebrarunt priusquam discederent ex Ægypto. Et primo, si placet, incipiamus ab hujus nominis Paschatis etymologia. Explica igitur quid sibi velit istud Paschatis nomen? & qua die Judæi Pascha celebrarint in Ægypto?

M. Paschatis nomen Chaldaicum est: ab Hebreis appellatur *Pesach*, a Latino Interpreti dicitur *Phasæ*, sed Latine significat *transitum*, ut videre est in nostra Vulgata Editione cap. 12. v. 11. & 12. libri Exodi: *est enim Phasæ (id est transitus) Domini, & transibo per terram Ægypti nocte illa, percutiamque omne primogenitum in terra Ægypti ab homine usque ad pecus.* Ad refri- candam itaque singulis annis memoriam insignis illius beneficii, quo Angelus vastator, nocte transiens, omnia Ægyptiorum primogenita truci- davit, & solis pepercit Hebreis, qui portas ædium fumarum tintas habebant sanguine Agni, Paschatis celebritatem instituit Moyses in Ægypto, cumque Israelites essent in procincta itineris, & illa ipsa nocte ex Ægypto profecturi, jussit eis *Moyses*, ut succinatis lumbis, calceatis pedibus, & cum baculo in manu, qui viatorum habitus est, Agnam Paschalem cum festinatione comedenter, sicut legitur cap. 12. v. 11. libri Exodi. Hic au- tem modus celebrandi Pascha, seu Agnum Paschalem manducandi, peculiaris fuit huic primo Paschati, quod Hebrei peregerunt in Aegypto; nam deinceps non accincti, sed discincti, non stantes, sed sedentes, non raptim, viatorum in- star, sed lente, & pacate Agnum Paschalem co- mederunt Hebrei, eumque morem secutus est Christus Dominus, dum pridie quam pateretur, discubens cum Discipulis suis, supremum Pascha celebravit. Explicata breviter causa, cur Deus per *Moysen* iusterit Hebreis, ut priusquam ex- cederent ex Ægypto, Pascha celebrarent, & de- inceps hanc Paschatis celebritatem perennem be- neficiorum memoriam quotannis observarent,

nunc præfigere debemus diem, qua Hebrei in Aegypto Pascha peregerunt, seu Agnum Paschalem immolarunt, & manducaverunt. Hæc autem statua dies Paschatis, seu immolationis & come- fionis Agni Paschalidis in Aegypto, fuit dies decima quarta primi mensis ad vesperam, sicut legitur cap. 12. v. 3. l. Ex. *Decima die mensis bu- juis tollat unusquisque agnum per familias & domos suas.* Et v. 6. *Et servabit eum ad quartam de- cimam mensis buju, immolabitque eum multitudo filiorum Israel.* Et cap. 23. v. 5. libri Levitici: *Mense primo, quarta decima mensis ad vesperam Phasæ Domini est.* Porro, primus mensis anni apud Judæos ille est, qui partim mensibus nostris Martio, & Aprili respondebat, quique ab ipsis ap- bellatur *Abib*, seu *Nisan*, & a quo dicitur Ve- ris initium. Quamvis enim mensis *Abib*, seu *Nisan*, esset antehac apud Hebreos septimus anni, attamen, post eorum ex Aegypto profectionem, pro primo mense anni in rebus sacris haberi co- pet, Deo ita jubente, cap. 12. v. 2. libri Exodi: *Mensis iste vobis principium mortuum: primus erit in mensibus anni.* Ad vesperam itaque diei decimæ quartæ mensis *Nisan* Pascha in Aegypto celebra- runt, seu Agnum Paschalem comedenter Hebrei. Per vesperam autem diei decimæ quartæ, intelli- gi non debet prior vespera, quæ initium erat diei decimæ quartæ, sed posterior vespera, in quam dies decima quarta definebat, ita ut Hebrei, jux- ta Legis Motaicæ præscriptum, Pascha peragere, seu Agnum Paschalem maectare dumtaxat possint a meridie diei decimæ quartæ in secundis vespe- ris usque ad occasum solis; postea vero id agere sit eis a Lege prohibitum. Hinc *Iesus Christus*, qui fuit Legis observantissimus, ultimum suum Pascha celebravit, seu Agnum Paschalem comedit die a Lege statuta, seu die decima quarta in secundis vesperis, seu ineunte die decima quinta, quæ erat prima dies Azymorum, sicut testantur facri Evangelista, *Mattheus* cap. 26. v. 17. *Mar- tinus* cap. 14. v. 12. & *Lucas* cap. 22. v. 7. Con- fuse Dissertationem decimam nonam Tractatus, quem edidi, *De Mysteriis, & annis Jesu Christi, Servatoris nostri*, ubi omni argumentorum genere ostendi, Christum Dominum anno, quo mortuus est, ultimum Pascha peregisse, seu Agnum Paschalem cum Discipulis suis comedisse die ipsa a Lege præfixa, seu die decima quarta in secundis vespe- ris, non vero die decima quarta in primis ve- speris, sicut nonnullis Scriptoribus perperam vi- sum est.

D. Hebreos, antequam discederent ex Ægypto, Pascha celebraffe, seu Agnum Paschalem comediffe die xiv. in secundis vesperis, ægre admodum mihi persuadere possum. Legi etenim capite 12 libri Exodi, & apud Josephum, Hebreum, lib. 2. Antiq. Jud. cap. 6. Judæos profectos fuisse ex Ægypto, illucescente die xv. mensis *Nisan*. At, si Ju- dæi, antequam discederent ex Ægypto, Agnum Paschalem comedissent in posteriori vespere diei 14. mensis *Nisan*, vix intelligi posset, nedum expli- cari, quo pacto omnes Hebrei, intra tam angu- stum

\* Immo Anglico; sed ab alio versa est in Gallicum, & ab ipso approbata.

sum temporis spatium, quod fluxit a posteriori vespera diei 14. mensis *Nisan*, usque ad diluculum diei 15 ejusdem mensis, potuerint fere ad iter accingere, vasa aurea, & argentea, variamente supellecitem mutuari ab Aegyptiis, & tandem congregari, in eundemque convenire locum (erant enim, ut superius observasti sexenta millia peditum armatorum, præter senes, mulieres, parvulos, & promiscuum vulgus Aegyptiorum, qui Judaica Religione iniciati Judæos comitari voluerunt). Id autem eo difficultius creditu est, quod *Moses*, sicut legitur eodem in capite libri Exodi, districte inhibuit, ne ullus Hebræorum egredetur ostium domus sue usque mane. Longe itaque mihi verosimilius esse videtur, Hebræos in Aegypto Agnum Paschalem immolasse, & comedisse in posteriori vespera diei 13. mensis *Nisan*. Hoc enim semel posito, habuerunt Hebræi (postquam in Aegypto Agnum Paschalem manducarunt) diei integræ, seu diei decimæ quartæ spatium, ut possent fere ad iter præparare, dona ab Aegyptiis mutuo accipere, quibus acceptis, illucescente die 15. ejusdem mensis *Nisan*, ex Aegypto, compellente Rege Pharaone, profecti sunt, seque itineri dederunt. Hæc conjectura, quam ultro fateor, me in cætu quorundam virorum eruditorum paucis abhinc diebus audivisse, an tibi probetur, seire vehementer desidero.

M. Hanc conjecturam, quam a viris eruditis te acceperisse profiteris, certe meo calculo probare haud possum. Primo, si Hebræi, antequam excederent ex Aegypto, Agnum Paschalem comedissent in posteriori vespera diei 13. mensis *Nisan*, debuissent Judæi post exitum ex Aegypto, singulis recurrentibus annis Agnum Paschalem comedere itidem in posteriori vespera diei 13. mensis *Nisan*, cum certo certius sit ex Scriptura Sacra, Judæos debuisse post egressionem ex Aegypto comedere Agnum Paschalem eodem mense, eodem die, eadem hora, qua Judæi in Aegypto Agnum Paschalem manducarunt: *Habebitis autem hanc diem in monumentum, & celebrabitis eam solemnum Domino in generationibus vestris cultu sempiterno*, Exodi cap. 12. *Immolabis Phasæ vespere ad solis occasum quando egressus es de Aegyptos*, cap. 16. lib. Deuteronomii. Atqui tamen compertum omnibus, atque exploratum est, Judæos, post professionem suam ex Aegypto, semper ad nostra usque tempora Agnum Paschalem comedisse non in posteriori vespera diei 13. mensis *Nisan*, sed in posteriori vespera diei 14. ejusdem mensis, quando videlicet incipit apud Judæos Festivitas Azymorum, & tenetur ex prescripto Legis in hac posteriori vespera diei decimæ quartæ mensis *Nisan*, abstinere in integrum a pane fermentato, & vesci dumtaxat pane Azymo. Hæc igitur perennis, & nunquam interrupta Judæorum consuetudo, argumento est: Patres eorum, antequam discederent ex Aegypto, non manducasse Agnum Paschalem in posteriori vespera diei 13. sed in posteriori vespera diei 14. mensis *Nisan*, qua die Judæis pane fermentato vesci ex Legis præcepto nefas & illicitum omnino est. Et sane, modus ille, quo, sicut superius observavimus, Hebræi in Aegypto Agnum

Paschalem manducarunt, aperte ostendit, illos in Aegypto Agnum Paschalem comedisse non in posteriori vespera diei 13. mensis *Nisan*, sed in posteriori vespera diei 14. ejusdem mensis. At enim, Hebræi in Aegypto Agnum Paschalem comederunt, non menœ accumbentes, sed stantes, pedibus calceatis, accinctis renibus, baculum præ manibus tenentes, more illorum, qui parati sunt ad ingrediendum iter. Non fuisse autem necessarium, ut Hebræi in Aegypto tam festinanter comedenter Agnum Paschalem, si re vera illum manducassen in posteriori vespera diei 13. mensis *Nisan*, quandoquidem, facta hac hypotesi, Agni Paschalis comedio in Aegypto præcessit integra die & amplius Judæorum professionem ex Aegypto, qua solum contigit illucescente die 15. mensis *Nisan*, in quam apud Judæos incurrit Festivitas Azymorum. Ex modo itaque, quo Hebræi in Aegypto Agnum Paschalem comederunt, facile colligitur, illos non manducasse Agnum Paschalem in posteriori vespera diei 13. mensis *Nisan*, sed in posteriori vespera diei 14. ejusdem mensis, hoc est, in pervigilio eorum professionis ex Aegypto. Denique, universa Ecclesia Latina docet contra Græcos, in pane Azymo, & non fermentato confici debere Eucharistiam, quia Christus Dominus, ultimum Pascha peragendo cum Discipulis suis, eam instituit post comedionem Agni Paschalis, in posteriori vespera diei 14. mensis *Nisan*, a qua die incipiebat Festivitas Azymorum, ac subinde veritum erat Judæis tunc uti pane fermentato, sed poterant tantum comedere panem Azymum. Si ergo Hebræi manducarunt in Aegypto Agnum Paschalem in posteriori vespera diei 13. mensis *Nisan*, dicendum erit, Christum fuisse transgressor Legis, quando anno, quo mortuus est, Agnum Paschalem comedit in posteriori vespera diei 14. a qua incipiebat prima dies Azymorum, sicut testantur tres Evangelistæ, superius a me laudati; tenebantur enim Judæi ex Legis præscripto Agnum Paschalem comedere eodem mense, eadem die, eademque hora, qua Hebræi illum manducarunt in Aegypto. Christum autem Dominum fuisse transgressor Legis soli recutiti effutire possunt, tamque execrabilis blasphemiam audiore horrent Christianorum aures. Quod si dicatur, Christum Dominum, anno, quo ex hoc mundo migravit ad Patrem, Agnum Paschalem cum suis Discipulis comedisse non in posteriori vespera diei decimæ quartæ mensis *Nisan*, sed in posteriori vespera diei decimæ tertiae ejusdem mensis; tunc improbanda esset praxis universæ Ecclesiæ Latinæ, quæ contra Græcos Schismatics statuit: ideo Eucharistiam non in pane fermentato, sed in pane Azymo confici debere, quia Christus, pridie quam moreretur, supremum Pascha cum Discipulis suis peragendo, manducavit Agnum Paschalem in posteriori vespera diei 14. mensis *Nisan*, a qua die apud Judæos incipiebat prima dies Azymorum, & obstringebant abstinere omnino a pane fermentato: quæ Lex de abstinentia a pane fermentato non obligat Judæos in posteriori vespera diei 13. mensis *Nisan*.

*Nisan*, cum ab hac die initium non haberet prima dies Azymorum, essetque illis integrum ac licitum per totam illam diem decimam tertiam comedere panem fermentatum: sed illos tantum obligabat in posteriori vespera diei 14. mensis *Nisan*, a qua die auspicabatur Festivitas Azymorum, & Iudeis incumbebat obligatio velcendi pane Azymo, omni ex ædibus suis repudiato & ablegato penitus pane fermentato. Si igitur Christus anno, quo in Crucem actus est, Agnum Paschalem comedisset in posteriori vespera diei 13. mensis *Nisan*, Sacrosanctam Eucharistiam, quam in ultima Cœna instituit, confecisset in pane fermentato, & non Azymo, sicut præferenda esset praxis Græcorum Schismaticorum, in pane fermentato Eucharistiam consecrantium, prætotius Ecclesia Latinae, quæ Eucharistiam dumtaxat conficit in pane Azymo, & non in fermentato; quod tamen nemo Catholicus dicere audeat. Ut igitur Ecclesia Latinae, Eucharistiam in pane dumtaxat Azymo consecrantis, præxi sua confitet veritas, dicendum est, Hæbraos, antequam discederent ex Ægypto, Agnum Paschalem immolasse, & manducasse in posteriori vespera diei decimæ quartæ mensis *Nisan*, ac subinde Christum Dominum, qui erat Legis observantissimus, Agnum itidem Paschalem, anno quo mortuus est, comedisse cum Discipulis suis in posteriori vespera diei 14. mensis *Nisan*, & Sacrosanctam Eucharistiam in pane Azymo consecrasse. Sed dicens: *Quomodo fieri potuit, ut in Ægypto innumerabilis illa Iudeorum multitudo (erant enim, ut ait Scriptura Sacra, sexcenta millia hominum armatorum, non computatis aliis) potuerit intrare tam angustum temporis spatium, quod fluxit a posteriori vespera diei 14. mensis Nisan usque ad diluculum diei 15. ejusdem mensis, quo Iudei egressi sunt ex Ægypto, sic se preparare ad iter, opulentam ab Ægyptiis mutuari supellecilem, congregari ex diversis locis, & in unum convenire locum, ad profactionem a Moysi destinatam?* At, difficultatem istam nullo negotio superabis, si advertas, Hæbraos in Ægypto suffis à Moysi aliquot retroactis diebus admonitos, ut feso ad iter præpararent. Legimus quippe cap. 12. Exodi, Moysem præcepisse Iudeis, ut unusquisque decima die mensis *Nisan* (hoc est, quinque circiter diebus, priusquam Iudei excederent ex Ægypto) tolleret Agnum per familias & domos: Decima die hujus mensis (ait Moyses Hæbrais in Ægypto) tollat unusquisque Agnum per familias & domos suas .... & servabit eum ad quartam decimam mensis hujus (seu *Nisan*) immolabitque eum multitudo filiorum Israel usque ad vesperam. Potuerunt itaque Hæbrai, quinque diebus ante profactionem suam ex Ægypto moniti a Moysi, facile se præparare ad iter, & angustias etiam, si quæ fuerint, temporis, diligentia supplere. Adde etiam, Hæbraos in Ægypto hac nocte, qua Angelus omnia Ægypti primogenita interfecit, servatis tantum Hæbrais, quorum ædes rubebant sanguine Agni, domi suæ conclusos non remansisse; quamvis enim Moyses prohibuisset Hæbrais, ne quis egredetur oculum domus suæ usque mane, ubi tamen ex

comploratione Ægyptiorum intellexerunt Hæbrai, omnium Ægypti primogenitorum cedem ab Angelo exterminatore esse factam, omni abjecta cunctatione ex ædibus suis abierunt eruperunt, & in locum a Moyse indictum certatim convolaverunt, urgenteribus præsertim Ægyptiis, tot inopinatis cladibus attritis.

D. Nondum satis intelligo, cur *Moyse* instituerit hanc Festi Azymorum solemnitatem, & cur etiam hic Azymorum Festus inciperet dumtaxat a posteriori vespera diei 14. mensis *Nisan*, non vero a posteriori vespera diei 13. ejusdem mensis, sicut mox observavisti.

M. Hunc Azymorum Festum eo potissimum finie instituit *Moyse*, ut Iudei fixam jugiter haberent recordationem insignis illius beneficii, quo Angelus vastator omnes ad unum Ægypti primogenitos occidit, sed salvos & incolumes reliquit Hæbraos, quorum postes tincti erant sanguine Agni, quique ab Ægyptiis expulsi, cito & absque mora feso itineri accingere debuerunt, nec per temporis angustias expectare potuerunt, donec panis esset fermentatus, sed (ut ait Scriptura Sacra, cap. 12. Exodi) *conspersam farinam coixerunt, & fecerunt subcinerios panes Azymos*. Ut igitur tanti beneficii, quod Hæbrai a Deo acceperant, sensum ex eorum animis nulla oblitteraret ætas, *Moyse* hanc Azymorum instituit Festivitatem, sanxitque Legem, qua deinceps Hæbrai obstringebant per septiduum abstinere a pane fermentato, & comedere dumtaxat Azymos. *Septem diebus*, inquit *Moyse*, erunt Azyma, in die primo non erit fermentum in domibus vestris. Solemnitas autem prime diei Azymorum incipiebat a posteriori vespera diei 14. mensis *Nisan*, quia Iudei festos suos dies ab occasu Solis ad alium occasum ducebant, adeo ut noctem sequentem, & diem crastinum ad noctem usque exclusive completerentur, juxta illud Lib. Levit. cap. 17. *A vespera usque ad vesperam celebrabitis Sabbathum vestrum*. Per Sabbathum autem quilibet festa, maxime vero solempnia, intelliguntur. Cum igitur prima dies Azymorum, quæ erat apud Iudeos solemnis, semper incidet in diem 15. mensis *Nisan*, ejus proinde festivitas incipiebat a posteriori vespera diei 14. ejusdem mensis. Quemadmodum autem primus Azymorum dies apud Iudeos Festus solemnis est, ita & septimus dies, quia, sicut in primo Azymorum die ex dura captivitate Ægyptiaca in libertatem afferiti sunt Hæbrai, ita in septimo Azymorum die, Pharaon, Ægyptiorum Rex, qui furens animi, quo angebatur tot hominum millia Regno suo & potestati decedere, eos cum ingenti exercitu insequens est, vidensque Mare Rubrum Populo Israelitico, cedentibus in latera aquis, velut in continentis, iter pervium fecisse, Mare, quæ patet, ipse ingressus, mox relabentibus aquis, cum omni exercitu, curribus, armis, & instrumentis, oppressus ac deletus fuit.

D. Quid typice præfigurabat, seu significabat Agnus iste Paschalischus, quem Israelite, jubente *Moyse*, comedenterunt, priusquam discederent ex Ægypto?

M. A.

M. Agnus iste, quem Israelitæ comederunt antequam egredierentur ex Aegypto, præfiguravit Jesum Christum, Salvatorem nostrum, quem sub Agni typō Prophetæ & Apostoli adumbrarunt, quique, quamdiu vixit, mansuetudine, modestia, Patientia, fuit Agno revera simillimus. Hanc similitudinem inter Agnum Paschalem, quem in Aegypto immolarunt Hebræi, & Jesum Christum, quem Hebræi pariter morti trahiderunt, facile percipies ex variis, quos hic subjiciam, typis ac figuris. In primis, sicut in Aegypto hi homines, qui postes ædium suarum tinctos non habebant sanguine Agni Paschalis, fuerunt ab Angelo exterminatore vita mortaliter privati: sic illi omnes, qui sanguine Christi non sunt aspersi, eternam mortem incurvant. Israelitæ, post matrationem Agni Paschalis, excusa captivitate Aegyptiaca, libertatem recuperarunt, & in terram promissam ingressi sunt, Jesus Christus per effusionem sanguinis sui redemit nos a captivitate diaboli, cui eramus antehac mancipati, nobisque aditum fecit ad Regnum Cælorum, quod antea omnibus per peccatum originale erat occlusum. Israelitæ, post matrationem Agni Paschalis discesserunt ex Aegypto onusti spolis Aegyptiorum: Jesus Christus per mortem suam expolitavit Principatus & Potestates, traduxit confederter, palam triomphans illos in semetipso, sicut ait Apostolus Paulus, Epist. ad Colos. c. 2. v. 15. Agnum sine macula Israelitæ immolarunt in Aegypto: Jesus Christus appellatur a S. Petro Epist. i. c. i. v. 19. *Agnus immaculatus*, id est, ab omni peccato immunis. Et S. Paulus Epist. ad Hebreos cap. 7. v. 26. loquendo de Christo, ait: *Talis enim decebat, ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus... qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo.* Agnum Paschalem Israelitæ in Aegypto immolarunt in medio mense *Nisan*; eo ipso tempore, quo immolatus est Jesus Christus, Agnum Paschalem in Aegypto immolavit universa multitudo filiorum Israel: Jesum Christum, verum Agnum, qui tollit peccata Mundi, morti addixerunt Sacerdotes, Scribæ, Pharisæi, & universus Iudaicus Populus. Agnum Paschalem in Aegypto Israelitæ fellinanter comederunt, calceatis pedibus, baculos in manibus gestantes, & ad iter expediti, sicut superius observavimus: Jesus Christus intra paucas horas proditus, captus, ad varia Tribunalia, videlicet, *Anne, Caipha, Pilati, & Herodis* ductus est, damnatus, flagellatus, & in Monte Calvarie actus in Crucem. Postremo, ut mittam alios typos: sanguis Agni Paschalis in Aegypto, domorum foribus asperitus, Israelitis signum salutis, & libertatis fuit: Jesu Christi sanguis pretium & causa salutis, atque libertatis omnium hominum est. Hos typos, quibus Agnus Paschalis, in Aegypto immolatus, adumbravit Jesum Christum, perpendens S. Augustinus Tractatu 50. in Joannem, ait: *Illa celebratio umbra erat futuri: Quid est umbra futuri? Propheta Christi pro nobis passuri, ut transiret umbra & lux veniret, & transiret significatio, & veritas teneretur. Habant ergo Ju-dei Pascha in umbra, nos in luce. Quid enim*

*opus erat, ut eis Dominus preciparet, per ipsum festum diem orem occidere, nisi quia ille erat, de quo prophetatum est: sicut ovis ad immolandum datus. Hinc inter Rabbinos, Rabbi Bechai, cuius testimonium profert doctissimus Josephus de Voiſin in suis Annotationibus in cap. 4. Partis 2. Pugionis Fidei, nostri Raymundi Martini, dilecte afferit, Redemptionem novissimam, quæ in fine dierum fieri debet per Messiam, fore similem Redemptio-ni Aegyptiacæ: Quippe, inquit ille Rabbinus, haec, redemptions, similes sunt inter se, & traditio Prophetarum est, redemptions nostram fore similem redemptioni Aegyptiacæ in multis rebus: præstantiorem tamen futuram, majoremque in cordibus futurum Dei notitiam. Sed de Agni Paschalis immolatione in Aegypto facta plura impræsentiarum dicere non vacat, quia, ne longius, quam par sit, præsens nostrum protrahamus Colloquium, ceteras quæstiones, quas multi Interpretæ & Commentatores Scripturæ Sacrae, aliqui viri eruditæ, prolixe tractare solent, nimurum de loco, ubi post exitum Israelitarum ex Aegypto maſſari, & immolari debebat Agnus Paschalis? De Agni Paschalis sacrificii Ministris; de Convivis Agni Paschalis; denique de Ritibus Sacrificii, & convivii Agni Paschalis: Has, inquam, quæstiones, quæ ad Legem, quam *Moses*, post egressionem Israelitarum ex Aegypto, instituit ac promulgavit, pertinent, opportunius dirimemus in nostris Colloquiis in Historiam quartæ Mundi Aetatis, ubi de Lege Mosaica, juxta ordinem Historiæ Sacrae, data opera differemus. Nostrum itaque hic claudio Colloquium. Tu vero, carissime Discipule, honestissimo, suavissimoque Sacrarum Litterarum studio, ac virtutis amore animum tuum domi recreare, & resocillare fatage. Si enim (ut spero) amore virtutis, & iugi Scripturæ Sacrae studio contempseris cætera Mundi bona, te innocuum, purum, castum, integrum, & incorruptum servabis: intelliges nihil præter Sacrarum Litterarum studia esse dulce; nihil, præter Dei cognitionem, habere amabile: Verbo dicam, sanctioribus deditus studiis, animum tuum efferves altius ad gustandam divinam excellentiam, reliqua vero Mundi bona, quæ supermo tandem gusto amara evadunt, tanquam infirma, momentanea, corruptibiliora fuso, & ieiuniora papilionibus voluntibus, relinquæ, fugies, contempnes, abijicies, ac conculcabis, contentus te ipso, & Scriptura Sacra lectione, quæ per se tam dulcis, tamque jucunda est, ut incredibiles amatoribus suis aferat voluptates. Vale igitur, & hæc, ad tuos lares reversus, sedulo meditare, ut inde ad Museum nostrum postridie dætor ac sapientior regrediaris.*

## COLLOQUIUM III.

In quo referuntur Patriarcharum tertiae Mundi ætatis precipua Gestæ & Scriptæ, quæ Jesum Christum, verum Messiam, vel adumbrant, vel vaticinantur, ibidemque in putandis annis Patriarcharum ejusdem ætatis accurata stabilitur Chronologia.

DISCIP. IN Patriarchis Abrahamo, ejusque filio Isaaco, viris sanctimonia vita clarissimis, multa fuisse, & divinitus dicta & pie gesta, qua referebantur ad Jesum Christum, verum Messiam, in quem crediderunt, & venturum sperarunt, certissime jam scio. Novi etiam, Patriarcham Jacobum, filium Isaaci, suis, quæ retuli, præclare gestis præfigurasse Jesum Christum, eumque venturum prænunciasse insigni isto vaticinio: Non auferetur sceptrum de Juda, & Dux de semore ejus, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium. Genesis cap. 49. Quocirca, in hocce Colloquio, ne actum agere videamus, de gestis trium illorum Patriarcharum, Abrahami, Isaaci, & Jacobi, sermonem instaurare non debemus, sed lat superque sufficiet, ceteros tertiae Mundi ætatis indicare Patriarchas, qui, vel typum Iesu Christi egregiis suis factis gesserunt, vel suis Scriptis eum venturum prædixerunt.

M. Inter Patriarchas tertiae Mundi ætatis, nullus est, mea quidem sententia, qui evidenter Iesu Christi, Servatoris nostri, typum gesserit, quam Josephus, filius Patriarchæ Jacobi. At enim primo, cum Josephus, præ fratibus suis, a patre Jacobo plus diligeretur, fratribus sibi confavit invidiam, odiuumque concivit: Idem contigit Iesu Christo, cuius Doctrinæ repugnarunt Judæi, eumque, quandiu vixit, pariter infectati sunt, conviciis proscindendo, incessando dipteris, argutiis cavillando, fodicando actiones, miracula eludendo. Præterea, somnia Patriarchæ Josephi, quæ summam ei dignitatem protendebant, in Iesu Christo fuerunt adamassim impleta. Nam Jesus Christus a suis fratibus fuit adoratus, nec allegoricum tantum, sed revera Sol, Luna, & reliqua stellæ eum, tanquam supremum omnium rerum Dominum agnoverunt. Advenienti Josepho, mortem fratres meditantur: Venite, inquiunt, occidamus eum: Veniente per Incarnationem ad homines Iesu, dicunt Judæi: Morte turpissima condemnemus eum. Venditur Josephus a fratribus suis, viginti, vel, ut alii putant Scripturæ Sacrae Interpretates, trigesinta numinis, testibus Ambroso, & Augustino: Jesus Christus a Juda proditore trigesinta quoque nummis venundatus est. Cruenta Josephi tunica, ad patrem Jacobum, cruentam mortem Iesu Christi significat. Apud Putebarem, Præpositum Cubiculariorum Pharaonis, Ægyptiorum Regis, serviit Josephus: Jesus Christus, ut inquit Apostolus, semetipsum exinanivit formam servi accipiens. Josephus, carcere clausus, duos inter reos, alteri mortem, alteri salutem, & libertatem vaticinatur, eumque orat, ut suæ pristine dignitati restitutus illius meminerit: Jesus Christus, affixus

Cruci inter duos latrones, unum condemnat, alteri in extremis veniam petenti aternam felicitatem spondet, cum ab eo rogaretur, ut Regnum adeptus, memor ipsius esset: Memento mei, dum veneris in Regnum tuum. Ad Josephi in Ægypto nutum frumenta populis vendebantur, ut ait Moses: Jesus Christus panem & escas populis esurientibus non semel subministravit. Ipse palam profitetur se esse panem vita, panem vivum, qui de Cælo descendit, & eum, qui venerit ad ipsum, non amplius esuritum, & qui panem hunc manducauerit, non moriturum. Josephus fratibus suis fuit causa salutis, ideoque sic eos allocutus est: Pro salute vestra misit me Deus ante vos in Ægyptum... Premisitque Deus, ut reservemini super terram, Genesis cap. 45. v. 5. & 7. Nec solum suos fratres, & Ægyptios, sed exteris quoque gentes fame laborantes sublevavit, & Salvator Mundi, a Pharaone, Ægyptiorum Rege, dictus est: Hæc autem omnia mirum in modum quadrant in Jesus Christum, qui revera fuit Salvator totius Mundi. Fratres suos dimittens Josephus, præceptum hoc dat proficiscentibus: Ne irascamini in via, Genesis cap. 45. v. 24. Jesus Christus, a Discipulis suis abituras ad patrem suum, eis potissimum pacem reliquit: Pacem relingo vobis, pacem meam do vobis, Evangel. Joannis capit. 14. v. 27. Rex Pharaon jubet Ægyptiis, ut coram Josepho in genua procumbant, vult insuper, ut tota Ægyptus ab ipso pendeat, sitque Josephus alter a Rege: Deus exaltavit Iesum Christum, & donavit ille nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genus electatur, sicut ait Apostolus Epist. ad Philipp. cap. 2. v. 9. Denique de Josepho sic fatur moriens Patriarcha Jacobus: Filius accrescens Joseph, filius accrescens: De Christo Domino testimonium perhibens Joannes Baptista, ait: Oportet illum ( seu Iesum Christum ) crescere, Evangel. Joannis cap. 3. v. 29. Cujus incrementum in Christo figura itidem fuit lapis ille, qui ( sicut scribit Prophetæ Daniel, c. 2. v. 35. ) Factus est mons magnus, & imploavit universam terram.

D. Incredibiliter me delectant isti typi, quibus antiqui Patriarchæ Iesum Christum venturum adumbrarunt. Video siquidem, eja modi typos ac figuræ admirabili concordia, & concentu quadrare cum vita Iesu Christi, quam quatuor Evangelistæ accurate descripsérunt, & cum exploratissima rerum multo post gestorum historia, ac subinde Iesum Christum, quem Deus tot typis ac figuris, longe ante ejus adventum, delineari ac præfigurari voluit, esse illum ipsissimum Messiam, quem post peccatum Adami, ad liberandum genus humanum se aliquando missurum promiserat, quemque tot ardenteribus votis Patriarchæ omni avo expectarunt. Perge itaque, si placet, alios indicare sanctos ac præstantes viros, qui in tertia Mundi ætate typum Christi Domini gesserunt.

M. Summæ patientiæ, quam Christus Dominus inter dira acerbissimæ suæ Passionis tormentorum supplicia exhibuit, imaginem tibi dabo patientissimum post hominum memoriam Jobum, quem Patriarcharum tertiae Mundi ætatis temporibus, & ante Moysen vixisse colligo ex ipsius Historia.

istoria, descripta in libro, qui *Jobi* nomine insin-  
gnitur: At enim, in tota illa *Jobi* historia ne-  
minimum quidem fit verbum de *Lege Mosaica*,  
& de *Prophetis*: nulla extat admirabilium Dei o-  
perum sive in longo in Terram Chanaan itinere,  
sive in Aegypto, sive in Deserto, mentio. Quod  
quidem argumento est, *Jobum*, & ejus amicos, qui  
ad illum consolandum acceperant, ante *Moyse*  
tempora vixisse; nec enim credibile est, *Jobum*,  
ejusque amicos, si *Moysē* posteriores fuissent, vo-  
luisse hæc omnia tam alto prætermittere silentio.  
Præterea, in eadem historia legitur, *Jobum* soli-  
tum esse offerre sacrificia; quod certe licitum  
dumtaxat fuit ante Legem Mosaicam; nam post  
promulgationem Legis Mosaicæ solis Sacerdotibus  
*Aaronicis*, sive his, qui erant e Tribu *Levi*, fa-  
cificia in Templo offerre fas erat. Pluribus enco-  
miosis *Jobum*, tanquam virum eximiam patientia  
præditum, celebrant sancti Patres, videlicet *Origenes* Hom. 4. in *Ezechielem*, *Tertullianus* cap. 14.  
lib. de *Patientia*, *Cyprianus* in lib. de *Bono Pa-  
tientie*, *Hieronymus Epist.* 103. *Basilius Hom.* 4.  
de *Gratiarum actione*, *Augustinus Serm.* 105. de  
*Tempore*, *Gregorius M. Praefat.* in *Librum Jobi*, ubi  
ait, *Jobum* non tantum loquendo, sed etiam pa-  
tiendo, Christum prophetasse, & venturi cum suo  
corpo Redemptoris typum insinuasse. Alludit au-  
tem *S. Gregorius M.* ad celebre istud vaticinium,  
quod *B. Jobas* viva fide in Verbum Divinum, car-  
ne indutum, animatus, cap. 19. libri, qui ejus  
nomine insignitur, protulit, dicens: *Scio quod Re-  
demptor meus vivit, & in novissimo die de terra  
surrecturus sum, & rursus circumdabor pelle mea,  
& in carne mea video Deum meum, quem visurus  
sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non  
alius. Reposta est hec spes mea in sinu meo.* Pro-  
pheta *Ezechiel* cap. 14. sua Propheta, *Jobum* cum  
*Noemo*, & *Daniele* laudat, atque Catholica Eccle-  
sia *Jobum* veneratur ut sanctum, ejusque meminit  
*Martyrologium Romanum* die x. mensis Maji,  
*Menologium Græcorum* octavo Idus ejusdem men-  
sis. De patria, e qua oriundus est *Jobus*, seu an  
Idumæus, vel Chananeus fuerit? non convenit  
inter sanctos Patres, & Scripturae Sacrae Interpre-  
tes. Probabilis tamen est, illum fuisse natione  
Idumæum, quia *Jobus* habitavit in terra *Hus*, ut  
constat ex libri *Jobi* exordio, videlicet cap. 1. ver.  
1. ubi hæc leguntur: *Vir erat in terra Hus, no-  
mine Job, & erat vir ille simplex, & rectus  
ac timens Deum, & recedens a malo.* Porro,  
Terram *Hus* sitam fuisse in Idumæa scribit *Hie-  
rennias Propheta*, cap. 4. *Tibrenorum*: *Gaudet,*  
inquit, *filia Edom, que habitas in Terra Hus.*  
*Edom autem est in Idumæa, que est vicina Ara-  
biæ.* Hinc viri *Geographia* periti, Terram *Hus*,  
patriam *Jobi*, collocant ad Orientem in  
Scenitide Arabiæ, cui a Septentrione Mesopota-  
mia, & Euphrates fluvius: ab ortu *Babylonia* &  
*Chaldaea*, ab occasu *Syria*, & *Palæstina*; a Meri-  
die Arabiæ felicis *Montana*. Addo etiam quod  
amicus *Jobi*, qui ad illum consolandum vene-  
rant, scilicet *Eliphaz Themanites*, *Baldad Su-  
bites*, & *Sophar Naamatites*, vel *Idumæi* fue-

runt, vel *Idumææ* finitimi, sicut docent periti Scripturæ Sacrae Interpretæ.

D. *Jobum* fuisse genere *Idumæum*, non ita faci-  
le assentior. Erat enim *Jobus*, sicut patet ex eo,  
quod mox laudasti, Scripturæ Sacrae testimonio,  
*vir simplex*, ac *timens Deum* &c. *Idumæi* autem  
Ethnicorum Religioni addicti fuerunt usque ad  
tempora *Joannis Hircani*, *Judæorum* Pontificis at-  
que Regis, qui *Idumæos* armis domuit, adegit-  
que, ut, accepta circuncisione, ad *Judæos* aggredi-  
garentur. Credibile igitur non est, *Jobum*, qui su-  
premi Numinis notitia pollebat, tuos natales de-  
buuisse *Idumææ*, quæ in summa veri Dei ignoratione  
versabatur, & *Idolorum* atque *superstitionum*  
tenebris erat infuscata.

M. *Idumæi*, qui ab *Esaï*, primogenito Patriarchæ *Jacobi*, originem ducunt, per certum aliquod  
tempus sincerum Dei cultum retinuerunt; sed post-  
ea in Idolatriam prolapsi, ex ea dumtaxat emerserunt, quando a *Joanne Hircano*, *Judeorum*  
Pontifice, vici, jugum subire, & Nationi Judai-  
ca subdi cœperunt, juxta illud Scripturæ Sacra: *In  
Idumæam extendam calceamentum meum, nihique  
alienigenæ subditi facti sunt.* At, *Jobus* ortus est  
in *Idumæa*, eo tempore, quo in illa vigebat veri  
Dei cultus, sicut non obfuscere innuere videtur Scriptura Sacra cap. 36. libri *Genesis* v. 31. 32. & 33.  
ubi hæc scribit *Moyses*: *Reges autem, qui regna-  
verunt in Terra Edom, antequam haberent Regem  
filii Israel, fuerunt hi: Bela, filius Beor, nomen-  
que urbis ejus Denaba. Mortuus est autem Bela,  
& regnavit pro eo *JOBAD* filius *Zare de Bosra*. I-  
dem repetitur lib. 1. *Paralipomenon* cap. 1. v. 43.  
& 44. Septuaginta vero Interpretæ in ea clausula,  
quam libro *Jobi* attexuerunt, quæque reperi-  
tur in omnibus Codicibus Græcis, docent, hunc  
*Jobad*, qui, teste sacro Scriptore *Moysi*, fuit se-  
cundus Rex *Idumæorum*, & Pronepos *Esaï*, eum-  
dem esse cum *Jobo*. Sic enim ajunt *Jobad*, qui  
vocatur *Job*, *habitavit in finibus Idumæa & Ara-  
biæ, & accepit uxorem Arabissam*. Si igitur juxta  
hanc clausulam, libro *Jobi* a lxx. Interpretibus  
adtextam, quamque antiqui Scripturæ Sacrae Inter-  
pretæ, & speciatissimi Patres, genuinam agno-  
scunt, iste *Jobad*, qui fuit pronepos *Esaï*, & Rex  
*Idumæorum* secundus, idem sit ac *Jobus*, plane  
compertum erit, *Idumæos* adhuc veri Dei cultores  
exitisse, quando in *Idumæa* natus est *Jobus*.  
Quis enim credit, *Idumæos*, qui veri Dei Reli-  
gionem ab *Esaï* acceperant, tam cito ab ea defe-  
cisse, ut regnante in *Idumæa* *Jobad*, qui fuit pro-  
nepos *Esaï*, secundus *Idumæorum* Rex, & idem om-  
nino ac *Jobus*, *Idola coluerint?* Probabilius itaque  
est, *Idumæam*, quando in ea natus est *Jobus*, veri  
Dei adhuc cultricem fuisse. Hic autem obiter velim  
oberves, *Deum*, qui *Jobum* elegerat, ut heroicæ patientiæ exemplar fidelibus præberet, utque Jesu  
Christi, qui vere fuit *vir dolorum*, insignis typus  
est, nomen *Jobi*, huic sancto viro imponi volui-  
sse: *Job* quippe (ait *S. Gregorius M. cap. 8. Præfa-  
tionis in librum Jobi*) *interpretatur dolens.* *Quo ni-  
mirum dolore vel Mediatoris Passio, vel sanctæ Eccle-  
sie labor exprimitur, que multiplici presentis vite fa-  
tigat**

*rigatione cruciatur.* Et hinc etiam est, quod Deus voluit, ut *Jobus*, qui, sicut constat ex ipsius histo-  
ria, antehac potentissimus & opulentissimus erat, adverso fortunæ casu jactatus, egestatem, calamiti-  
tatem, dolorem, derelictionem, aliasque hujusmo-  
di subiret miseras, quo in his typum gereret Christi Domini, qui, ut nemo nescit, in Passione sua a Cognatis, a Discipulis, & ab ipso Patre suo derelictus est, atque Judæorum furori permis-  
sus.

D. Nunc gescit animus audire historiam *Jobi*, qui fuit typus Christi, Mediatoris & Redemptoris nostri.

M. *Jobus* fuit inter omnes Orientales, seu Arabes, vir magnus, admirabilis, & ubique per Or-  
bem terrarum celebratus. Pietatis athleta, per o-  
mnia genera certaminum transiit, simulque, de-  
viecto Diabolo, innumerâ erexit trophæa. Hic  
fuit opibus inclitus, sed postea pauper glriosus &  
contemptibilis, septem liberorum, & trium fili-  
liarum pater & orbus. Hic versatus est in aulis regalibus, sed idem fuit in sterquilinio. Hic fuit in splendida veste, sed post illam, in mortu ti-  
nearum. Hic possedit multa ministeria, sed idem sustinuit multas contumelias familiaribus, in ip-  
sum insurgentibus, ab uxore insultante, a tri-  
bus amicis, *Elyphaz Themanite*, *Baldad Subi-  
te*, & *Saphar Naamathite*, qui trium Idumææ finitimarum urbium reguli erant, & ad illum confolandum venerant, ei conviciantibus, & affli-  
cto afflictionem addentibus. Omnia *Jobo* prius ve-  
luit & fonte effluenter, pecuniarum copia, potentiae magnitudo, gloriæ accessio, pax & securitas, honores & obsequium, corporis sanitas, & filiorum opulentia, nec erat in his quidquam mole-  
stum. Aderant illi divitiae cum securitate, prospere-  
ritas stabilis, atque optimo jure: Deus enim un-  
dique illum vallaverat; sed post illa omnia rece-  
serunt, moxque innumeræ tempestates immigrarunt in domum illius; omnes, inquam, ac sibi invi-  
cem succedentes, ac perpetuae, denique supra modum, supra quem credi, & oratione exprimi pot-  
est. Siquidem universæ facultates ei actutum ereta-  
funt, famuli, liberique præmatura violentaque  
morte oppressi sunt, ad menfam, & ipso in con-  
vio mactati. Tum uxor, ad pietatem ejus subsan-  
nandam a malo spiritu subornata, in illum armabatur, suæque machinas admovit viro iusto. Fa-  
muli porro & amici, partim expuerunt in faciem ejus, quemadmodum ait ipse: *Non pepercerunt fa-  
ciem meam conspue:* partim irruerunt in eum, & ex ædibus suis ejectus est, ac deinceps in sterqui-  
linio vitam egit. Vermium fontes ex ipsius corpo-  
re scatebant, membra ejus sanguine undique di-  
fluebant & sanie, quam, accepta testa, absterge-  
bat ipse sibi factus carnifex, dolor dolorem exci-  
pient, & cruciatus, intolerabiles, & nox die mo-  
lestior, & dies nocte terribilior, sicut ipse dixit:  
*Quum obdormiero, dico quando erit dies? quando surgo, rursum dico, quando erit vespera?* Plenis dolorum sum a vespera usque ad diluculum. O-  
mnia præcipitia, omnia scopuli, nec est ullus qui consoletur, qui insultent innumeri. Attamen *Jo-  
bus* in tanta tempestate, tantisque flutibus adeo

intolerandis constitit adversus omnia generoso & impavidò profrus animo. Bonorum jacturam, libe-  
rorumque funera æquo animo tulit, in has vo-  
ces erumpens: *Dominus dedit, Dominus absti-  
lit, sicut Domino placuit, ita factum est: sit  
nomen Domini benedictum.* Ulcera fœdissima, qui-  
bus Diabolus permittente Deo, ipsum a planta  
pedis usque ad verticem afflixerat, non mi-  
nori patientia tulit. Uxor, in eum savientis,  
proterviam his verbis redarguit ac compescuit:  
*Quasi una de stultis mulieribus locuta es: si ba-  
na suscepimus de manu Dei, mala quare non  
suscipiemus?* Trium amicorum, quos mox memora-  
vi, convicia, & imprecatio[n]es æqua mente tole-  
ravit, nec unquam vinci potuit, ut pra[dict]a doloris  
impatientia aliqua in parte peccaret. Quo factura  
est, ut, post hanc diuturnam, & a sæculis inaudita-  
m patientiam, Deus non solum pristinam incolu-  
nitatem reddiderit patientissimo *Jobo*, verum et-  
iam universa, quæ amiserat, restituierit, & duplo  
majora addiderit. Finem vivendi fecit *Jobus* anno  
ætatis suæ ducentesimo decimo septimo. Hic est Eleborum triumphus, ut nec in adversa fortuna  
despondent animum, nec in rebus propterioribus  
infloscant. Talis fuit B. *Iesus*, qui, sicut ait Se-  
verus *Sulpicius lib. 1. Historia Sacrae*, eo illustrior  
fuit, quod neque opibus in egris, quibus prædives  
erat, corruptus, neque amissis depravatus est. Hec  
dum audis, charissime Discipule, nec paupertate  
dejicaris, nec divitiae intumesce; sed in rerum  
mutatione animum immutabilem, sibique semper  
constantem retine, quia si stellæ, quæ sunt in Cæ-  
lis perpetuo lucent, identidem nonnullam re-  
cipiunt mutationem: si Sol & Luna interdum de-  
ficiant, extremæ profecto dementia est, terrena  
pro stabilibus fixisque ducere. Meditate sæpius  
hæc S. *Joannis Chrysostomi* verba in *Oratione quiza-  
ta adversus Iudeos*: *Sed quid dicas?* ait eloquen-  
tissimus Doctor, *affigit te, premitque corporis  
morbus?* Atqui nondum tanta passus es, quanta  
beatus ille *Job*, immo ne minimam quidem par-  
tem malorum illius. Siquidem, postquam interi-  
fent greges & armenta cum ceteris omnibus, in pre-  
dam abductus est, & puerorum totus chorus, ea-  
que omnia uno die peracta sunt, ut non modo na-  
tura calamitatum, verum etiam perpetuas dejice-  
re posset athletam: Post hæc omnia, vulnus ac-  
cepit lethale, vidit vermes toto undique corpore  
scatentes, nudusque sedit in sterquilino, publicum  
is, qui aderant, spectaculum, ille iustus, ille pius,  
ille ab omni malo opere abstinentis. Nec hic quidem  
erat malorum finis, sed dolores addebantur diurni  
pariter ac nocturni, novaque quedam & admirabilis  
illum famæ oppugnabat: probra quotidiana, scu-  
mata, risus, & in somnis terrores, cogitationum  
perpetua quedam confictatio. Atqui uxor consi-  
lium dedit, ut ab his omnibus malis liberaretur,  
ita loquens: Dic aliquod verbum adversus Domi-  
num, ac morere. Dic, inquit, blasphemiam, & ab  
urgentibus malis liberabere. Quid igitur? Num sub-  
vertit sanctum illum virum mulieris consilium?  
immo contrarium fecit, magisque sibi sumpit alia,  
sic ut etiam increparet uxorem. Potius enim du-  
xit, majoribus affici, cruciarique doloribus,

imnumeraque perpeti mala, quam blasphemia ullatum  
torum malorum relaxationem consequi.

D. Nisi me præmonuisse, *Jobum*, fuisse a Deo  
electum, ut typum gereret Iesu Christi Salvatoris  
nostrí, qui in Passione sua diris tormentis excru-  
ciatus, a Cognatis, a Discipulis, & ab ipso Patre  
derelictus est, atque Iudeorum furori permisus, vix  
ac ne vix quidem huic historiae *Jobi* assentum pra-  
bere possem, meumque inducere in animum, hunc  
virum potentissimum & ditissimum ad illam ex-  
tremam egestatem fuisse redactum, eumque, in  
sterquilimo sedentem, omni humano subsidio ita  
esse destitutum, ut saniem, ex ulceribus suis fluen-  
tem, testa abstergere cogeretur. Id mihi creditu  
difficile, & supra fidem historiæ esse videtur.

M. Quod a *Jobo* ad extremam semel egestatem  
redacto, omnes cognati, & amici abalienati sint,  
nec incredibile, nec tam mirum videri debet. In  
hoc siquidem *Jobus* eamdem noctis, & expertus est  
fortem, que accidit multis, qui, toto eo tempo-  
re, quo illis arrisit fortuna, abundarunt amicis,  
sed adverso fortune flatu, dum e florenti illo sta-  
tu fuerunt dejecti, confessim ab illis deserti sunt.  
Quis inter Reges potentior *Davidem*? & tamen legi-  
mus in Libris Regum, *Davidem*, relictum, &  
proditum a suis, & totius pene Regni conspira-  
tione expositum ad mortem tempore conjurationis  
Ablalonitica. Possem alia id genus congerere exempla,  
que statui *Jobi* in extrema calamitate dereli-  
cti fidem conciliare possent, præsertim si audiamus  
Scriptoram Sacram, que diserte nos monet, Deum  
concessisse Diabolo in omni *Jobi* bona, & corpus  
potestatem, ea tamen Lege ut ipsi mortem mon-  
inferret. Legimus etiam in Libro *Tobie* cap. 2.  
ver. 12. & seq. Deum permisisse tentationem *Jobi*, &  
cæcitatem *Tobie*, ut posteris daretur utrius-  
que eximia patientie exemplum: *Hanc autem ten-  
tationem ideo permisit Dominus evenire illi*, (seu  
*Tobiae*) *ut posteris daretur exemplum patientie e-  
jus, sicut & sancti Job . . . . Nam sicut beato Job  
insultabant Reges, ita parentes & cognati ejus* (seu  
*Tobie*, qui, permittente Deo, cæcus evaferat)  
*irridebant vitam ejus, dicentes: ubi est Ihesus tua,*  
*pro qua elemosynas, & sepulturæ faciebas?* Credi-  
bile igitur est, Diabolum potestate fibi a Deo con-  
cessa, & antiquo nequitia sue negotio usum, gra-  
vissima damna, pluresque morbos beato *Jobo* intu-  
lisse. Sed quænam fuerint illæ morborum spe-  
cies, quibus *Jobus* a Diabolo fuit afflictus, incer-  
tum est, cum hujusmodi morbos clare & specia-  
tim non exprimat Scriptura Sacra, nec nobis li-  
ceat in ea curiosius inquirere, quæ Deus silentii  
sapientio obiecta esse voluit. Doctissimus tamen *Au-  
gustinus Calmet*, Ordinis S. Benedicti, in Differ-  
tiatione quam præfixit Commentario literali in Li-  
brum *Jobi*, censet cum nonnullis modernis Scripto-  
ribus, *Jobum* a capite ad talos fuisse perculsum le-  
pra, quæ non discrepasse putat ab eo morbo,  
quem nunc Neapolitani appellant *Morbum Galli-  
cum*, & versa vice Galli vocant *Morbum Neapoliti-  
cum*. At, utrum eruditus ille Scripturæ Com-  
mentator suis conjecturis rem plane confecerit,  
judicandum relinquo peritis Medicis, quibus ex of-  
ficio incumbit, naturas & differentias morborum,

quæs conflictantur corpora, examinare, discutere,  
ac definire.

D. Habetne historiae *Jobi* certos veritatis char-  
acteres, qui eam omni ex parte indubitatam red-  
dant?

M. Historia *Jobi* certos habet veræ historiæ cha-  
racteres, quos inter tres dumtaxat hic recensebo.  
In primis antiqui Patres, quos superius laudavi,  
de veritate historiae *Jobi* nunquam dubitarunt, sed  
potius eximium illum & sanctissimum Heroem  
præclaris elogii celebrarunt, & Christianis ceu  
patientiæ exemplar in adversis imitandum pro-  
posuerunt; immo Ecclesia cum Græca, tum Latini-  
na B. *Jobo*, tanquam admirandæ patientiæ viro  
exhibit cultum, ut videre est apud *Joannem Bail-  
letum* in Tomo Sanctorum Veteris Testamenti ad  
diem 10. mensis Maii. Præterea, hæc *Jobi* histo-  
ria descriptur in libro, qui *Jobi* nomine insig-  
nitur, quem librum non solum Hebræi in sa-  
crorum Voluminum Canonem referunt, sed eti-  
am ei sacram & divinam autoritatem afferunt  
ac vindicant Summi Pontifices *Innocentius I.* in E-  
pistola ad *Exuperium Tolosanum Episcopum*, *Ge-  
lasius Papa*, in Concilio Romano lxx. Episcoporum,  
omnes sancti Patres, cum Græci, tum Latini,  
& plura Concilia, videlicet Charrhaginiense  
III. Synodus quinta generalis, in qua damnatus  
est *Theodorus Mopsuestenus*, qui inter alios, quos  
effutiebat, errores, historiam *Jobi* tanquam fab-  
ulosam explodebat, insuper Concilium Tridenti-  
num Sessione 4. ubi liber *Jobi* sacrorum Librorum  
Veteris Testamenti Canoni accenseret. Denique  
Historia *Jobi*, que legitur in libro hujus sancti  
viri nomine inscripto, hos habet veritatis cha-  
racteres, quibus a fabulosa historia plane secer-  
nitur. Auctor quippe illius libri *Jobi*, non solum  
illius sancti viri proprium nomen adscribit, sed  
etiam ejus uxorem, & terram, cuius incola-  
fuit, designat, liberorum ejus numerum, ac bo-  
na, quæ possidebat, singillatim recenset, indi-  
cat etiam nominatim populos, qui bona ipsius  
diripuerunt, amicorum, qui illum adierunt, nu-  
merum, nomina, patriam exprimit, sermones,  
quos invicem contulerunt, accurate refert, po-  
stremo, ingens præmium, quod *Jobus* pietatis,  
ac patientiæ suæ merito a Deo consecutus est,  
restitutam sanitatem, auctas opes, & numero-  
sam prolem oculis Lectoris subjicit facer libri *Jobi*  
Auctor. Quæ omnia esse vera historia luculen-  
tissima argumenta ultro fatebitur, quisquis erit  
aequus rerum æstimator. Non me fugit, *Josephum*,  
Hebræum in Antiquitatibus Iudeorum versatissimum,  
alto silentio historiam *Jobi* pretermissee:  
At, ex eo *Josephi* silentio perperam Hæretici  
occasione arripiunt, hanc *Jobi* historiam, ceu  
fabulosam repudiandi: tum quia multa, ad his-  
toriam sacram spectantia, a *Josepho* de indu-  
stra aut omessa, aut interpolata fuisse demon-  
strat clarissimus *D' Andilli* in sua Operum *Josephi*  
Versione Gallica; tum quia etiam *Josephus*  
gentis suæ dumtaxat Judaicæ historiam con-  
cinnandi provinciam suscepserat, ad quam cum  
nihil conferre posset hæc historia *Jobi*, qui ex  
Populo Hebreo oriundus non erat, eam ideo  
silens-

silentio transmisit. Addo etiam, *Josephum* unum Judæis admittere viginti duos libros in Canone Veteris Testamenti, adeoque ipsum sacram & divinam auctoritatem tribuisse libro, qui nomine *Jacobi* inscribitur, ejusque continet historiam, aliquin si hunc librum pro sacro non habuisset, viginti tantum & unum libro *Josephus* reposuisset in Canone sacrorum librorum Veteris Testamenti. Cum igitur *Josephus* librum *Jobi* in Canonem sacrorum librorum Veteris Testamenti reutererit, necesse prorsus est, ut historiam *Jobi*, eo in libro exaratum agnoverit, tanquam veram, sinceram, & divina auctoritate munitam. Unum tamen est, ne quid dissimulem, quod Heterodoxi ad naufragium usque opponere solent, ut omnem historiæ *Jobi* fidem adimere, eamque, cœu fabulosam, rejicere possint. Dicitant enim, in historia *Jobi* multa ostendi, quæ fabularum loco haberi debent, cujusmodi sunt concilium Angelorum, cui ipsemet Deus præfuit, colloquium Satanae cum Deo, varia questiones Diabolo factæ a Deo, responsiones Diaboli, & alia, id genus narrationes, quæ aperte fabulas olen. Verum, hanc Hereticorum objectionem faciliter negorio elidere, ac exsufflare poteris, si semel advertas, in historia *Jobi* non omnia in sensu literali esse accipienda, sed quædam in sensu literali, quædam in sensu figurato intelligi debere. In sensu literali sumenda sunt ea, quæ in historia *Jobi* narrantur de persona *Jobi*, de illius summis animi corporisque doloribus a Diabolo, ita permittente Deo, ei inflictis: de jactura bonorum, & liberorum, de colloquio ejus cum uxore, & amicis, de illius eximia pietate, & heroica patientia, de recuperatione bonorum, de restituta sanitate, de auctis opibus, de numerosa prole, quam a Deo accepit in præmium invictæ patientiæ suæ. Hæc, inquam, in sensu literali accipienda sunt, in sensu autem figurato intelligi debent ista, quæ in eadem *Jobi* historia narrantur de concilio Angelorum, cui præfuit Deus, de colloquio Dei cum Diabolo &c. Sed propter illas figuratas locutiones, quas sèpius usurpat Scriptura sacra, in dubium revocari debere historiam *Jobi*, soli hæretici affirmare possunt, qui contempta Ecclesia Catholica auctoritate, ac despecto Spiritu Sancto, in Libros Santos impune grassantur, atque pro nutu & arbitrio suo, quos volunt, recipiunt, quos vero nolunt, dictatoria auctoritate e Catalogo Librorum Sacrorum temere expungunt.

D. Necdum indicasti nomen Auctoris libri, qui sub nomine *Jobi* prostat, & in quo descripta est ipsius historia.

M. De Auctore libri, qui *Jobi* nomine insignitur, non una est omnium Scriptorum Ecclesiasticorum sententia. Quidam hunc librum ab ipso meo *Jobo* scriptum esse putarunt, eo potissimum inducti argumento, quod *Jobus* cap. 19. v. 23. illius libri hæc dicat: *Quis mibi triluat, ut scriban tur sermones mei? quis mibi det, ut exarentur in libro, stylo ferreo, & plumbi lamina, vel celte sculptantur in silice?* Sed quid aliud ex his *Jobi* verbis colligi poskt, quam vehemens desiderium, quo

optabat, ut historia sua, & sermones conscriberentur, certe non video. Præterquam quod, si *Jobus* esset revera legitimus patens libri, qui ejus nomine inscribitur, *Moyses*, qui *Jobo* fuit posterior, non esset primus omnium Gentium Scriptor, & tamen *Moysen* esse primum Scriptorem omnium Gentium, constans est omnium sanctorum Patrum sententia. *Jobo* itaque adscribi haud debet liber, qui ejus nomen præfert. *Codurcus* Præfatione in *Jobum*, censet, hunc librum, qui *Jobi* nomine inscribitur, esse genuinum cujusdam Idumæi Prophetæ factum, vel a Prophetâ *Isaja* suisse scriptum, *Hugo Grotius*, Præfatione Comment. in *Jobum*, asserit, libri *Jobi* Auctorem Regibus *Davide*, & *Salomone*, recentiorem esse. *Fridericus Spanbenius* cap. 13. *Historiæ*, quam concinnavit, *Jobi*, opinatur, historiam, quam nunc habemus, *Jobi*, conflatam esse a quodam Hebreo. Alii denique, librum, in quo describitur historia *Jobi*, adjudicant *Moysi*, qui ex Aegypto fugere coactus, eo quod Aegyptium insultantem Hebreo calce interemisset, & raptim occultasset fabulo, secessit in eam Arabia partem, quam incolebant Madianitæ, & in eo secessu Madianitico, dum summò perfueretur otio, scripsit librum, seu historiam *Jobi*, ut Hebreos, suos Gentiles, in Aegyptiaca servitutem gravissimus laboribus & afflictionibus oppressos, proposito heroicæ patientiæ exemplo solaretur, & ut ipsi ad aspectum *Jobi*, qui in rebus adversis æquam semper mentem servavit, addiscerent fortiter, ac constanter tolerare asperrimal servitutem. Ad hanc postremam sententiam, quæ eruditorum virorum, cum veterum, tum recentiorum suffragiis probatur, lubens ipse accedo. Obiter tamen velim advertas, *Moysen*, in eo conscribendo libro, qui *Jobi* nomine insignitur, omnia, quæ ad historiam, seu ad vitam, mores, calamitatem, & prosperitatem *Jobi* pertinent, soluta oratione narrasse: verba vero *Jobi*, amicorum interlocutiones, ejusdemque responsiones metricis numeris illigasse: quo sit, ut hic liber partim prosa, seu soluta oratione, partim versibus sit concinnatus. Nihil autem deperit historiæ veritati, sive prosa describatur, sive metris illigetur numeris, cum certum sit, *Lamentationes Jeremie*, *Librum Psalmorum*, *Canticum Moysis*, *Canticum Debore*, & *Barac*, aliaque Cantica legi in Scriptura Sacra, quæ sunt versibus illigata, & quæ tamen divina pollere auctoritate nullus inficias & audeat. *Legesis Dissertationem De poetice Hebreorum*, quam *Augustinus Calmet*, Monachus Benedictinus, præfixit suo *Commentario literali* in librum *Exodi*.

D. Nunquam profecto, pace tua dixerim, adducatur ut credam, *Jobum*, in sterquilino jacentem, ejusque uxorem, & amicos, qui cum ipso interloquebantur, carmina, poetarum more, ex tempore fudisse; nam, præterquam quod, id difficile & insolens fuisset, non congruebat certe hic Poetice loquendi modus infelicissimo huic statui, ad quem redactus erat *Jobus*, non tam homo, quam putridum cadaver. Ut quid ergo *Moysen*, quem dicas esse Auctorem libri, qui *Jobi* nomine inscribitur, inducit sanctum illum virum poetice

poetice loquentem. Addo etiam stylum, quo in conscribendo Pentateucho usus est *Moyses*, esse facilem, pervium, familiarem, & omnino alienum a stylo poetico, quo librum *Jobi* partim exaratum esse mox innuisti. Quæ styli diversitas haud obscure probare videtur, *Moysen* non esse Autorem libri *Jobi*.

M. Nullus dubito, quin *Jobus*, ejus uxor, & amici patrio & familiari sermone in suis interlocutionibus usi fuerint. At, *Moyses*, qui *Jobi* historiam descripti, stylum adhibuit poeticum, sententiarum plenum, illamque, ut populares suos Hebraeos, in Aegypto captivos, ad patientiam, & ad malorum tolerantiam extimularet, novis additis ornamentis condecoravit, ut in hoc *Jobi* libro verborum collocatio, sententiarum digestio, Dialogi compositio, Interlocutorum dispositio, & distinctio, figurarum concinnitas, & reliquus sermonis ornatus *Moysis*, hujus libri Autori, tribui debeat. Quod si aliquid grandius sonare videtur liber *Jobi*, crebrioribusque distinctus luminibus ac sententiis, quam sit Pentateuchus, a *Moysen* exaratus: *Memineris* (inquit Illustrissimus *Daniel Huetius*, Episcopus Abricensis, in sua Demonstratione Evangelica, Propositione IV.) hunc *Jobi* librum fuisse a *Moysen* scriptum, cum florentibus annis vigeret felix pie mentis calor; *Pentateuchum* vero ab eodem *Moysen* esse scriptum, cum per senectam iam ætate ignea vis animi defervesset, iametsi in *Hymnis*, seu *Canticis*, que in Pentateucho occurrunt, ad sublime & magnificum descendit genus splendide afferat *Moyses*. Si autem quætas, quo pacto *Moyses*, Hebreos, & in Aegypto natus habere potuerit notitiam historiae *Jobi*, hominis Arabis, & eorum adversæ fortunæ casuum, quos vir ille justus patientia in Arabia toleravit? Respondebo, *Moysen* in secessu suo Madianitico, ubi per quadraginta annos versatus est apud fociorum suum *Jethro*, cuius filiam, *Sephoram* videbat, sibi matrimonio junxit, facile historiam *Jobi*, hominis Arabis, & inter suos clarissimi, ex vulgi sermone discere potuisse. Madianitæ quippe Arabicæ Gens est, Syrorum & Idumaorum vicina. Quid igitur mirum, si *Moyses*, in Arabia degens, historiae *Jobi*, hominis Arabis, & inter suos spectatissimi, notitiam habuerit, maxime, cum hac historia paulo ante contigerit, quam *Moyses*, fugiens ex Aegypto, in Regione Madianitarum secesserit, essetque apud Madianitas lippis ac tonforibus notissima. In hoc diurno secessu suo Madianitico, *Moyses*, propter congregum, quem cum exteris habuit, patriam, seu Hebraicam, loquelam (quod ceteris hominibus, qui peregrinas diu incolunt Regiones, usu venire solet) inquinavit, & hic est, quod in *Jobi* libro, quem in hoc suo secessu Madianitico conscripsit, occurrant Arabismi, Syriae, uti notatum est a S. Hieronymo, nonnumquam etiam Chaldaismi. At, postquam *Moyses*, relicto suo secessu Madianitico, ad suos populares, seu Hebreos, reversus est, loquelam suam Hebraicam excolare ac perporlire fategit, omnesque fordes, quas congregatus exterorum ei alperserat, ita abstersit, ut quando ad scribendum Pentateuchum animum

appulit, majorem adhibuerit Lingue Hebraicæ caftitatem ac munditatem. Sed he historia *Jobi* satis dictum est. Nec enim otii & Instituti nostri est, in levibus ac fatilibus, quas contra librum *Jobi* proponunt Hæretici, diluendis objectionibus anxie laborare ac defudare. Confuse, si plura desideres Illustrissimum *Danielum Huetium* in sua Demonstratione Evangelica, propositione quarta.

D. Cum Deus selegerit *Moysen*, ut esset dux & Legislator Gentis Judaicæ, e qua proditus erat *Messias*, facile mihi persuadeo, hunc Iudaorum Legislatorem gessisse typum Jesu Christi, veri *Messiae*. At, quia Judæi hanc similitudinem, quæ *Moysen* inter & Jesum Christum intercessit, obstinatis animis negant, debes nunc paucis monstrarre, quo pacto *Moyses* rebus præclare gessis Jesum Christum, Salvatorem nostrum, adumbrarit?

M. Non solum *Moyses* rebus, quas præclare gessit, typum gessit Jesu Christi, sed etiam in Pentateucho, quem edidit, multis oraculis eum venturum sole clarius prænuntiavit. Tractat fuisse ea de re *Eusebius* cap. 2. lib. 3. De Demonstratione Evangelica, ubi data opera accuratam & luculentam instituit comparationem *Moysen* inter & Jesum. Sed, quia nimis longum esset integrum *Eusebii* sermonem hic inserere, suprema illius, (cum Illustrissimo *Daniele Huetio*, Abricensi Episcopo, in sua Demonstratione Evangelica, Propositione IV.) sequar vestigia. In primis, *Moysen*, statim ob ortu, nefario Pharaonis, Aegyptiorum Regis, Edicto morti adductum, parentes a letho ei parato subduxerunt: Jesus nascentem, ab Herode Rege, ad mortem sollicite quæsum, parentes, fugientes in Aegyptum, ab imminente morte, quam immanissimum ille Tyrannus ei inferre moliebatur exemerunt. Deus Principem ac Duxem Hebraorum *Moysen* constituit; Jesus Duxem ac Dominum omnium hominum declaravit Deus, dicens: Postula a me, & dabo tibi gentes, hereditatem tuam, possessionem tuam terminos terre. Psalmus 2. *Moyses* te a Deo missum, magnis approbat miraculis; Jesus se a Deo missum stupendis confirmavit prodigiis. *Moyses*, Hebreos ex Aegyptiorum servitutem vindicavit in libertatem: Jesus homines, Daemonum omnium mancipatos vinculis libertate donavit. *Moyses* Hebreos per Desertum ad Terram promissam introduxit: Jesus hominibus per vitæ hujus angustias ad cælestem patriam, Duxem se præbuit. *Moyses* nutu maturi sistit & exsiccat, Jesus saeventes ventos frerat, & tumidos fluctus dictis sedat. *Moyses* Hebreos trans mare salves ducit & incolumes: Jesus Christus, fluctibus suspensus, graditur super mare, & Petro, Discipulo suo, idem posse concedit. *Moyses* Hebreos, Jesus homines ab Idolorum cultu avertit. *Moyses* Hebreis, Jesus universo generi humano Leges sanxit. *Moyses* Hebreos, trajecto Mari Rubro, Aegyptiorum tyrannidi subduxit; Jesus hominibus per Baptisma jugum Daemonum detrahit. *Moyses* Deum inter & homines concilia-

ciliatorem se gessit : *Unus mediator Dei & hominum Homo Christus Jesus*, ait Apostolus *Paulus Epist. i. ad Timoth. cap. 2*. Fuit *Moyses* cum Domino per quadraginta dies & totidem noctes, panem non comedit, & aquam non bibit, sicut legitur cap. 34. v. 28. lib. *Exodi* : *Jesus*, cum jejunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea eluruit, sicut narrat Evangelista *Matthaeus*, cap. 4. v. 2. *Moyses* præcepit *Hebreis*, antequam egredierentur ex *Egypto*, ut *Agnus Paschalem* comedenter, & omnes, quorum ades illius Agni sanguine non rubebant, fuerunt ab Angelo exterminatore occisi in *Egypto* : *Jesus Christus*, sicut ostendimus sub finem superioris nostri *Colloqui*, fuit verus *Agnus Paschalis immolatus* ab *Hebreis*, cum ex hoc Mundo ad Patrem esset transitus, & omnes, qui ejus sanguine non sunt aspersi, æterna morte peribunt. Serpentem æneum exaltavit *Moyses* in Deserto, ut spectatus ab ægris afferret remedium : *Jesus* fuit exaltatus, seu in Crucem aësus, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam, *Joannis c. 3. v. 14*. *Moyses* splendida facie descendit de monte : *Jesus* consensio cum tribus Apostolis monte, *transfiguratus est ante eos*, & resplenduit facies ejus sicut sol, *Matthæi cap. 17*. Esurientibus Hebreis coturnices & manna de Cælo, & aquam de rupe fitientibus Deus per *Moysen* in Deserto largitus est : *Jesus* turbæ in Deserto famæ languenti, cibos non fœlē supeditavit, & aquam vitæ se gratis daturum politus est. Septuaginta viros de Senibus Israelitici Populi Magistros ac Duces constituit *Moyses*, cuius & spiritum cum illis communicat Deus : *Jesus* Discipulos septuaginta duos quoquaversus dimittit, doctrinæ sua præcones, & spiritu suo afflatos. *Mariam*, lepra laborantem, sanat *Moyses* : hominem *Jesus*, eodem morbo affectum, illico sanitati restituit. Denique *Moyses* duodecim exploratores misit in Terram Chanaan : *Jesus* duodecim Apostolos misit in univerlam terram. Hos igitur typos, quibus *Moyses*, Judæorum Legislator præfiguravit *Jesus Christum*, Salvatorem omnium hominum, si attento animo perpendas, fateberis ultro, *Moysen* inter & *Jesus*, summam intercedere similitudinem. Quo sit, ut Apostolus *Paulus Epist. ad Hebreos cap. 11*. Fidem, quam *Moyses* habuit in *Jesus Christum* venturum, his verbis maxime commendet : *Fide Moyses grandis factus negavit, se esse filium filie Pharaonis ; magis eligens affligi cum Populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem ; majores druidas astimans thesauro Ägyptiorum impropterum Christi. Aspiciebat enim in remunerationem. Fide reliquit Ägyptum, non veritus animositudinem Regis : Invisibilem enim tanquam videns sustinuit, fide celebravit Pascha, & sanguinis effusionem, ne qui vastabat primitiva, tangeret eos.*

D. Per placet mihi hæc, quam delineasti, similitudo *Moysen* inter & *Jesus* Salvatorem nostrum, addiderim tamen ipse *Moyses* in hoc etiam figuram fuisse Jesu Christi, quod *Moyses* virorum omnium mansuetissimus prædicetur : *Jesus* vero, qui nobis protulit Legem Gratia & Cha-

ritatis, mitissimus fuit, totus ad bene de cœribus merendum compitus, nihilque prius & antiquius habens, quam ut sui Discipuli ejus mansuetudinem æmularentur : *Discite a me, inquietabat illis, quia mitis sum & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris ; jugum enim meum suave est, & onus meum leve*, *Matthæi cap. 11. v. 29. & 30*. Sed nunc pergamus ulterius, & ea studiose perquiramus oracula, quibus *Moyses*, propheticō afflatus spiritu, *Iesu Christi*, veri *Messiae*, prænunciavit adventum.

M. Quod quinque libri *Moysis*, qui Pentateucho continentur, apertas, manifestasque complectantur de *Iesu Christi*, veri *Messiae*, adventu propheticas prædictiones, id toto capite annuo, ac breviter hic demonstro. Oracula librorum *Moysis* alia ipse fudit, alia jam sula prodidit sacris Literis & posteritati propagavit. Lapsum narrans *Moyses* protoparentum exhibit Deum prænunciantem, venturum mulieri filium, per quem ipsa caput serpantis conterat *Genesis cap. 3. v. 15*. Si loquar de *Abrahamo*, de *Iaacoco*, de *Jacobo*, quæ & quantæ de *Iesu Christi*, veri *Messiae*, adventu prædictiones erunt mihi recensenda ex Libris Mosaicis ? Cap. 12. lib. *Gen. v. 3* dixit Dominus ad Abraham : *Et benedicentur in te universæ cognationes terre*. Et cap. 22. ejusdem libri v. 18. Deus iterum dixit Abraham : *Et benedicentur in semine tuo omnes gentes terre*. Eamdem promissionem fecit Deus *Iaacoco*, Gen. cap. 26. v. 4. fecit & *Jacobo*, cap. 28. v. 14. ejusdem Libri *Genesis*. Ipse *Jacobus* moriturus, benedicens filiis suis, & quæ singulis erant futura, prædictis has refert *Moyses* in libro *Genesis cap. 49*. Præcipua est, quæ pertinet ad *Iesum Christum*, verum *Messiam*, quæque his verbis concpta est : *Non auferatur Scptum de Juda, & Dux de semiore ejus, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio Gentium*. Mitto alia vaticinia, quæ *Moyses* re tulit. At, prætermittere nec possum, nec debeo insigne vaticinium, quod *Moyses* cap. 18. lib. *Deuteronomii v. 15*. de *Iesu Christo* proutulit, dicens : *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus : ipsum audies*. Quod *Moyses* vaticinium *S. Petrus*, iam tum nascente Christianifno, objecit *Judeis*, in ea, quam ad illos habuit, Concionem, quæ legitur cap. 3. Act. Apostolorum, ubi exponus quæ de *Iesu Christo* locutus est Deus per os Sanctorum suorum a seculo Prophetarum, sic effauri : *Moyses quidem dixit : Quoniam Prophetam suscitabit vobis Dominus Deus noster de fratribus vestris, tanquam me, ipsum audietis juxta omnia quecumque locutus fuerit vobis*. Idem *Moyses* vaticinium objecit *Judeis* *S. Stephanus* cap. 7. v. 37. ejusdem libri Act. Apostolorum, dicens : *Hic est Moyses, qui dixit filius Israel : Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris, tanquam me ipsum audietis*. Hoc Mosaicum Oraculum de *Iesu Christo* intelligendum esse negabat olim *Julianus*, Apostata, Imperator, quem invictis argumen-

tis confutavit S. *Cyrillus Alexandrinus* libro VIII. contra hunc Imperatorem Apostolam. *Eusebius* vero lib. 3. *Demonstrationis Evangelice* cap. 2. probat, hoc Mosaicum Oraculum non de *Josue*, non de *Davide*, non de *Jeremia*, vel de aliis Prophetis, sicut Judæi perperam commentabantur, sed de uno Iesu Christo esse intelligendum: *Num*, inquit, *ex iis*, qui post Moysen extiterunt Prophetae, *Esaias*, exempli gratia, aut *Jeremias*, aut *Ezechiel*, aut *Daniel*, aut alius quipiam de ceteris duodecim, Legum Auctori Moysi conferendus extitit? Nequaquam. Sed ex illis tandem quis unquam Moysi similia efficit? Nunquam poteris dicere. Sed quisque illorum a primo ad novissimum quoscumque instituerant ac docebant, ad ipsum Moysen remittebant, atque Populum in hoc reprehendebant, quod Moysi Legem non servasset, sed contra illam fecisset, neque illum ad quidquam aliud portabant, nisi ad ea firmiter tenenda, que in Legi Moysis posita sunt. Nullum igitur horum illi similium dixeris. Quemnam igitur alium Moysi similem faurum canit Oraculum illud, nisi Salvatorem, & Dominum nostrum Iesum Christum? Denique, cum inter Samaritanos exorta esset controversia, & quidam inter illos censerent, hunc Prophetam, quem post se missum iri prædixit Moyses, esse *Dosthem*, seu *Dostheum*, quidam vero ali putarent, *Iesum Nave*, seu *Josuem*, filium *Nun*, successorem Moysis, fuisse illum Prophetam; S. *Eulogius*, Episcopus Alexandrinus, ad dirimendam illam controvrsiam, quæ plebem Samaritanam in contrarias factiones distrahebat, frequentem Synodus Alexandriae coegit, utramque damnavit sententiam, & Iesum Christum hoc vaticinio a Moysi prænuntiatur esse definitivus, sicut refert *Photius*, Opera Sancti *Eulogii* recensens Codice cccc. Bibliotheca sue, ubi hæc habet: B. *Eulogius*, discussis quæ ab utraque parte afferebantur, & utraque erroris, a veritate procul remoti, convicta, illum a Prophetis predictum Messianum, ex Scripturis Sacris docuit esse Dominum nostrum Iesum Christum, verum Deum; illos vero gravissimo errore laborasse: Hos quidem, quod Iesum Nave illum Prophetam prænuntiationem fingerent; illos vero, quod Dosthem, seu Dostheum impium portentose comminiserentur. Atque ita Concilium solvit. Hæc itaque prædictio Moysis de venturo post se Prophetam soli Iesu Christo accommodari potest, & in ipso exitum habuit. Similiter, hæc promissio, quam scribit Moyses a Deo factam Abrahamo: *Et benedicentur in semine tuo omnes Gentes terræ*, manifesto completa est in Iesu Christo de semine Abraham, vero Messia, vero Christo, in quo benedici omnes Gentes non nunc prænunciamus, sed quod tunc prænunciatum est, nunc videmus, sicut ait S. Augustinus cap. 41. libri duodecimi contra Faustum, Hæreticum Manichæum. Postremo, in Christo nostro evidenter luce claruerunt (ut rursus utar verbis ejusdem Augustini capite mox sequenti ejusdem libri) illa Patriarchæ Jacobi verba, quæ Moyses cap. 49. libri Genesis refert: *Non auffetur Sceptrum de Juda, & Dux de semore ejus, donec veniat qui mittendus est*, & ipse erit expeditio Gentium; quia Iesus Christus, cuius Re-

gnum spirituale quaquaverius per omnes Gentes patet, venit his temporibus, quibus ablatum est Sceptrum de Juda. Negari igitur haud potest, libros Moysis, Pentateuchō comprehensos, multa eaque aperta & luculenta de Iesu Christo venturo complecti Oracula, quæ vel ipsem Moyses fidit, vel ab aliis jam sua literis consignavit, & ad posteritatem transmisit. Hinc *Philippus* volens *Nathanaelē* trahere ad Jesum Christum, dixit ei: *Quem scriptis Moyses in Lege, & Propheta, inventimus Iesum, filium Joseph a Nazareth*, Joannis cap. 1. v. 45. Christus etiam Dominus incredulitatem Iudeorum increpat his verbis: *Nolite putare, quia ego accusatus sum vos apud Patrem: est qui accusat vos Moyses, in quo vos speratis*. Si enim crederetis Moysi crederetis forsitan & mihi: *de me enim ille scripti*. Ex his de venturo Iesu Christo Oraculis, quæ in Pentateuchō, & in singulis Prophetarum libris passim continentur, argumentum validissimum sumpfit Apostolus *Paulus* ad tuendum coram *Agrippa*, *Roge*, & *Festo*, Iudeæ Praefide, causam suam, dicens. *Uisque in hodiernum diem sto, testificans minori atque majori, nihil extra dicens, quam ea, quæ Prophete locuti sunt, futura esse*, & *Moyses, si passibilis Christus, si primus ex resurrectione mortuorum, lumen annunciaturus est Populo & Gentibus*. Act. Apost. c. 26. v. 22. & 23. Nihil isto argumentandi genere est magis in usu apud Apostolos & Evangelistas, quorum Scriptis constituantur fundamenta Fidei. Nihil apud sanctos Patres est receptius, nihil Christianis plausibilis, nihil ad frangendam Iudeorum pervicaciam efficacius, sicut suse ostendi in *Tractatu*, quem publicam in lucem emisi: *De Vita, Mysteriis, & annis Iesu Christi, Servatoris nostri*.

D. Quo tempore, & quibus characteribus Moyses scriptis Pentateuchum?

M. Probabilius ipse cum *Theodoreto* Quæstione prima in *Genesim* censeo, Moysen scripsisse Pentateuchum post exitum Israelitarum ex Ægypto, & post Legem a Deo ei datam in monte Sinai: Characteres autem, quibus in scribendo Pentateuchō usus est Moyses, fuerunt Hebraici, idest, iidem plane, ac characteres, quibus olim utebantur Chananæi, quorum Regionem diu incoluerunt Hebrei. *Augustinus Calmet* in Dissertatione, quam præfixit suo Commentario literali in librum *Genesim*, asserit Moysen scripsisse Pentateuchum characteribus Ægyptiacis, qui non discrepabant a characteribus, qui erant in usu apud Chananæos. Certe, Pentateuchus Moysis Samaritanus, qui adhuc e tam, quæcumque antiquissimum esse affirmant *Origenes*, *Julius Africanus*, *Eusebius*, *Diodorus Tarsensis*, *Cyrillus Alexandrinus*, & *Procopius Gazensis*, descriptus est his antiquis Chananæorum characteribus, sicut testantur viri eruditæ. Observat enim *Sophorus Scaligerus* in Dissertatione de literis Iunum, seu Græcorum, characteres Græcos ad exemplum characterum Samaritanorum esse formatos, antiquissimam vero esse literarum Jonicarum originem, utpote profectam a Phœnicibus, seu Chananæis. Hunc Pente-

teuchum *Mosis* Samaritanum, antiquissimis Chananaeorum characteribus exaratum, doctissimus Joannes Morinus, Congregationis Oratori Presbyter, hisce postremis temporibus evulgavit, eunque in Heptapis Parisiensibus, & in Polyglottis Bibliis insertis perdoctis Dissertationibus illustravit. His Hebraicis, seu antiquis Chananaeorum characteribus defcriptum Pentateuchum *Mosis* conservarunt Judæi usque ad captivitatem Babyloniam, sed, durante captivitate Babylonica, cum Judæi Lingua Hebraicæ, & modi antiquos formandi characteres Hebraicos essent penitus oblii, Esdras, qui, ea laxata captivitate, sacros libros a mendis, quæ in eos irreperabant, repurgavit, mutatis antiquis characteribus Hebraicis sufficit characteres Chaldaicos, quibus nunc utuntur Judæi, & eorum Biblia hisce characteribus Chaldaicis descripta leguntur.

D. Cum *Moses* scripserit dumtaxat Pentateuchum post exitum Israëlitarum ex Aegypto, & Legem ei datam in monte Sinai, intempestive a te nunc postularem notitiam rerum, quas in hoc Pentateuco *Mosis* complexus est: de his quippe commodius suo loco, hoc est, in Colloquiis nostris in Historiam quartæ Mundi Ætatis sermonem instituemus. Verum, quia probe scio, esse quosdam incredulos, & omnis Religionis olores, quos perfecta fronte non pudenit antiquitatem, & sacrum Pentateuchi *Mos* auctoritatem aut negare, aut saltē in dubium revocare, plurimi mea interesse video, generales quosdam circa antiquitatem, & divinam Pentateuchi auctoritatem habere notiones, quo facilius, si quos aliquando nanciscar ejusmodi incredulos, eorum petulantiam retundere possim. Primum igitur a te percunctor, an *Mosis* sit Auctor totius Pentateuchi? Audivi enim, esse quosdam intemperantioris Critices viros, qui licet fateantur, *Mos* esse Auctorem totius Legis, quæ ad bene constituendam Rempublicam Judæorum descripta est in Pentateuco; pertendant tamen, *Mos* non esse Auctorem Historiæ, quæ legitur in Pentateuco, maxime in libro Genesis, sed eam a quodam Scriba, post obitum *Mosis*, concinnatam suisse dicunt. Quod sane antiquitati Pentateuchi *Mosis* haud parum derogare mihi videatur.

M. In hunc errorem, fateor, non multis abhinc annis impedit *Richardus Simonius*, qui in sua *Historia critica Veteris Testamenti* Capitibus primo, secundo, & tertio supponit, in Republica Judaeorum fuisse publicos Scribas, Prophetæ dono insigines, quibus auctoritate publica demandabatur provincia res memorables, suis temporibus gestas, in literas referendi, non secus ac solis Hierophantis apud Ægyptios, solis Chaldaeos apud Babylonios, solis Magis apud Persas, solis Gymnosophistis apud Indos, solis Literatis apud Sinas, solis Pontificibus apud Romanos, ius ex officio & auctoritate publica incumbebat res ætatis saepe memorables literis mandare. Hac autem semel facta suppositione, ait *Richardus Simonius*, quæ legitur in Pentateuco *Mosis*,

fuisse scriptam ab aliquo Scriba, divino tamen Prophetæ spiritu afflato, qui, post mortem *Mosis*, a Republica Judaorum scriberendis Judaicæ Gentis Annalibus destinatus, ex veteribus Diariis aliorum Scribarum qui *Mosis* temporibus coevi fuerant, & res sub illo gestas fusiū descripterant, excerptis Historiæ monumenta, eaque in ordinem digessit, ac summatum perstrinxit, sicut nunc leguntur in Pentateuco. Hoc est novum *Richardi Simonii* Systema, quod nulla efficaci ratione, nulla alicuius ponderis conjectura, nullo antiquitatis monumento fultum, immo, expressis ac disertis Scripturæ Sacræ, & sanctorum Patrum testimoniis, quæ *Mos*, ceu vero ac legitimo patenti, integrum Pentateuchum asserunt ac vindicant, omnino oppositum, ab omnibus viris eruditis fuit exploso atque confutatum, idque jure optimo. Nam, etiam si fatear lubentissime, sacros conscribendi libros potestatem, non fuisse promiscue omnibus in Republica Hebræorum permisam, sed, ut ait *Iosephus* lib. 1. contra Apionem, datain fuisse solummodo Prophetis antiquissima quidem & veterima secundum inspirationem factam a Deo cognoscentibus, alia vero suorum temporum, sicuti sunt facta, palam conscribentibus; contendo attamen, illos Prophetas, quibus in Republica Hebræorum ex officio & auctoritate publica concedebatur facultas conscribendi libros sacros, & de quibus eo loci mentionem facit *Iosephus*, non alios fuisse a *Mos*, a *Josue*, & a ceteris aliis sacris Scriptoribus, qui, divino afflato spiritu, libros Scripturæ sacræ, quos nunc habemus, exararunt. Quo fit, ut nunquam in Republica Hebræorum extiterint illi Scribæ, Prophetæ donec illustres, quos *Richardus Simonius* asserit, a *Mos*, a *Josue*, & a ceteris aliis sacrorum Librorum Scriptoribus fuisse plane distinctos, & ad illos spectasse, res memoria dignas, suis temporibus gestas, in literas referre, vel ex veterum Scribarum Diariis historicam collectionem exciperre, in ordinem digerere, atque compendio de scribere. Horum siquidem publicorum Scribarum, quos in Republica Hebræorum a sacrorum Librorum Scriptoribus distinctos commentus est *Richardus Simonius*, ne apex quidem in Scriptura Sacra, & in tota retro antiquitate temporum ne minimum quidem occurrit vestigium. Quocirca, hoc recens a *Richardo Simonio* de publicis illis in Republica Hebræorum Scribis excogitatum systema, tam infirmis nixum radibus corruere necesse est. Scriptis itaque *Mos* Legem ad bens constituendam Rempublicam Hebræorum, & auctor etiam est Historiæ, quæ Pentateuco continetur, & quam ipse a creatione Mundi ad sua usque tempora perduxit. Quod si quæras, quorsum *Mos*, qui Legem datus erat Hebræis, Historiam a creatione Mundi, & res præclare gestas a Patriarchis ante, & post diluvium voluerit in Pentateuco describere? hanc ipse proferam rationem, quam mihi suppeditat *Eusebius* lib. 7. Preparationis Evangelice cap. 7. ubi hæc habet: *Mos*, eximius ille Theologus, atque ex Hebreis Hebreus ipse procreatus, cu[m] patriæ Gentis historiam accurate, si quisquam alius, teneret,

prisorum Hebreorum vias, que sacris Legibus, cuiusdam quasi proxemii loco, viam munirent, posterorum memorie commendare voluit, nulla unquam oblitione delendas. Iis porro non ea tantum, que divinitus accepereant beneficia, verum & nonnullorum preterea, qui omnem cum divinitate pietatis sensum abjecerant, mores simul ac poenas intexuit: ratus iis, qui Legibus suis instituendi essent, genus id cognitionis apprime necessarium futurum, ut eos & ab improborum imitatione deterret, & ad consecunda proborum exempla stimularet. Tanti etiam erat, ut eos non lateret, majorum quidem suorum quam plurimos, antequam ab se Lege scripto late essent, recta unitus rationis manum secutos, ad summam Religionis, ac divini cultus laudem pervenisse, qui, quod & divini Numinis amicitia, & Propheticæ munere praestitissent, immortali apud se memoria viventes. Quibus autem Leges praescriberet, eos cum Antiquioribus illis esse generis ac sanguinis communione conjunctos, eoque verum esse, ut qui hominum Deo carissimorum ac virtutis amansissimorum nepotes essent, iidem Majorum quoque suorum pietatis amulos & atque imitatores exhiberent, atque in beneficiorum, ac premiorum, patribus a Deo concessorum, partem, ac societatem venire omni ope, studioque contenderent.

D. Jactabant olim Gentiles antiquitatem Deorum suorum, Historias illorum, necnon pertexta ab eis prolatâ Oracula: optarem igitur scire primo, an superstitione Gentilitatis Deorum Historiae antiquiores sint ea Historia, quam *Moses* in Pentateuco descripsit? Secundo, quale extet discrimen Oracula horumce Deorum inter, & Oracula, quæ de adventu Jesu Christi, veri Messiae, a *Mosye* in Pentateuco sua fuisse, suprius ostendisti?

M. Fabulosam plane esse superstitione Gentilitatis Deorum antiquitatem, ipsimet Gentiles tantisper eruditu ingenuo professi sunt tempora, quibus Dii Gentium floruisse dicuntur, fabulosa nuncupantes. Præterea, omnis historia Gentilium longe posterior est sacra Historia, quam *Moses* describit in Pentateuco, quando quidem *Moses* est primus Scriptor omnium Gentium, non solum Periarum, & Græcorum, sed etiam Ægyptiorum, Chaldaeorum, & Affyriorum, ac subinde multo antiquior est Philosophis, Historicis, Oratoribus, & Poetis, qui apud Gentiles claruerunt, quique ex libris *Mosye* bene multa hauserunt, siisque libris inferuerunt. Denique, Historia, quam *Moses* describit in Pentateuco, revelationem mundo coævam habet, & res mirabiles narrat, videlicet de summo omnium conditore Deo, de Religione, seu de cultu, Deo debito, de origine, natura, & conditione primi hominis innocentis, de illius statu post peccatum, de ejus misericordia, de adventu Liberotoris, seu Messiae. Nihil aliud spirat hæc Historia, quam sanctitatem, iustitiam, pietatem, uno verbo, exprimit quidquid purioris, & sublimioris virtutis nomine continetur. Contra vero, Gentilium Historia nihil omnia habet, quibus vera, antiqua, & sancta internoscitur Religio, sed potius, tota quanta est, scatet erroribus, innume-

ris antilogiis, neniis, anilibus fabulis, vitiis, turpisstimumque Deorum moribus, & obscenis amoribus fœdatur, quibus ad flagitiosam vitam, & ad effrenati libidini indulgendum excitantur mortales. Nec tantum Historia Gentilium narrat, sed & laudat spuriissimos amores Deorum, quos inter, ut memini, me aliis in Colloquiis obseruasse, *Bacchus* temulentus fuit, *Mars* homicida, qui etiam cum *Venere* adulterium commisit, *Mercurius* fur ac nebulo, qui nihil aliud ad famam sui reliquit, nisi memoriam fraudum suarum. Quid omnium horum pater *Jupiter*, qui, ne parum videretur, si in expugnanda fœminarum pudicitia maculatus esset, etiam sexui suo injuriam fecit? Prætero, ut castis tuis auribus parcam, obscenitates *Veneris*, omnium libidinibus prostituta, non Deorum tantum, sed & hominum; quibus tamen horrendis vitiis, & flagitiosis Deorum amoribus non puduit Poetas variis figuris & coloribus venustatem, & leporem carminibus suis addere. Apage ergo hanc Deorum Historiæ fabulosam antiquitatem. Quod spestat vero Deorum Oracula, quæ Ethnici plenis buccis in suis historiis jactare solent; dico, ea ficta, ambigua, & falsa omnino fuisse, tum quia eiusmodi Oracula collimabant ad lucrum, cui inhabant callidissimi Sacerdotes, qui hac arte ambigua fundendi Oracula insigniter locupletati, delusi populi ora obliniebant, atque marsupia, mille fraudulentis adhibitis artibus, emungebant. Tum quia etiam, illa oracula tendebant ad bella & negotia sacrularia felicis administranda, ut nimis tumultuantes populos a gerendis bellis avocarent, vel specioso divinae promissionis obtentu, ad bella redderent alacrios, sed præcipue ea Deorum Oracula tendebant ad nefariam populorum animis superstitionem instillandam, ac magis magisque fovendam, & ad alios pessimos fines, quos sibi præstribuerant celestissimi superstitione gentilitatis Sacerdotes, qui populo plus æquo credulo sicum faciebant. Hinc *Lactantius* lib. 2. *Divin. Institut.* cap. 17. eleganter probat, hac Deorum Oracula nihil aliud fuisse, quam illusiones & fallacias Dæmonum. Hinc *Cicero*, *Ethnicorum* licet Religioni additus, lib. 2. *de Divinatione*, hæc, quæ sua ætate circumferabantur, Oracula deridet, partim ut falso conficta, partim ut casu vera, partim ut ambigua responsa Sacerdotum, incautam & simplicem plebem decipientium. Hinc *Lucianus*, tametsi Religionis Christianæ insensissimus hostis, qui sub Imperio *Hadriani*, hoc est, secundo Ecclesiæ saeculo, vixit, Deorum prædictiones & oracula falso ridet, infestatur, & ludibrius habet, ut videre est in ejus Dialogis: *De Deorum Concilio: De Jove Tragado: De Jove confutato*, ut jam de ejusdem Scriptoris aliis Deorum Dialogis nihil in præsentia dicam. Quæcum ita sint, facile nunc dijudicare potes, quantum falsa illa Deorum oracula distent a veris vaticiniis, quæ de Messia, seu de Jesu Christo venturo, *Moses* in Pentateuco fudit, quæque publicis monumentis, tot seculis ante eventum oculis omnium exposita sunt, ut suo tempore implet-

implenda , sicut revera in Jesu Christo , vero Messia , fuisse omni ex parte impleta tam clare nunc cernimus , quam radii solares in meridie cernuntur . Rejectis itaque falsis oraculis , & fabulosa Deorum Historia , constanter profiteri debemus , Historiam , quam Moyses descripsit in Pentatecho , esse antiquissimam , ac divina pollere auctoritate : Cui etenim ( sicut apposite ait S. Augustinus lib. 18. De Civitate Dei cap. 40. ) melius narranti preterita credamus , quam qui futura predixit , qua presentia jam videmus , nam & ipsa Historicorum inter se dissonantia copiam nobis praebet , ut ei potius credere debeamus , qui divine , quam tenemus , non repugnat veritati .

D. Moysen esse primum omnium Gentium Scriptorem , & ex ejus libris Gentiles Philosophos , Historicos , Oratores , & Poetas multa deflorasse , excerpisse , suisque Operibus inseruisse , mox insinuasti . Sed quia inde , ut mihi videtur , maxime adstruit Pentateuchi Moysis antiquitas , rogo te , ut quod obiter de Moysi , primo omnium Gentium Scriptore , dixisti , nunc plenus confimes , & in clariori luce reponas .

M. Moysen esse primum omnium Gentium Scriptorem , ac subinde antiquiorem prophanicis Scriptoribus , Philosophis , Historicis , Oratoribus , Poetis , & Legam Latoribus , hoc argumento evinci potest : certissime constat , omnes Gentium Scriptores Troja excidio recentiores esse , & omnes Gentiles Philosophos , Historicos , Oratores , Poetas , & Legum Latores posteriores esse Cyro , Persarum Rege , quo regnante , Solon , Atheniensis , & septem Graci Sapientes floruerunt . Atqui Moysen temporibus Cyri , Persarum Regis , multo antiquior est , immo multis saeculis ante Troja excidium vixit , ac scripsit Moysi , negari igitur non potest , Moysen , esse primum omnium Gentium Scriptorem , multoque antiquiorem prophanicis Philosophis , Historicis , Oratoribus , Poetis , & Legum Latoribus . Eo argumento antiquitatem Moysis supra omnes Scriptores prophanicos demonstrant sancti Patres , & Scriptores Ecclesiastici , nimurum S. Justinus , Martyr , in Paracletis , & in secunda Apologia , Tertullianus cap. 19. Apologetici , Tatianus Oratione adversus Gentes , ab Eusebio laudatus lib. 10. Preparationis Evangelicae cap. 11. Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum . Julius Africanus lib. 3. Chronographiae , Laetantius lib. 4. Divin. Institutionum cap. 5. Eusebius , Episcopus Cælarensis lib. 10. Preparationis Evangelicae cap. 9. & 14. & S. Augustinus lib. 18. De Civitate Dei , cap. 37. Adverte tamen debes , Julianum Africanum , Tatianum , Clementem Aixandrinum , aliosque Auctores , Eusebio antiquiores , affirmare , Moysen fuisse coævum Inacho , Regi Argivorum ; Eusebium vero , Episcopum Cælareensem , differre atatem Moysis ad tempora Cecropis , Atheniensium Regis , qui Rege Inacho trecentis annis recentior fuit . Verum , etiam si standum esset , circa atatem Moysis , calculo Eusebii , semper tamen verum esset , Moysen omnium Gentium Scriptores antiquitate superare , quia nullus vel Gracorum , vel externalium Gentium Scriptor proferri potest , qui sit Rege Ce-

crope antiquior . Sed ipse sententiam Juli Africani , Tatiani , Clementis Alexandrini , aliorumque Scriptorum Eusebio antiquorum , suffragis munitam , quæ Moysen , temporibus Inachi , Regis Argivorum , floruisse asserit , probabiliorem esse cum Georgio Syncello in sua Chronographia pag. 67. & 68. exiffimo . Quod si ita se habeat , plane consequitur , nullum , non tantum apud Gracos , sed etiam apud Ægyptios , aliasque Barbaras Gentes , exitisse Scriptorem ante Moysen . Ægyptii siquidem ( sicut observat S. Augustinus libro xviii . De Civitate Del cap. xxxvii . ) gloriabantur , se ab Iside literas ad scribendum acceperisse , cum ante Isidem literas nullas haberent , nisi Hieroglyphicas . Isis autem fuit filia Inachi , Regis Argivorum , ab Ægyptiis post obitum in Deam consecrata . Moysen autem sub Rege Inacho floruisse , & Israelitas ex Ægypto eduxisse , non solum tradunt Scriptores Ecclesiastici , mox a me laudati , sed etiam infensus Christianae Religionis hostis Porphyrius , illoque longe antiquiores Scriptores prophani , Hellanicus , & Philocorus , qui res Atticas , Castor & Thallus , qui res Syriacas litteris mandarunt . Moysen itaque primum omnium Gentium Scriptorem esse , extra omnem dubitationis aleam apud omnes esse debet , nec minus certum est , antiquos Philosophos , Poetas , Historicos prophanicarum Gentium legisse libros Moysis , & ex iis multa deflorasse ; quæ etiamnum in eorum libris leguntur , sicut lato , eleganti , & eruditio calamo probat illusterrimus Daniel Huetius in sua Demonstratione Evangelica Propositione iv . unde pauca hic delibabo . Et primo quidem , antiquos prophanicarum Gentium Philosophos legisse libros Moysis , multaque ex illis excerpisse , & in suam doctrinam derivasse assertunt Clemens Alexandrinus , lib. 5. Stromatum , & Eusebius lib. 8. Preparationis Evangelice , præsertim de Platone , qui ideo Moyses Atticus fuit appellatus . Philosophum etiam Pythagoram multa ex libris Moysis füssuratum esse testatur Hermippus , Pythagoræus , quod etiam de Aristotele assertit Clearchus , Peripateticus . Unde S. Cyrillus , Alexandrinus , Platonem , & Aristotelem fures appellant , quod multa e Pentatecho Moysis depropulerint , & in suis libros convasarint . Tradunt insuper Aristæas in libro de LXX . Interpretibus , & Josephus , Hebreus , lib. 12. Antiq. Iud. cap. 2. Theopompum mente fuisse privatum , & Theodectem oculorum usu divinitus esse orbatum , quod nonnulla e sacris Voluminibus deflorata Scriptionibus suis attexere ausi fuissent , sed agnito demum & correcto errore , fuisse utrumque sanitati restitutum . Secundo , libros , a Moysi conscriptos , lectos fuisse a Philosophis , Poetis , aliquique Ethnicis Scriptoribus , ex eo maxime patet , quod isti Scriptores sacras Historias , in Pentatecho Moysi descriptas variis modis in suis libris interpolarent . Hujus plagii & interpolationis pauca ex multis hic subjiciam exempla . Quæ de rerum creatione scribit Moysi , ea Carmine Orphicorum Auctor Hesiodus in sua Theogonia , Ovidius lib. 1. Metamorphoseon , Virgilius Egloga 6. & lib. 6. Æneidos ex-

primunt. Paradisum terrestrem *Plato* describit in *Jovis horto*, sicut observarunt *Origenes* lib. 4. contra *Celsum*, & *Eusebius* lib. 11. *Preparationis Evangelice* cap. 13. Serpentis tentatoris, lapsusque *Adami* & *Eve* Historiam *Plato* interpolavit, sicut probat idem *Euseb.* cap. 14. Diluvii, & Arcæ Noeticae Historiam interpolauit *Berosus*, *Abydenus*, *Alexander Polystor*, *Lucianus* in Dialogo *De Dea Syria*, *Hieronymus Aegyptius Molo*, & *Nicolaus Damascenus*, sicut referunt *Josephus*, *Hebraeus*, lib. 1. contra *Apionem*, & lib. 1. *Antiquit. Jud.* 5. *Eusebius* lib. 9. *Preparation. Evang.* c. 12. & *S. Cyrilus* lib. 1. contra *Julianum*. Turris Babel, & confusione linguarum meminuit *Abydenus*, rerum Assyriarum Scriptor, uti refert *Eusebius* lib. 9. *Preparation. Evangel.* cap. 4. Aloidalium fabulam ex Historia Turris Babel derivatam docet *Origenes* lib. 4. contra *Celsum*. Incendii Sodomorum mentionem faciunt *Diodorus Siculus* lib. 19. *Strabo* lib. 16. *Tacitus* lib. 5. Hist. *Solinus*, juxta *Satmasi* Editionem, cap. 36. *Abrahami* Historiam, quam *Moses* fuse describit in libro *Genes*, legerunt *Berosus*, *Hecataeus*, & *Nicolaus Damascenus*, teste *Josepho* lib. 1. *Antiq. Jud.* cap. 8. ubi *Berosi*, & *Nicolaï Damasceni* verba refert. *Hecataeum* vero justum de *Abrahamo* volumen scripsisse tradit. Eiusdem Patriarchæ *Abrahami* meminere *Eusebius*, *Artapanus*, & *Molo*, quorum testimonia, ab *Alexandro Polystore* relata, leguntur apud *Eusebium* lib. 9. *Preparationis Evangelice* capitibus 17. 18. & 19. Patriarchæ *Jacobi* meminerunt *Theodotus* lib. *de Judæis*; & *Alexander Polystor*, mentionem quoque fecerunt Patriarchæ *Josephi*, ut vide est apud *Eusebium* lib. 9. *Preparation. Evang.* capitibus 17. & 23. ubi eorum testimonia refert. Historiam *Mosis*, & exitus Israelitarum ex *Aegypto* interpolarunt, variisque figmentis infuscarunt *Manetho*, *Cheremonus*, *Lysimachus*, & *Apion* Grammaticus *Alexandrinus*, quos eruditæ refellit *Josephus*, *Hebraeus*, libris, quos edidit contra *Apionem*, sicut jam observavimus sub finem primi nostri Colloquii in Historiam hujuscce tertiae Mundii *Ætatis*. Denique, ex *Mosaicis Libris Theologiam*, & complures variarum Gentium Leges ac Ritus manasse, præter *Vossium* & *Bochartum*, eruditis ac verisimilibus conjecturis evincit *Illiustrissimus Daniel Huetius* in sæpe laudata sua Demonstratione *Evangelica*, ubi *Phœnicum Theologiam* ex *Mosis* libris profluxisse probat *Proposit. 4. cap. 3.* Idem de *Ægyptiorum Theologia* demonstrat clarissimum ille *Auctor* cap. 4. Græcos *Mosaicam Doctrinam infinitis fabulis obduxisse probat Doctissimum illæ Præfus capite octavo*. *Omnem Romanorum Theologiam* ex libris *Mosis*, velut e fonte, haustam fuisse ostendit cap. 9. Si plura hac de re scire aveas, *Legeis Demonstrationem Evangelicam doctissimi Præfus Danielis Huetii*, qui hoc argumentum ceteris umerius, felicius, & elegantius tractavit, ornavit, exhaustus, a capite tertio *Propositionis quartæ usque ad caput undecimum*. Ipse vero, qui brevitatè consulo, hujus argumenti de lecta & interpolata ab Scriptoribus prophanicis sacra *Mosis Historia*, fidem facere volui aliquot dumtaxat adductis exemplis

ex hac reconditionis eruditionis sylva selec-tis.

D. Antiquos superstitiones Gentilitatis Philosophos legisse libros *Mosis*, & ex illis multa excerpisse, atque in suam doctrinam derivasse non ita facile mihi persuadere possum. Primo, quia antiqui Ethnici Philosophi Linguam Hebraicam non callebant. Quomodo igitur fieri potuit, ut lectitari libros *Mosis* hebreice exaratos? Præterea, Judæi abhorrebat omnino a commercio, & societate Gentilium, eos pro immundis habebant, adeo ut ex eorum contacta putarent, se immunditiem contrahere, & hinc est, quod *S. Petrus* cap. 10. *Act. Apostolorum* v. 28. ait: *Vos scitis, quomodo abominatum sit viro Judeo conjungi, aut accedere ad alienigenam*. Cum igitur Judæi nihil negotii, commercii, & societatis haberent cum Gentilibus, eorumque confortia fugerent, verosimile non videatur, illos Legem *Mosaicam*, qua, secundum Deum, nihil pius, sanctius, & augustius habebant, voluisse exteris, seu viris a Religione Judæica extorribus, communicare, eisque liberam permettere potestatem legendi libros *Mosis*, & his multis delibandi.

M. Antiquos Philosophos, aliosque Scriptores Ethnicos, quamvis a Judaica Natione essent Religione, patria, moribus, ac Legibus omnino sejuncti, notitiam librorum *Mosis* habere potuisse, multis momentis ostendi potest. Primo, quia Scriptura Sacra testatur, Iudeos, eum Palæstinam armis subegerunt, ex Ethnici plerisque servasse in columnis, velut *Gabaonitas*, *Jebusæos*, aliosque, cum quibus Judæi promiscue commixti didicerunt opera eorum. In hoc igitur communis victus, & continua societate, quam Judæi habebant cum Ethnici, potuerunt cum illis libros *Mosis* communicare. Nec solum ex ea societate *Judaorum* cum Ethnici, post devictam Palæstinam, sed etiam ex frequenti accessu quamplurium Proselytorum, qui ex omnibus Mundi Regionibus ad *Judaorum Religionem*, Ritusque confluabant, vero quam simillimum esse probatur, libros *Mosis* ad exterarum Gentium notitiam pervenisse. Præterea, Judæi non sic intra angustos Palæstina fines continebantur, ut cum exteris nullum commercium haberent. Immo potius, frequens illis cum *Phœnicibus*, propter loci vicinitatem, intercedebat commercium. Reges etiam *Juda*, videlicet *David*, ejusque filius *Salomon* commercium habuerunt cum *Hiramo*, Rege *Tyri*, cum *Regina Saba*, cum *Regibus Hethæorum*, & *Syriæ*, & cum *Ægyptiorum* Rege, cuius filiam duxit uxorem *Rex Salomon*, aliasque ex Gentibus filias sibi matrimonio copulavit, scilicet *Sidonias*, *Moabitas*, *Ammonitidas*, *Idumæas*, & *Hethæas*, quæ sensim fine sensu cor illius depravarunt, eumque ad cultum *Idolorum* impulerunt. Potuerunt itaque Ethnici beneficio frequentis illius commercii, quod habuerunt cum Judæis, notitiam sibi comparare librorum *Mosis*, eosque legendi facultatem. Tertio, post *Alexandri Magni Expeditionem* in *Asiam*, jam tum frequens *Judeos* inter, & Græcos vigebat commercium, quia rum

tum temporis Judæi Imperio Græcorum subditi erant. Post etiam *Alexandri Magni* obitum, *Ptolemaeus Lægi*, Ægyptiorum Rex, invasit Hierosolymam, magnum Judaorum numerum abduxit in Ægyptum, eosque jure Alexandrinæ Civitatis donavit. Græci igitur Ethnici cum Judæis simul habitantes facile *Moysis*, ejusque librorum notitiam assequi potuerunt. Addo etiam, fieri haud potuisse, quin libri *Moysis*, quorum exemplar singuli Judæi penes se habere tenebantur, in Ethnicorum poteſtatem, & cognitionem venirent, quando omnes ad unum Judæi a *Nabuchodonosore*, Assyriorum Rege, in captivitatem Babyloniam abducti sunt. Sed dicas: *Ethnici Philosophi Græce tantum Lingue periti erant, quo pacto igitur libros Moysis, hebraice conscriptos legere posuerunt?* At, numquid, amabo, Poetae, & Philosophi Ethnici, qui excellenti ingenio prædicti erant, potuerunt intra brevissimum tempus sufficientem Linguae Hebraicæ confequi notitiam, ut libros *Moysis* intellegent, & secundum verborum saltem sensum intelligenter? Præterquam quod, non desunt vii eruditii (quos inter, religione, meritis, doctrina, virtute, ac dignitate, eminent illustrissimus *Daniel Huetius* in sua *Demonstratione Evangelica*, *Propositione 4. cap. 12.*) qui censem, ante Expeditionem *Alexandri Magni* in Asiam extitisse librorum *Moysis* Versionem Græcam, vetusiorum Versione illa Græca, quæ postea, regnante in Ægypto *Ptolemeo Philadelpho*, a lxx. Interpretibus adornata est. Huic sententiæ adstipulantur *Clemens Alexandrinus*, lib. 5. *Stromatum*, & *Eusebius*, lib. 13. *Preparationis Evangelice* cap. 12. Libros etiam *Moysis* ante *Ptolemaeum Philadelphum*, Ægyptiorum Regem, jam Lingua Græca fuisse donatos, afferunt *Aristeius* ab *Eusebio* laudatus lib. 8. *Preparationis Evangelice*, c. 5. & *Demetrius Phalereus* in *Epistola*, quam scripsit ad mox citatum *Ptolemaeum Philadelphum*, Ægyptiorum Regem, quamque referunt *Josephus* lib. 12. *Antiq. Jud. cap. 2.* & *Eusebius* lib. 8. *Preparationis Evangelice* cap. 3. Hac autem semel admissa sententia de Græca librorum *Moysis* Versione, quæ sit veterior Versione Græca lxx. Interpretum, facile percipitur, antiquos Græcos Philosophos, Poetas, & Historicos, ope illius vetusioris Versionis Græcæ, libros *Moysis* lectitare, & plura ex his haurire potuisse, etiam Lingua Græcæ effent dumtaxat periti, & in summa Lingua Hebraicæ ignoratione versarentur.

D. Moylem esse primum omnium Gentium Scriptorem, eumque veteres Ethnici Philosophos, Poetas, Oratores, & Historicos antiquitate superare, jam probe intelligo. At, cum Athei, aliqui viri increduli, non tantum negent antiquitatem librorum *Moysis*, verum etiam mordicus pertendant, eos divina non pollere auctoritate, obsecro te atque obtestor, ut præcipua argumenta, quibus viri eruditii revelationem, inspirationem, & divinam librorum *Moysis* auctoritatem contra Atheos, aliosque incredulos probare solent, hic in medium proferre non graveris.

M. Multa suppetunt, eaque firmissima, argumenta, quæ libris *Moysis* divinam afferunt ac

vindicant auctoritatem. Primum argumentum petitur ex innumeris miraculis, & stupendis prodigiis, quæ a *Moyle*, Dei auctoritate munito, edita fuisse, jam observavimus; cujusmodi sunt repentina mors omnium Primogenitorum in Ægypto tam pecudum, quam hominum (exceptis Israelitis,) Converla aquæ fluminum in languinem; tenebrae densissimæ omnibus Ægyptiis offusa: Mare Rubrum virga *Moysis* divisum; Israelitarum per medium ejus fiscis vestigis trajectio; Pharao, Ægyptiorum Regis, exercitus submersio, columnæ nubis & ignis, quæ Israelitarum viæ duxerat, & alia quam plurima prodigia, quæ in mirabili Israelitarum ex Ægypto liberatione patravit *Moyses*, non clanculum, sicut factitare solent impostores, sed in propatulo, videntibus Ægyptiis, & coram oculatis testibus sexcentis & amplius Israelitarum millibus. Horum miraculorum veritatem probat non solum perpetuus consensus Judæorum, qui illa religiose fulceperunt, & ad eorum memoriam posterorum animis altius infigidam instituerunt Sacra menta, Sacrificia, Cæremoniae, Solemnitates, & alia id genus monumenta, quæ etiamnum sedulo retinent & observant; verum etiam, eamdem miraculorum *Moysis* veritatem confirmant *Moysis* vita integratas, candor, modestia, flyli, orationisque simplicitas ex quibus præclaris istius Judæorum Legislatoris dotibus, facile intelligitur, eum non ita fuisse comparatum, ut falsa ac fictitia vellet vendicare miracula. Alioqui fuisse *Moyses* post homines natos imprudentissimus, si, jaciendo Reipublica Judaicæ fundamenta, periuadere voluisse, Israelitas e captivitate Ægyptiaca liberatos esse stupendis prodigiis, quorum falsitatis tam Israelitæ sibi consciæ fuisseint, quam Ægyptii, apud quos *Moyses* prædicta prodigia edita esse narrat. Nihil etiam gloria & auctoritatis ex fictione & falsitate illorum miraculorum sibi conciliare poterat *Moyses*, sed portius odium, invidiam, contemptum, & indignationem Ægyptiorum sibi conflasset, omnem fidem sibi apud Israelitas abrogasset, nullumque Judaicæ Reipublicæ, quam fundabat, incrementum, sed ultimam cladem ac ruinam attulisset. Alterum argumentum de divina auctoritate librorum *Moysis* desumitur ex historia & doctrina, quam complectuntur, & ex sanctissimis Legibus ac Præceptis, quæ in illis continentur. Historiam nobis exhibent libri *Moysis* ex divina revelatione profectam, humano generi coævam, ab ipso Mundi exordio congruis instrumentis dispensatam, & ad nos usque mirabiliter Dei providentia tot inter ac tantas rerum perturbationes & vicissitudines temporum integrum ac illibatam jugiter conservatam, iu qua verba non ornant res, sed ipsa rerum magnitudo mentem *Moysis* & verba supra humanum modum rapit, ita ut eloquii simplicitas respondeat Scriptori *Moysi*, qui cum nec astutus esset, nec ullius necrendæ ac concinnandæ fraudis capax, Historiam non stylo exquisito & affectato, non in verborum delectu, & in apta rerum collatione posito, sed simplici, & ad rudium capitum accommodato, scripsit, reram tamen, qua-

refert Moyses, magnitudo tribui debeat Deo, qui per Moysem loquebatur, qui ejus menti impressit illustrationem & cognitionem rerum, quas literis mandare debebat, ejus voluntatem movit inspirando, excitando, & speciali afflato impellendo, ut fideliter & constanter eas literis confignaret, ejus manu singulari assistentia adfuit, ne rem pro re conscriberet, denique sic illum direxit, ut nullum vel minimum errorem, sive qui mentiendo profertur, sive qui memoriae lapsu, vel alio quovis humano defectu inter scribendum obrepere potest, iis, quae divinitus ei revelata aut inspirata erant, immisceret. Doctrina etiam, quam exhibent libri Moysis, est omni humana inventione sublimior, & purioribus natura ac rationis circa Religionem principiis maxime consentanea, utpote quae Dei in creatione Mundi omnipotentiam magnificat, simulque declarat ejus erga homines, quos condidit affectionem, & ineffabilia summae ipsius charitatis viscera, Aeterna indicat bona, quae Deus coletibus se preparavit, & quo pacto Deus a nobis in charitate, in sanctitate, in justitia, & in omni bonitate sit colendus. Sanctissima itidem Leges, & optima Praecepta recte vivendi, ad Deum tendendi, eique adhærendi in libris Mosaicis traduntur, & in his docentur omnes virtutes, quae veræ ac perfectæ esse haud possunt, ubi non est vera Religio. Et sane, si Lex Mosaicæ cum Gentium prophanarum Legibus, si mores & Instituta Iudeorum olim secundum illa viventium, cum Ethnorum moribus componantur, manifesto patebit, Legem Mosaicam esse divinam. Nam, præterquam quod Ethnici, per inextricabiles Idololatriæ tenebras oberrantes, & in fentina omnium virtutum immersi, plures Deos admitterent, bestiis, rebusque vitae expertibus cultum deferrent, ac pro Diis colerent, eorum insuper Sacra, sicut ipsemet fatetur Porphyrius, Scriptor Ethnicus, in libro quem edidit: *De abstinentia ab esu animalium*, plena erant crudelitate, Deos suos humano sanguine ubique ferme placabant (quem barbarum morem nec Graecorum, nec Romanorum mores susulerunt.) Nihil spirabant Gentiles nisi ultionem, vindictam, arma, bella, strages, incendia. Nullam apud illos latrocinia infamiam habebant, Gladiatorum mutuae dilaniations licita & honoris loco ducebantur, erantque publica populorum oblectamenta: exponere liberos suos, eosque Dæmonis immolare, mactare, sacrificare quotidianum: concubitus marium cum maribus exemplis Deorum suorum impune ac palam defendebant. Prætermitto turpissimos mores, quibus, ut videre est apud Eusebium lib. 6. *Preparation. Evangelice* cap. 10. Persæ, Bætri, Parthi, Armeni nuptiarum honestatem, & jura contaminarunt, atque infandam libidinem approbarunt. Porro, haec crimina, hos nefandos variarum prophanarum Gentium mores damnat Lex Mosaicæ, eaque ad bene sancteque vivendum præcepta præscribit, ut multi Scriptores Ethnici Iudeos, in hac Lege institutos, ob morum inægreditatem, encomiis celebrarint, sicut probant Josephus, Hebreus, in libris contra Apionem.

& Eusebius lib. 10. *Preparation. Evangelice*. Tertium argumentum, quo probatur, libros Moysis divinam habere auctoritatem, petitur ex his vaticiniis, quæ de venturo Messia aut ab aliis fusa, aut a se prolata refert Moyses in suo Pentateucho, quæque in Jesu Christo, vero Messia, post multorum saeculorum myriades, adimplata fuisse superius ostendimus, Prædictio autem futuri evidens est divinæ auctoritatis argumentum: *Idoneum opinor testimonium divinitatis veritas divinationis*, inquit Tertullianus cap. 20. *Apologetici*. Quartum de divina librorum Moysis auctoritate argumentum suppeditant Jesus Christus, & ejus Apostoli, qui Moysis Scripta laudarunt ad doctrinæ, quam hominibus prædicarunt, confirmationem: *Amen amen dico vobis*, ( inquit Christus cap. 5. Matthæi ) donec transeat cælum & terra, iota unum, aut unus apex non preteribit a Legi, donec omnia fiant, &c. quibus verbis Christus Dominus Legem Moysis, id est, totum Moysis Pentateuchum; etiam quantum ad minima, quæ in eo continentur, sacra, divina, & infallibili pollere auctoritate palam declarat. Potremo, ut mittam cætera de divina Librorum Moysis auctoritate argumenta, certum est, libros Moysis semper a Iudeis, quos olim Deus singulari protectione, innumerisque beneficiis dignatus est, & quibus etiam credit eloquia sua, pro sacrificiis ac divinis habitos fuisse, & etiamnum haberi, tametsi in libris Moysis multa de adventu Messiae extant vaticinia, quæ in Jesu Christo, vero Messia, fuisse adimplata apertissime demonstrant Christiani. Hinc S. Augustinus cap. 46. lib. 18. *De Civitate Dei*, appellat Iudeos *Capfariorum Christianorum*, qui libros nostros circumferunt, ut cum Pagani non credunt, que nos de Christo prædicta esse dicimus, mittamus eos ad inimicos fidei nostræ Iudeos, qui libros nostros circumferunt, in quibus eadem habentur, que nos prædicamus. Et Concione 1. in Psalmum 58. hæc habet idem Aquilinus Doctor: *Dispersi sunt Iudei, testes iniquitatis sue, & veritatis nostræ . . . si aliquando Paganus dubitaverit, cum ei dixerimus Prophetias de Christo*, quavum evidenter obfluxerit, & admirans putaverit a nobis esse conscriptas, de Codicibus Hebreworum probamus, quia hoc totum ante predictum est. Videte, quomodo de inimicis nostris alios confundamus inimicos. Iudeos etiam S. Thomas Lectione 2. in Cap. 9. Epist. ad Rom. vocat *capfariorum nostros, custodiientes libros, a quibus fidei nostræ testimonium pervibetur*. ( a )

( a ) De divinitate Pentateuchi quamvis nemmo dubitat Christianus, ita tamen contra Atheos, & libertinos differerem. Toto jam Mundo in diversa abeunte, & in opiniones de Deo, ejusque cultu varias, ac plane inter se oppositas distractis populis, res ipsa postulabat, ut Deus ipse signo aliquo perspicuo, de quo nemo ratione utens ambigere posset, quid de se credi, & qua deum ratione colli demonstraret. Ad Abrahamum usque & inde ad Moysen elegisse se ejusdem Patriarchæ, & ex eo Jacobi ejus filii familiam, cui depositum fidei, & cultus religiosi crederit miraculis, & in-

„ intima cum illis familiaritate sua comprobavit.  
 „ Ita quæ a fide in ea familia servata aberrabant  
 „ gentes, a recta deflexisse via satis exploratum es-  
 „ se poterat. Ita res constitit, quoadusque familia  
 „ illa inter paucos continebatur. Autem vero in  
 „ immensum ejus familiæ populo, quod in servi-  
 „ tute Ægyptiaca contigit, cum ejus pomaria plu-  
 „ rimum dilatari necessitas postularet, alio plane  
 „ consilio utendum Deo fuit; neque enim miracula  
 „ amplius adhibenda illi erant, nisi voluisset ita pro-  
 „ digia illa dilatare ut sub oculis populi late per  
 „ provincias dispersi multiplicarentur; alioquin por-  
 „ tiones illæ populi quæ a loco ubi ostenta ede-  
 „ bantur, plurimum distabant, non ita facile cre-  
 „ didissent narrantibus. Nullo vero negotio melius  
 „ res confici poterat, quam scriptione libri, in  
 „ quo duo continerentur, nempe præteriorum narratio  
 „ historica, ne eorum memoria excideret, intellige-  
 „ rentque homines Judaicum populum esse illum,  
 „ quem Deus vera religionis custodem perpetuum  
 „ elegerat; & leges, quas Deus ab ea gente ser-  
 „ vari volebat. Huic vero libro divinam auctorita-  
 „ tem conciliari oportuit; alioquin quis credidisset  
 „ homini, præfertim de rebus adeo supra fidem  
 „ testifcat? Rationi huic meæ adde firmam Judæo-  
 „ rum omnium retro sæculorum persuasionem,  
 „ quæ divina inspiratione scriptum Pentateuchum  
 „ tenet; atque tunc demum intelliges nihil esse cur  
 „ de re hac, de qua agimus, dubitari merito pos-  
 „ sit.

D. Legem Mosaicam veros divinæ auctoritatis characteres habere, solide quidem probasti, optarem tamen, ut modo explicares quædam Apostoli Pauli testimonia, quibus, ut nuperime audivi, abutuntur nonnulli, ut Legis Mosaicæ element auctoritatem, doceantque, illam suis umbris, figuris, ac terroribus hypocritas, & vilia dumtaxat mancipia fecisse, atque cupiditates irritasse potius, quam coercuisse. At enim Apostolus Epist. ad Galatas cap. 4. v. 9. cærenomias Veteris Legis esse *infirma* & *egena elementa*. Epist. ad Romanos capit. 4. v. 15. *Lex enim iram operatur*. Epist. 2. ad Corinth. cap. 3. v. 6. idem Apostolus de Lege Mosaica, ait: *Litera occidit, Spiritus autem vivificat*. Et verū sequenti appellat Legem Mosaicam, *administrationem mortis*. Denique, Epist. ad Hebreos cap. 7. v. 18. hæc scribit: *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati propter infirmitatem ejus, & iniustitiam: nihil enim ad perfectum adduxit Lex*. Explica igitur, si placet, hæc Apostoli Pauli testimonia, quæ prima fronte, ut libere dicam, auctoritati & utilitati Legis Mosaicæ haud parum derogare videantur.

M. Ad germanam exponendam Apostoli Pauli mentem, variae possunt testimoniorum, quæ laudasti, asserri interpretationes. In primis, Apostolus non ait, Legem Mosaicam esse per se *administrationem mortis*, seu per se impellere ad peccatum, & irritare cupiditates, sed tantum ex occasione. Lex enim Mosaica ad peccatum per se non impellebat, sed ex occasione dumtaxat, quia cupiditas, occasione accepta ex Lege indicante

malitiam peccati, magis excitabatur & irritabatur. Loquitur enim his in locis Apostolus *Pax* lus non de omnibus indiscriminatim Judæis, sed tantum de illis, qui carnales erant, quique dum metu pure servili servabant externa Legis præscripta, se pro justis arroganti supercilie vendibant, cum revera non servarent Legem, interius madentes vitiis, & id, quod totius Legis caput erat, negligentes. Hanc esse genuinam Apostoli Pauli mentem patet ex ipsius Epistola ad Romanos cap. 7. ubi hæc habebat. *Nam peccatum, occasione accepta per Mandatum, seu per Legem, seduxit me, & per illud occidit. Itaque Lex quidem sancta, & Mandatum sanctum, iustum, & bonum*. Non damnat itaque Apostolus Legem Mosaicam, quam potius fatetur esse bonam, justam, & sanctam, sed perstringit vitium quorundam carnalium Judæorum, qui, occasione accepta cognitionis peccati per Legem, excitabantur, stimulante cupiditate, ad peccandum, vel qui perfectioni Legis non respondebant, vel qui Lege abutebantur contra scopum & finem Legis, vel qui non distinguébant id, quod temporaneum esse debebat in Legi, ab eo, quod in ea debuit esse perpetuum. Præterea, Apostolus Paulus in his, quæ citasti, locis, vult solum ostendere, Legem Mosaicam non habuisse ex se vim conferendi veram iustitiam, seu dandi gratiam sanctificantem. Hinc Epist. ad Galatas cap. 3. v. 11. ait: *Quoniam ex Lege nemo justificatur apud Deum, manifestum est, quia iustus ex fide vivit, Lex autem non est ex fide*. Rursus ibidem v. 21. inquit: *Si enim data esset Lex, quæ posset vivificare, vere ex Lege esset iustitia, sed concludit Scriptura omnia sub peccato ut promissio ex fide Jesu Christi daretur creditibus*. Et ad Romanos cap. 5. dicit: *Quia ex operibus Legis non justificabitur omnis caro coram Deo, per Legem enim cognitio peccati*. Id igitur discribens est, juxta Apostolum Paulum inter Legem Veterem, seu Mosaicam, & Legem novam, seu Evangelicam, quod Lex Vetus præcipiebat tantum, non promittebat, nec vi sua gratiam dabat, ut impletur amore, quia per eam non dabatur Spiritus Sanctus, qui est principium amoris. Lex etiam Vetus jubebat, non ex se juvabat, peccatum puniebat, non ex se tollebat; exigebat, non dabat; onerabat, non roborabat; erat Lex timoris, non amoris, multaque, propter Hebreorum cordis duritatem tolerabat, quæ erant imperfecta, sicut libellum repudii, polygamiam, pœnam talionis, &c. Ast, Lex Nova, seu Evangelica, & præcipit, & promittit, & jubet, & roborat; exigit, & adjuvat, dat quod existit, seu spiritum non servitutis in timore, sed adoptionis filiorum Dei, ut ait Apostolus Epist. ad Romanos cap. 8. inde que Lex Nova appellatur Lex amoris: *Hæc est* ( inquit S. Augustinus cap. 17. libri contra Adimantum ) *brevissima & apertissima differentia duorum Testamentorum, timor, & amor; illud ad hominem veterem, hoc*

hoc ad novum hominem pertinet. Explanata sat superque Apostoli Pauli mente, nunc duos e diametro oppositos, circa Legem Mosaicam erroris, oculis tuis subjiciam, a quibus perinde carvere debes. Primus error est *Pelagii*, ejusque Discipulorum, qui, Legem Mosaicam nimium extollentes, asserebant, justos, qui vixerint ante Legem Evangelicam, justitiam, seu morum sanctitatem, & salutem aeternam suisse consecutos non per fidem in Christum venturum, sed vi Legis Mosaicæ, quæ gratiam sanctificantem eis conferebat: *Agnoscimus haeresim vestram* (sic Pelagianos alloquitur *S. Augustinus lib. 2.* Operis imperfecti contra *Julianum*: ) definivit enim *Pelagius*, quod non ex fide Christi antiqui vixerunt justi. Sed hic Pelagianorum error proscriptus est in Synodo Diopolitana, & ab Apoſtolo *Paſto c. 2. v. 16.* Epift. ad Galatas fuit præfocatus his verbis: *Scientes autem quod non iustificatur homo ex operibus Legis, niſi per fidem Iesu Christi: Et nos in Christo Iesu credimus, ut iustificemus ex fide Christi, & non ex operibus Legis;* propter quod ex operibus Legis non iustificabitur omnis caro. Et v. 21. ejusdem capituli: ait: *Non abſicio gratiam Dei. Si enim per Legem iuſtitia, ergo gratis Christus mortuus est.* Alter error, circa Legem Mosaicam, eorum est, qui docent, Legem Mosaicam ad irritandas magis cupiditates, quam ad illas coercendas idoneam suisse: Deum illos omnes, qui sub Lege Mosaicæ vixerunt, reliquise in impotencia observandi Legem. Denique, *Moysem*, Prophetas, Sacerdotes, & Doctores Legis Mosaicæ nullum Deo deditum filium, sed solum effecſe mancipia per timorem. Hujus erroneæ doctrinae præcipui assertores ac patroni fuerunt *Dederius Erasmus*, & *Paschasius Quesnellus*, quorum prior nonnullas protulit Propositiones, quas hic inseram cum Censura, quam sacra Facultas Parisiensis in eas tulit die 17. mensis Decembris anni MDXXVII. & que extat Tomo IX. ejusdem *Erasti* Operum postremæ Editionis Lugduni Batavorum anni MDCCVI. a pag. 815. usque ad pag. 954. Alter vero Scriptor, seu *Paschasius Quesnellus*, aliquot itidem circa Legem Mosaicam propositiones, quas hic etiam referam, docuit, que a *Clemente XI. Pontifice Maximo*, in Constitutione, que incipit, *Unigenitus Dei Filius*, quaque data est die 8. mensis Septembr. anni MDCCXIII. proscriptæ sunt. Ordinar autem a Propositionibus *Erasti*, quarum prior hæc est:

*Cum Lex terrorem incueret potius quam amorem, quid ſupererat, niſi poſtequam per Legem didicerunt homines ſe peccatis obnoxios, nec potuisse ab his temperare; ſimulque ſcirent Dei severi Vindicis, iudicium neminem posſe effugere, niſi ut trepidarent, horrent, ac desperarent. Quis autem amare potest, quem horret? Hæc propositio, que inter multas *Erasti* Propositiones a sacra facultate Parisiensi confixas est ordine 24. excerpta est e Paraphraſi *Erasti* in cap. primo, *Evangelii Sancti Marci*.*

### Censura sacre Facultatis Parisiensis.

Hæc propositio innuens, homines Veteris Legis non potuisse vitare peccata, & magis induci per Legis cognitionem ad defperationem, quam ad amorem, est injuria Legi & Legislatori Deo. Tradidit enim Dominus Legem, non per quam perirent homines, sed justificantur (ideſt, illi, qui habentē fidem in Christum venturum, Legem obſervabant) juxta illud Apoſtoli: (*Ad Rom. cap. 7.*) *Lex quidem sancta & Mandatum iustum.* Et illud Levitici: (*Levit. c. 18.*) *Gauſtodi Lege mea atque iudicia, que faciens homo, vivet in eis.* Neque enim Deus ad impossibile obligavit per Legem Mosaicam, cum non poſſit eſſe iuſtus.

Propositio secunda, que in Censura Facultatis Parisiensis est ordine 25. excerpta est ex Paraphraſi *Erasmi* in cap. 1. *Evangelii S. Marci*.

*Lex Moysis umbris, viſtimis, ac terroribus fecit Hypocritas.*

### Censura facultatis Parisiensis.

Hæc Propositio rursus Legi Mosaicæ contumeliosa est, & ipſi Deo, qui hujusmodi umbras, viſtimas, & ceremonias Legis instituit; que sua institutione ad bonum inducebant, & veritatem figurabant Novæ Legis.

Propositio tertia, que in Censura Facultatis Parisiensis est ordine 26. deprompta est ex Paraphraſi *Erasmi* in caput 6. Epift. ad Romanos.

*Lex cupiditates irritabat, potius quam coercedat.*

### Censura Facultatis Parisiensis.

Hic non convenienter uſus est Scriptor officio Paraphraſæ. Quandoquidem Lex de ſe potius coercedat cupiditates, quam irritabat. Non enim data est Lex a Deo ad incitandum homines in peccata, sed ad cohibendum: alioqui non eſſet sancta neque iusta.

His *Erasmi* Propositionibus, a sacra Facultate Parisiensi anno MDXXVII. damnatis, affines sunt aliquæ Propositiones *Quesnelli* circa Legem Mosaicam, quas una cum aliis ejusdem Scriptoris Propositionibus *Clemens XI. Summus Pontifex*, anno MDCCXIII. defixit in sua Constitutione, que incipit: *Unigenitus Dei Filius*, &c.

Propositio *Quesnelli*, que, inter centum & unam Propositiones, a *Clemente XI.* damnatas, est ordine ſexta:

*Discrimen inter fœdus Judaicum & Christianum,*

*num, est, quod in illo Deus exigit fugam peccati, & implementum Legis a peccatore, relinquendo illum in sua impotentia: in isto vero Deus peccatori dat quod iubet, illum gratia sua purificando.*

Hæc Quesnelli Propositio, quatenus afferit, homines, qui erant sub Lege Mosaica, relietos fuisse a Deo in impotentia observandi Legem, coincidit cum prima Propositione Erasmi, qui itidem docebat, homines, sub Lege Mosaica, peccatis obnoxios, non potuisse ab illis se temperare, & ideo sicut jure merito damnatus a sacra Facultate Parisiensi, quia, ut ait celeberrima illa Academia in sua Censura: *Neque enim Deus ad impossibile obligavit per Legem Mosaicam, cum non possit esse in justus.* Porro, injustus fuisse Deus, si illis imponendo obligationem adimplendi Legem Mosaicam, eos tamen reliquisset in impotentia observandi Legem, hoc est, si non eis contulisset, vel saltem, non obtulisset gratiam, qua præcepta Legis Mosaicæ ipsi redierentur possibilia. Quamvis certum sit, Deum multis carnalibus Judæis, qui gratiis illis, sibi a Deo collatis, vel oblati, quibus Legis Mosaicæ præcepta reddebantur eis possibilia, propria malitia & cupiditate resistabant, iusto iudicio denegasse ulterius auxilium, seu per se efficax, necessarium ad actualem observationem præceptorum Legis Mosaicæ, quodque Deus ex se paratus erat illis conferre, nisi illi, propria malitia & dominante cupiditate, gratis illis sibi a Deo collatis, vel oblati, quibus præcepta Legis Mosaicæ reddebantur eis possibilia, obicem & impedimentum data opera posuissent. At, in hac negatione auxiliorum per se efficacium, respectu quorundam carnalium Judaorum, non est constitendum discrimen inter fœdus Judaicum & Christianum, quemadmodum Erasmus & Quesnellus, persuadere voluerunt. Nam Deus etiam Christianis, qui sunt in statu Legis gratiae & Evangelicæ, quique gratiis illis a Deo sibi vel concessis, vel oblati, per quas præcepta Legis Evangelicæ redduntur eis possibilia propria malitia & astante cupiditate reluctantur, iusto iudicio denegat gratias per se efficaces ad actualem observationem præceptorum Legis Evangelicæ necessarias, quas tamen Deus de suo bono, ut inquit Tertullianus, paratus esset illis conferre, nisi ipismet sua malitia & effervescentis cupiditatis vitio obsisterent illis gratis, quas Deus ipsis largitur, vel offert, & per quas sunt eis possibilia præcepta Legis Evangelicæ. Et isti sunt, qui, sicut ait Scriptura Sacra, *rebelles sunt lumini*, & dicunt Deo: *Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus.* Jure itaque optimo utraque Erasmi & Quesnelli propositione damnata est, quia, ut docet Sanctus Thomas I. 2. quæst. 98. artic. 2. ad 4. Quamvis Lex Veterus non sufficeret ad salvandum homines, tamen aderat aliud auxilium a Deo hominibus simul cum Lega per quod salvari poterant, scilicet fides Mediatoris, per quam justificati sunt antiqui Patres .... Et sic Deus non deficiebat hominibus, quin daret eis salutis auxilia.

Altera Quesnelli Propositio, quæ inter certum & unam Propositiones, a Clemente XI. proscripta, est ordine sexagesima quinta.

*Moyse, Prophetæ, Sacerdotes, & Doctores Legis mortui sunt, absque eo quod ullum Deo dederint filium, cum non effecerint nisi mancipia per timorem.*

Hæc Propositio Quesnelli justa de causa Vaticano protrita fuit fulmine. Una quippe est omnium sanctorum Patrum sententia, Moysem, Prophetas, Sacerdotes, & Doctores Veteris Legis, expressam & explicitam habentes fidem in Jesum Christum, verum Messiam, ac Liberatorem a Deo promissum, pertinuisse ad Ecclesiam Christi, & jam non nomine, sed re ipsa fuisse Christianos. Ecce igitur non Deo dederant, antequam morerentur, ullum filium, & non effecerunt nisi vilia mancipia per timorem? Præterea, constat Moysem & Prophetas, qui Iesu Christi, veri Messie, prædixerunt adventum, induxisse multos Israelitas, qui jam per Legem cognoscebant se esse peccatores (*Per Legem enim, ut inquit Apostolus in Epist. ad Romanos cognitio peccati*) ut intelligerent, sibi opus esse Salvatorem, seu Iesu Christo, in eum crederent, ejus adventum ardenter votis & precibus desiderarent, atque sicut docet S. Thomas loco mox a me laudato in responione ad 2. Argumentum, recurrerent ad auxilium gratiae ejus. Quis autem dicat, ejusmodi Israelitas, sic a Moyse, & Prophetis instinctos, per fidem, quam habebant, in Christum ventrum, justitiae dono præditos, adeoque jam pertinentes ad Ecclesiam Christi, fuisse tamen vilia dumtaxat timoris mancipia; & non vere filios, Christo Salvatori nostro, per fidem & charitatem adhaerentes. Fateor quidem ultiro, Legem Mosiacam non habuisse vim justificandi, sed dico, illam eo tendisse, ut Judæi, cognoscentes per Legem se esse peccatores, suæ infirmitatis consciæ sibi diffisi, ad gratiam confugerent, opem Salvatoris, a quo solo sanari, & veniam peccatorum consequi poterant, implorarent. Non fecus ac si Medicus alicui ægrotó, qui sibi sanus videatur, præscriberet, ut quotidie mille passus ambularet, eo fine, ut statim ac virium suarum imbecillitatem cognoverit. Medico se curandum ac sanandum committat. Addo etiam, hanc Propositionem Quesnelli in eundem recidere sensum, quem habet superius inserta Erasmi Propositio, a sacra Facultate Parisiensi proscripta, hisque verbis concepta: *Lex Moysis unbris, victimis, ac terroribus fecit hypocritas.* Si plura desideres, legesis S. Thomam lectione 8. in cap. 3. Epistolæ Pauli ad Galatas, ubi explicat, quo pacto Lex Mosaicæ non oblit gratia, nec sit contra promissa Dei, sed fuerit Pædagogus noster in Christo, sicut ait Apostolus Paulus. Præcipuum dumtaxat rationem, qua nimirum Angelicus ille Doctor, hic describamus: *Lex*, sunt verba S. Thomæ, obsequitar promissis Dei in generali quantum ad duo. Primo, quia manifestat peccata, Epist. ad Rom. cap. 3. Per Legem cognitio peccati. Deinde, quia manifestat infirmitatem humana-

humanam, in quantum homo non potest vitare peccatum, nisi per gratiam, quæ per Legem non dabatur. Et sicut ista duo, scilicet cognitio morbi, & impotentia infirmi multum inducunt ad querendum Medicum: ita cognitio peccati & proprie impotentiae inducunt ad querendum Christum. Sic ergo Lex obsecuta est gratie, in quantum præbuit cognitionem peccati, & experientiam proprie impotentiae. Et ideo dicit Apostolus, SCRIPTURA, id est, Lex scripta, CONCLUSIT, id est, tenuit inclusos Judeos SUB PECCATO, id est, ostendit eis peccata, quæ faciebant, sicut ait Apost. cap. 7. Epist. ad Romanos: concupiscentiam nesciebam &c. Item Lex conclusit Judeos sub peccato, quia, veniente Lege, sumpererunt occasionem peccandi, ut ait Apostol. ad Rom. cap. II. Conclusus Deus omnia in incredulitate, &c. Et hoc ideo, ut homo quereret gratiam. Et ideo dicit Apostolus: UT PROMISSIO, id est gratia reprobata, daretur non solum Judæis, sed omnibus credentibus; quia illa gratia poterat liberare a peccatis, & hec gratia est ex fide Iesu Christi. Quid, fodes, hoc egregio S. Thomæ ratiocinio ad stabiliendum discrimen, quod intercedit Judaicum fœdus inter & Christianum, clarius ac solidius dici potest?

D. Hoc unum S. Thomæ ratiocinium, ad contentuendum discrimen, quod est fœdus Judaicum inter & Christianum, instar omnium argumentorum esse debet, planaque sufficit ad refellendos erores, quorum mox meministi, & in quibus oppugnandis insudarunt, ac multum opera superrime posuerunt aliquot Theologi. Missis igitur Erasmi, & Quæsnelli circa discrimen, quod est fœdus Judaicum inter & Christianum, erroribus; nunc sub sanè hujusmodi Colloquii, in quo generatim de Moysi, de Lege, quam dedit Hebreis, quorum subinde Legislator fuit, & de libris, quos conscripsit, sermonem habuimus, unum dumtaxat proponam Dubium, quod spectat integratem quinque librorum Moysis, videlicet Genesis, Exodi, Levitici, Numerorum, & Deuteronomii, qui Pentateueho continentur. Cum enim isti libri fuerint exarati a Moysi, qui, sicut superius ostendisti, omnes Gentium Scriptores, Philosophos, Poetas, Oratores, & Historicos, antiquitate superavit, scire vellem, an, & quomodo hi libri Moysis in tam longa seculorum serie, ac tanta vicissitudine temporum puri & integri ad nos pervenerint? vel an temporum injuria, & odio Judæorum in Christianos, fuerint data opera corrupti & interpolati, in his præsertim vaticiniis, quæ a Moysi de adventu Iesu Christi, veri Messia, sua esse, paulo ante commonstrasti?

M. Sunt, fat scio, nonnulli moderni Scriptores, qui asserunt, quemdam famosum apud Judeos Rabbinum, dictum Akibah, qui sub Hadriano, Imperatore, seu in secundo Ecclesiæ vivebat seculo, de industria ex Chronologia Patriarcharum, qui vixerunt ante & post Diluvium, expunxisse mille ac quingentos ferme annos. Qua facta annorum detractione, ajunt illi Scriptores, accedit, ut Chronologia Patriarcharum primæ & secundæ Ætatis, quæ extat nunc in Pentateueho Moysis, seu in libro Genesis, sit corrupta, &

contractior mille & quingentis annis calculo lxx. Interpretum. Verum, quia hanc modernorum Scriptorum sententiam tam in Colloquiis nostris in historiam primæ & secundæ Ætatis, quam in Dissertatione quinta Tractatus, quem edidi, De Mysteriis & annis Iesu Christi, pluribus momentis, falsi convici, supervacaneum omnino esset in ea operosis confutanda hic diutius immorari. Contra igitur alios quosdam recentiores itidem Scriptores probandum breviter suscipio, Judæos nec voluisse unquam adulterare libros Moysis, nec potuisse etiam illos corrumpere, tametsi ex malitia, vel odio in Christianos perciti, id sacrilegii, attentare voluissent. Et sane, Judæos nunquam voluisse contaminare libros Moysis patet ex duplice potissimum capite. Primo, quia eadem vaticinia, quæ de venturo Messia, cecinit Moyses; vel jam ab aliis fusa retulit in suo Pentateueho, quaque Apostoli & sancti Patres priorum Ecclesiæ saeculorum citarunt ad probandum Jesum Christum esse verum Messiam a Moysi prædictum, hæc, inquam, de venturo Messia vaticinia reperiuntur etiamnum pura, integra, & illibata in Pentateueho Moysis. Nec ea vaticinia in dubium revocant Judæi, tametsi, ne fateri cogantur, Jesum Christum, quem in Crucem egerunt, esse verum Messiam, a Deo in libris Moysis promissum, sese misere torqueant, atque in omne latus sese vertant, quo illis vaticiniis tenebras offundant, illaque sinistris, detortis, ac violentis adhibitis interpretationibus eludere possint. Si ergo dixerint aliqui, inquit S. Hieronymus Commentario in cap. 6. Ita, post adventum Domini Salvatoris, & prædicationem Apostolorum, libros Hebreos fuisse falsatos, cachinnum tenere non potero, ut Salvator, & Evangeliste, & Apostoli testimonia protulerint, ut Judei postea falsaturi erant. Præterea, Judæos major librorum Moysis tenebant Religio, quam ut illos vel ex malitia, vel ex odio Christianorum depravare voluerint. Sic enim S. Justinus, Martyr, in suo Dialogo cum Tryphonе, Judæo, de mutilatione Scripturæ Sacrae, cuius Auctores fuerant Principes Judæorum, inducit eundem Tryphonem, his verbis respondentem: Incredibilis videatur res illa, incredibilis, ipsaquam, profecto videatur, horribilis siquidem est Vituli fabricatione, quam in terra deserta facere mania expleti (Judæi) aut liberis macstatis Daemonibus, aut Prophetarum ipsorum occidente. Eandem erga omnes libros sacros religionem omnium Judæorum animis insedisse, ita ut millies potius mori, & membratim discripi maluissent, quam ut his quidpiam adderent, aut deremerent, testantur Josephus & Philo, Hebrai: idque facile colligitur ex libris, quos Judæi ediderunt, ut libros sacros ab omni errore servarent immunes, præsertim ex insigni illo Operi, quod Massoram, id est, Criticam Sacram, appellant, fuitque adoratum a peritissimis Schoæ Tyberiadis Rabbini, ut puram Scripturæ Sacraelectionem possent semper Judæi sartam tectam custodire, & ex libro Sopherim, seu Scribarum, in quo pene innumeræ traduntur præcepta, ad rectam facrorum librorum descriptionem necessaria, ne quid videlicet vel levissimi erroris in eos temporum injuria obrepere possit, sicut videtur est apud Jost-

*Joannem Morinum*, Congregationis Oratorii Presbyterum, cap. 6. Exercitationis 12. lib. 2. de *Hebrei*, Grecique Textus sinceritate, apud etiam *Richardum Simonum*, ejusdem Congregationis Presbyterum, in *Disquisitionibus Criticis*, & apud *Vvaltonum* in Apparatu Biblico, Proleg. 8. qui de hoc libro *Sopherim* late ac erudite tractarunt. Hæc igitur si ex-pendantur momenta; liquebit profecto, Judæos nunquam voluisse libros Moysis, aliosque Scripturæ Sacré libros, quos penes se habebant, corrumpere, sed illos potius a tam immani scelere vehementer abhorruisse, nihilque tam cordi accusa semper habuisse, quam ut libros Moysis, quem, ceu Legislatorem suum, summa veneratione prosequabantur, aliosque libros sacros, quos suo Canoni adscriptos habebant, summa adhibita diligentia ad seram usque posteritatem intactos atque illibatos trasmitterent. Sed, ut dem, voluisse Judæos, odio in Christianos impulsos, mutilare libros Moysis, contendo tamen, illos tam sacrilegum confilium executioni mandare nunquam potuisse. Primo, quia incredibile prorsus est, Judæos, qui, post Urbis Hierusalem destructionem, factam a *Tito*, filio *Vespasiani*, Imperatoris, per totum, qua late patet, Orbem fuerunt dispersi, in depravationem librorum Moysis, & aliorum Scripturæ concordibus votis & animis ita conspirare potuisse, ut nullus tam execrando sceleri intercedere, nullus reclamare ausus fuerit, præsertim cum apud Judæos essent varia Sectæ, videlicet Rabbanistarum, Karaïtarum, Samaritanorum, Phariseorum, Sadducæorum, qui sese mutuo & implacabili odio infectantes, huic saecuori legi Codicum sacrorum interpolationi consentire renuissent. Secundo, Christiani, qui hanc Judæorum in violandis sacris Codicibus temeritatem facile rescire potuissent ab illis Judæis, qui, teste Eusebio in Hist. Eccles. a Judaismo ad Christianos, confugiebant, confessim in Judæos insurrexisserent, palamque ostendissent ex illis Exemplaribus Hebraicis, quæ penes se habebant, vel in suis Bibliothecis affervabant, sacros Codices interpolatrice Judæorum manu suisse aut ex malitia, aut invidia, vitios, adulteratos, & mutilatos. Quod tamen nunquam fecerunt Christiani, sed potius, ut antea dicebamus, Judeos tanquam Scripturæ Sacré librorum capsarios nostros, & fidissimos custodes, laudarunt. Tertio, nulla ratione verosimile fit permisisse Deum, ut Judæi falsarent & immutarent libros Moysis, aliosque Scripturæ Sacré Codices, quos a sacris Scriptoribus exarari voluit, ut ex his fontibus omnes Gentes, depulsa Idolatriæ caligine, salutares sapientiae haurirent aquas, & vera Religio-nis documentis imbuerentur. Addo etiam, sanctum Hieronymum, in nova, quam lucubravit, Scripturæ Sacré Versione, Textum Hebreum, velut incorruptum, esse sectatum, & Patres Concilii Tridentini authenticam declarasse, suoque calculo appro-

basse Editionem vulgatam, quæ ad amissum respondet Textui Hebreæ, tam in Pentateucho Moysis, quam in aliis sacris Veteris Testamenti Libris. Ceterum, quamvis ipse constanter doceam, Judæos summopere semper cavisse, ne quis error Pentateuchum Moysis, aliosque sacros Veteris Testamenti Libros progressu temporis pervaderet, ac subinde Textum Scripturæ Sacré originarium, videlicet Hebraicum, in his, quæ ad fidem & mores spectant, esse etiamnum purum, integrum, nullaque labo contaminatum; non inficiar tamen, vel temporis injurya, vel Scribarum negligentia irrepsisse in Textum Hebreum Pentateuchi Moysis, & aliorum Veteris Testamenti Librorum, errata quedam & leviora menda, sicut post *Bellarminum*, & *Melchiorum Camum*, evincit *Vvaltonus* in Apparatu Biblico ad *Biblia Polyglotta Londoniensia*, Prolegom. 7. Non eo etiam inficias, fuisse multos Rabbinos, qui ineptas planeque nugatorias tradiderunt Scripturæ Sacré interpretationes, immo & aniles fabulas proprio marte excogitasse, quæ postea Talmudi tam Babylonico, quam Hierosolymitano inserta fuerunt. At finistras illas interpretationes, vanaque commenta & deliria, cum Rabbini in sacros Codices non intruderint, nulla ratione dici posse existimo, eos de industria, & ex odio Christianorum in sacrorum Codicum depravationem certatim conspi-rasse. Hæc, quæ hactenus diximus; de antiquitate, revelatione, veritate, integritate, & auctoritate Librorum Moysis, necnon de discrimine, quod est Legem Mosaicam inter & Legem Evangelicam, tibi abunde sufficere debent ad habendam generalem notitiam Librorum & Legis Moysis; specialem vero notitiam rerum, quæ continentur in Pentateucho Moysis, vel quas complectitur Lex Mosaica, dabis, auxiliante Deo, in nostris Colloquiis in Histriani quartæ Mundi Ætatis.

D. Plene, iuxta ac dilucide, in hocce Colloquio retulisti Patriarcharum tertia Mundi Ætatis Gesta, necnon eorum Scripta, in quibus Jesu Christi, veri Messia, adventum prædixerunt. Supereft nunc, ut, sub finem nostri Colloquii, annos Patriarcharum tertia Mundi Ætatis, quæ incipit a vocatione *Abrahami*, & protendit usque ad profactionem Israelitarum ex Ægypto, juxta accuratiorem Chronologiam, digeras ac disponas, atque eorum Gesta, compendiose descripta, juxta seriem Chronologicam annorum a creatione Mundi referas.

M. Tuæ utilitati consulturus, Tabulam Chronologicam hic subjiciam, in qua annos & gesta Patriarcharum, qui vixerint in tertia Mundi Ætate usque ad exitum Israelitarum ex Ægypto, conne-ctam cum annis Mundi, qui interfluxerunt a vocatione *Abrahami*, a qua initium dicit tertia mundi Ætas, usque ad Israelitarum ex Ægypto profactionem, in qua eadem Mundi Ætas finem haberet.

# TABULA CHRONOLOGICA,

In qua Anni & Gesta Patriarcharum, qui vixerunt in tertia Mundi Ætate, connectuntur cum annis Mundi, qui effluxerunt a vocatione Abrahami, a qua tertia Mundi Ætas sumit exordium, usque ad Israelitarum ex Ægypto egressionem, in qua definit eadem Mundi Ætas.

Ab anno a creatione Mundi  
MMLXXXIII.  
quo contigit vocatio Abrahami,  
& cœpit tertia Mundi Ætas  
usque ad annum a creatione Mundi  
MMXCIV.

Ab anno a creatione Mundi  
MMXCIV. usque  
ad annum Mundi  
MMCXLVIII.

Anno a creatione Mundi  
MMCXLVIII.

Anno a creatione Mundi  
MMCLXVIII.

Anno a creatione Mundi  
MMCLXXXIII.

Ab anno a creatione Mundi  
MMCCXLV.  
usque ad annum  
Mundi  
MMCCLXII.

**P**atriarcha *Abrahamus* anno a creatione Mundi 2083. annos natus septuaginta quinque, vocatus est a Deo, & exivit ex *Haran*, eique promisit Deus, nasciturum ex ipsius semine Messiam, & daturum illic Terram Chanaan, in quam relicta cognatione sua, iussu Dei venit cum *Sara*, uxore sua, & *Loth*, fratribus sui filio. *Loth* a patruo suo *Abrahomo* separatur, & sese recepit in urbem Sodomæ. Venit postea *Abrahamus* in Hebron. Quatuor Reges supererat. A *Melchisidecho* benedicitur. Renovavit Deus promissionem *Abrahamo* de prole, eique jussit, ut carnem suam, & omnis masculini sexus, circumcidet in signum Fœderis, quod cum eo pepigit. Futuram posteritatis suæ annorum 400. peregrinationem, servitatem, & afflictionem (hoc est, per ducentos, & quindecim annos in Terra Chanaan, & per ducentos, & quindecim alias annos in Ægypto) a Deo docetur. *Loth*, nepos *Abrahami*, ab Angelo Sodomis eruptus, ac solpes, & incolumis e Sodomorum urbe evasit, antequam, ob nefariam suorum incolarum libidinem, hæc civitas igne cælesti consumpta esset. Uxor autem *Loth*, quod contra Angeli præceptum, muliebri curiositate ducta, respexisset post se, confessim versa est in statuam salis.

*Abrahamus* anno a creatione Mundi 2094. ex *Agar*, ancilla sua, quam in uxorem duxerat, genuit *Ismaelem*, a quo originem habent Populi, dicti *Ismaelites*. Sed hunc filium, una cum matre *Agar*, jubente Deo, domo sua expulit *Abrahamus*, postquam ei, centesimum annum agenti, anno a creatione Mundi 2108. ex *Sara*, ipsius conjugi, natus est, juxta diuinæ promissiones, *Isaacus*, ex cuius semine proditus erat *Messias*. Hunc filium *Isaacum* annos natum viginti quinque, Deus, volens *Abrahami* explorare fidem, & obedientiam, imperavit ei, ut mactaret anno a creatione Mundi 2133. Sed dum *Abrahamus* ad filii sui *Isaaci* mactationem sese accingeret, jamque ad eum immolandum gladio armatam manum extenderet, ab Angelo prohibitus est ne faceret. *Sara*, uxor *Abrahami*, & mater *Isaaci*, e vivis excessit anno a creatione Mundi 2145.

*Abrahamus*, anno Mundi 2148. filio suo *Isaaco*, nato annos quadraginta, uxorem dedit, nomine *Rebeccam*, filiam *Bathuelis*, qui ex *Nachore*, fratre *Abrahami*, ortum ducebat.

*Rebecca*, post viginti annos sterilitatis a contracto matrimonio cum *Isaaco*, enixa est gemello partu *Esaui*, & *Jacobum* anno Mundi 2168. Quibus in utero ipsius, antequam nacerentur, collectantibus, *Rebecca*, mater, a Deo, quem consuluerat, responsum accepit, duarum dissidentium Gentium Auctores ex ipsius utero prodituros.

*Abrahamus*, centum septuaginta quinque annos natus, mortuus est in sepulture bona anno Mundi 2183.

*Jacobus*, filius *Isaaci*, fratri suo, majori natu, suadente matre *Rebecca*, benedictionem patris *Isaaci*, senio jam caligantis, subripuit anno Mundi 2245. & hac de causa, ut iram fratribus sui *Esaui*, quam in se concitaverat, declinaret, fugam arripuit, & ad *Laban*, avunculum suum, fratrem videbilem *Rebecca*, sese contulit. Quo in itinere vidiit in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cælum, Angelos quoque Dei ascendentibus, & descendentes per eam. Appulsus *Jacobus* domum *Labani*, postulavit ab eo *Rachelem*, filiam ejus, ut eam sibi matrimonio copularet. Annuit quidem *Laban*, sed, per fraudem loco *Rachelis*, nocte in lectum *Jacobi*

Jacobi submisit Liam, sororem Rachelis natu maximam, quam uxorem ducere coactus est Jacobus, qui postea tamen, Rachelem, quam impense diligebat, in uxorem accepit, & ex utraque sorore, atque ex earum ancillis, nimis ex Bala & Zelpha, quas itidem sibi matrimonio junxit, suscepit duodecim mares filios, qui fuerunt Patriarchae duodecim Tribuum Israel.

Beneficia, quibus Deus Jacobum, toto eo tempore, quo apud Laban sacerdotum suum, mansit, curam ipsius gregis habendo, abunde cumulavit, moverunt invidiam Laban. Quo factum est, ut Jacob ex cibis Laban, una cum uxoribus suis, & prole, & gregibus capessiverit fugam. In itinere luctatus est cum Angelo, & prævaluit, indeque dictus ISRAEL, hoc est, prævalens Deo, cuius personam referebat ille Angelus. In patriam quoque revertens Jacobus, fratrem suum Esau, quem obvium in itinere habuit, muneribus, obsequiis, & officiis placavit.

Ab anno a creatione Mundi  
MMCLXXII.  
usque ad annum  
MMCLXXII.

Simeon & Levi, filii Patriarchæ Jacobi, ob raptum, & stuprum illatum vi sorori suæ Dinæ, omnes ad unum Sichemitas injuste trucidant. Rachelem, dilectam conjugem suam, Jacobus amisit, quæ in partu, id est, postquam enixa esset Beniaminum, e vivis sublata est. Filii Patriarchæ Jacobi, ægre admodum ferentes, quod Josephus, frater, esset carior patri, in eum insurrexerunt, eumque per summam perfidiam vendiderunt mercatoribus, a quibus ductus est in Ægyptum, ibique servivit Putipharo, Præposito Cubiculariorum Pharaonis, Ægyptiorum Regis. Josephus natus erat annos septemdecim, quando captivus fuit asportatus in Ægyptum anno a creatione Mundi 2276. Isaacus pater Jacobi, annos natus centum octoginta, mortuus est anno Mundi 2288. Josephus in Ægypto serviens Putipharo, de vi illata pudicitia uxoris heri sui ab eadem uxore, cuius libidini constanti animo obſtiterat, falso accusatus, in carcerem conjectus est, in quo postquam per triennium mansisset, seque sagacem somniorum interpretem probasset, in Aulam Pharaonis, annos natus triginta, accitus est, ut interpretetur somnium istius Ægyptiorum Regis anno a creatione Mundi 2289. hoc est, 13. annis, postquam venditus a fratribus suis, ductus est in Ægyptum. Declaravit autem Josephus somnio Regis Pharaonis portendi, fore post septem annos fertiles, famem, quæ per totidem annos erat duratura. Rex Pharao, fidem habens verbis Josephi, curavit, ut per spatium septem fertilium annorum ingens undequaque colligeretur frumenti copia, & huic negotio, totiusque Imperii Ægyptiorum regimini Josephum præfecit. Post transactos septem fertilitatis annos, ubi obtrigerunt anni steriles, quoniam aliis in Regionibus non suspetebat frumentum, & maxima grassabatur fames, coacti sunt fratres Josephi descendere in Ægyptum, quos primum, ceu viros sibi omnino ignotos, & Ægypti exploratores exceptit Josephus, sed tandem se illis manifestum fecit, patremque suum cum tota familia ad se in Ægyptum accersivit anno a creatione Mundi 2298. Habitavit autem Jacobus in Ægypto, seu in Terra Gessen, & possedit eam, & multiplicatus est nimis, & in ea vixit annis septemdecim; natusque annos centum quadraginta septem, mortuus est anno a creatione Mundi 2315. Moriens Patriarcha Jacobus, celebre edidit vaticinium de tempore, quo oriturus esset Messias, quod in Jesu Christo fuit omni ex parte adimplatum. Josephus etiam, filius Patriarchæ Jacobi, postquam in Ægypto præfuisset annis 80. migravit ex hac vita anno a creatione Mundi 2369. cum explesset centum, & decem annos vitæ suæ. Posterior autem Patriarchæ Jacobi, sic in Ægypto propagati sunt, ut, post ducentos, & quindecim annos, per quos manserunt in Ægypto, plusquam sexcentum mille numerarentur animæ, prognæce & familia Jacobi, qui in Ægyptum cum septuaginta dumtaxat animabus advenerat. Hæc Israelitarum in Ægypto multiplicatio invidiam Ægyptiorum illis conflavit, & defuncto Ægyptiorum Rege, cui Josephus placebat, tam duram servitutem deinceps experti sunt Israelitæ, ut, labentibus annis, Rex Ægypti, Pharao dictus, ferale

Ab anno a creatione Mundi  
MMCLXXII.  
usque ad annum  
MMDXIII. quo  
Moyses Israëlitæ  
eduxit Ægypto.

ferale promulgarit Edictum, quo jubebat, ut omnes Hebræorum pueruli, recens nati, projicerentur in flumen, ne ad ætatem adultam pervenire posset. Tunc in Ægypto anno post obitum Josephi sexagesimo quarto, anno autem a creatione Mundi 2433. natus est Moyses, ita appellatus, quod ex aquis, quibus a parentibus fuerat expositus, eductus sit ministerio filiæ Regis Ægyptiorum. Moyses, ubi adolevisset, Aulam Regiam, in qua fuerat educatus, contemnens, fugit in solitudinem, ubi a Deo, qui eum in rubo ardenti alloquebatur, iussus est Populum Hebræum ex Ægypto liberare. Hoc Dei Mandatum Moyses, una cum fratre suo Aaron, in virtute multorum prodigiorum significavit Pharaoni, Ægyptiorum Regi, a quo tamen, utpote in malo maxime obdurato, nonnisi post decem plagas, quas Deus per Moysem toti Ægypto inflxit, Hebræi tandem aliquando dimissi sunt, ut eo properarent, quo illos per Moysem vocabat Deus. Pridie autem quam ex Ægypto prohicerentur Hebræi, iussit illis Moyses, ut manetarent Agnum, ejusque sanguine aspergerent ostia sua. Angelus exterminator, qui noctu cunctas Ægyptiorum domos pervadens, omnes eorum primogenitos interfecit, ab Israelitis, quorum domos sanguis Agni distinguebat, omnino abstinuit. Sic nos Christiani pretioso sanguine Jesu Christi, qui verus est agnus immaculatus, servamur ab æterna morte, & per aquas Sacramenti Baptismi, quibus mergitur peccatum, ad vitam migramus æternam.

Anno a' creatione Mundi  
MMDXIII. a vocatione Abrahami  
CCCCXXX.

Moyses, annos natus octoginta, Israelitas ex Ægypto eduxit, atque in libertatem vindicavit anno a creatione Mundi 2513. A vocatione vero Abrahami 430. Israelitas, Duce Moyse, ex Ægypto profectos, Rex Pharaon, mitato confilio, infuscatus est, ut illos servitutem denuo manciparet, &, sicut eleganter ait Sulpitius Severus lib. I. *Historia Sacra*: furens animi, quo angebatur, ille Rex, tot hominum millia Regno, & Potestati dedecere, exercitum propere educit: jamque eminus arma signaque, & portenta patentibus late campus acies viscebantur, cum Hebreis, metu trepidis, & Cælum aspellantibus, Moyses a Deo monitus, percussum virga mare discidit. Ita populo cedentibus in latera aquis, velut in continenti, iter peruum fuit. Nec cunctatus Rex Ægyptius cedentes insequì, mare, qua patebat, ingressus; mox coeuntibus aquis, cum omni exercitu deletus est. Tunc Moyses incolumitate suorum, exitio hostium, virtuteque Dei exultans, Canticum Domino cecinit (quod legitur cap. xv. sacri libri Exodi) idemque omnis turba virilis ac muliebris sexus fecit.

D. Ex ea, quam hic attexuisti, Tabula Chronologica facile intelligo, a vocatione Abrahami, quæ contigit anno a creatione Mundi MMLXXXIII. & a qua exordium sumit tercia Mundi Ætas, usque ad Israelitarum ex Ægypto profactionem, quæ accidit anno a creatione Mundi MMDXIII. & in qua definit tercia Mundi Ætas, interfluxisse annos quadragesimos, & triginta, per quos Deus prædixerat Abrahamo, posteritatis suæ peregrinationem duraturam, hoc est, posteros Abrahami, a tempore Vocationis illius Patriarchæ fore peregrinos in terra Chananæa per ducentos, & quindecim annos, illosque postea per alios ducentos, & quindecim annos in Ægypto mansuros, tanquam peregrinos, ante quam possiderent Terram Chananæ, quam Deus Abrahamo, ejusque posteris datum se promiserat, sicut memini, te iam observasse contra nonnullos Scriptores, qui perperam asserunt, Hebreos per quadragesimos, & triginta

annos in Ægypto peregrinos, & afflictos fuisse. At, cum bona venia tua dixerim, hora, quæ nunc imminet prandii, nostrum huc usque protractum cogit finire Colloquium. Scis etenim celebratum a Plutarcho, Gellioque istud Catonis dictum, ex Oratione quadam, qua dissuasit Legem Agrariam, quamque sic exortus est, ut dicat, arduum esse ad Venientem verba facere, qui caret auribus. Interpellante itaque fame, domum me recipio, ut post prandium possim facilius præparare ad me proximum Colloquium, in quo de Historia quartæ Mundi Ætatis, quæ ab exitu Israelitarum ex Ægypto initium habet, definitque in quarto anno Regni Salomonis, quo ab eodem Rege iacta sunt Templi Hierosolymitani fundamenta, disserere incipiemus: expletio liquidem ventre, sicut vulgari fertur Adagio, melior est consultatio, sive ut ait Plutarchus lib. 7. *Sympoiacon*: Consultatio tum melior, cum expleveris aluum.



# HISTORIA ECCLESIASTICA VETERIS TESTAMENTI,

S E V

QUARTÆ MUNDI ÆTATIS,

*Quæ initium habet ab exitu Israëlitarum ex Ægypto, & definit in  
quarto anno Regni Salomonis, quo ab eodem Rege iacta sunt  
Templi Hierosolymitani fundamenta.*



EBRÆI, inquit eleganter *Lactantius c. x. libri iv.*  
 „ *Divinarum Institutionum*, ex Ægypto egressi in  
 „ solitudine multa mirabilia viderunt. Nam cum  
 „ sitim paterentur, iœtu virgæ rupe percussa, pro-  
 „ siliit fons aquæ, populumque recreavit. Quo  
 „ rursus esuriente, cœlestis alimenti pluvia descen-  
 „ dit, quin etiam coturnices in castra eorum ven-  
 „ tus induxit, ut non modo pane cœlesti, sed etiam instruc-  
 „ tibus epulis saturarentur. Pro his tamen divinis beneficiis ho-  
 „ norem Deo non reddiderunt, sed depulsa jam servitute, jam  
 „ siti, fameque deposita, in luxuriam prolapsi ad prophanos  
 „ Ægyptiorum Ritus animos transtulerunt. Cum enim *Moyses*,  
 „ Dux eorum, ascenderet in montem, atque ibi quadraginta  
 „ diebus moraretur, aureum caput Bovis, quem vocant *Apis*,  
 „ quod eos signo præcederet, figurarunt. Quo peccato, ac sce-  
 „ lere offensus Deus, impium & ingratum populum 'pro merito  
 „ paenit' gravibus affecit, & Legi, quam per *Moysen* dederat,  
*Hist. Vet. Test. Tom. II.* E „ sub-

„ subjugavit. Postea vero, cum in deserta parte Syriæ consedissent, amiserunt vetus nomen Hebræi, & quoniam Princeps examinis eorum Judas erat, Judæi sunt appellati, & terra, quam incoluere, Judæa. Et primo quidem, non dominio Regum subiecti fuerunt, sed populo, ac Legi civiles Jüdices præsidebant, non tamen in annum constituti sunt, sicut Romani Consules, sed perpetua jurisdictione subnixi. Tum sublato Judicum nomine, potestas regalis inducta est. Verum, Judicibus regimen eorum tenentibus, pravas religiones sæpe suscepserant, atque offensus ab his Deus, toties alienis subjugabat, donec rursus pœnitentia populi mitigatus, liberaret eos servitute. Quibus verbis *Lactantius* non solum dat generalem quamdam notitiam quartæ Mundi ætatis, sed etiam ostendit, statum Reipublicæ Hebræorum aliquam subiisse mutationem in quarta Mundi ætate, quando videlicet Deus, dando *Moyſi* Legem in monte Sinai, eum constituit Reipublicæ Hebræorum Ducem, ac Principem, voluitque, ut post mortem *Moyſis*, eamdem Hebræorum Rempublicam administrarent, primum *Josue*, deinde *Judices*, ac denique Reges. Hæc autem Reipublicæ Hebræorum status post datum Legem a Deo, mutatio in hoc sita fuit, quod status regimini Hebræorum a vocatione *Abrahami* usque ad illorum egressionem ex Ægypto esset pure Theocraticus, idest, immediate pendens a Deo, quem Hebræi solum Ducem, Rectorem, ac Præsidem agnoscebant. At, Hebræi, post profecionem ex Ægypto, ferre non valentes præsentiam Dei, territi videlicet fulgoribus, in quibus Deus, dando Legem *Moyſi* in monte Sinai, apparuit, orarunt Deum, ut non eos alloqueretur, sed *Moyſe*, tanquam Ministro, & Mediatore, uteretur. Annuit eorum petitioni Deus, tuncque *Moyſes* cœpit sub Deo regere Rempublicam Judæorum, cuius status evasit Aristocraticus, & summa rerum, post Deum, penes Optimates fuit. Neque enim *Moyſes* solus Rempublicam Hebræorum administravit (sicut optime observat *Carolus Sigonius* cap. v. lib. i. *De Republica Hebræorum*) sed multis, iisque bonis & prudentibus viris, rem totam commisit, ut alii sacra, alii prophana curarent. (Ex his autem, qui operam rebus sacris dederunt, unus erat dumtaxat Pontifex, reliqui Sacerdotes & Levitæ. Qui vero rerum prophanarum curæ incubuerunt, alii consultationibus, alii judiciis vacarunt, nonnulli pacis, quidam belli studia coluerunt, ac promoverunt) omnes tamen non ex arbitrio voluntatis, sed ex præscripto Legis suo fungi munere, in primisque judicia & justificationes exercere constituit. Quam ob rem, et si regimen Hebræorum cœperit esse sub *Moyſe* Aristocraticum, attamen (uti perdocte observat *Petrus Cunæus* cap. i. lib.

1. De Republica Hebræorum) *Moyſes*, Rempublicam Hebræorum conditus, quæ in terris sanctissima foret, summam rerum potestatem supremo Numini detulit, & cum alii nomina alta, ut res fert, reperiant, ac Monarchiam modo, Oligarchiamque, & interdum Democratiam appellant: nihil *Moyſes* horum fore pro natura, atque indeole intellexit tanti Imperii. Igitur regiminis quemdam modum constituit, quem præsignificanter *Flavius Josephus*, Hebræus, adversus *Apionem* vocari posse *Theocratiam* ait, quasi tu ejusmodi civitatem dixeris, cuius Præses, Rectorque solus Deus sit. Quæcumque enim gerebantur, hujus geri iudicio, ac nomine professus est. Idque ita verum esse clare documento probavit *Moyſes*. Etenim, qui omnia ex se uno prudentia videbat, quique populum oratione flectebat in omnem quam volebat partem, nullam ex tam bella, & opportuna occasione potentiam sibi, nullas opes, nullos honores quæsivit. Id, quod profecto vix hominis esse videtur. Est enim insita mortaliis Imperii cupido quædam, eaque vetus hercle admodum, & cunctis affectibus flagrantior, quam, ut ego existimo, nunquam expellere e pectore suo *Moyſes* potuisse, nisi interesse & præesse rebus gerendis Deum vidisset, cum quo in societatem Regni venire extrema dementia fuisset. Jam vero, quo firmior Hebræorum Respublica foret, ita sanxit, edixitque, ut omnia ex Lege a Deo data fierent: Legis autem non Dominos, sed Custodes & Ministros, esse voluit Magistratus. Hic fuit sub *Moyſe* Hebræorum Reipublicæ status, sub Deo, Aristocraticus, quem sub *Josue*, successore *Moyſis*, sub Senioribus & Judicibus, Hebræi, postquam suas sedes, juxta promissionem divinam, in Terra Chananæ locassent, constanter retinuerunt, donec tandem studio capti regiminis Gentium, postularunt a Deo per *Samuelum*, ultimum Judicem, ut daret illis Regem, dicentes: *Constitue nobis Regem, ut judicet nos, sicut & universæ habent Nationes*, cap. 8. v. 5. lib. 1. Regum. Concessit Deus Hebræis Regem, tuncque statum Reipublicæ Hebræorum Aristocraticum, in quo Lex potissimum cum Deo dominata erat, exceptit Status Monarchicus, seu successio Regum, e quorum nutu, & arbitrio, potius quam ex divinæ Legis Imperio Hebræi pendere cœperunt. Primus apud Hebræos Rex fuit *Saul*, secundus *David*, cui successit filius *Salomon*, qui anno quarto Regni sui construxit Templum Hierosolymitanum. A Rege autem *Salomone* Regnum in Familia Davidica apud Hebræos hæreditarium evasit usque ad Regem *Sedeciam*, qui a *Nabuchodonosore*, Assyriorum Rege, cum Populo Judaico captivus in Babyloniam abductus est. Hanc brevem istius mutationis, quæ in quarta Mundi Ætate contigit circa statum

Reipublicæ Hebræorum notitiam præmittendam esse duxi , quo facilius ejusdem quartæ Mundi Ætatis , quæ incipit ab exitu Israelitarum ex Ægypto , & finem habet in quarto Regni Salomonis anno , quo jacta sunt Templi Hierosolymitani fundamenta , Historiam in tribus Colloquiis , juxta præscriptam nobis Legem , describendam aggrediamur . In primo Colloquio referemus ea , quæ Hebræis ab eorum ex Ægypto profectione usque ad Legem datam Moysi a Deo in monte Sinai , & post Legem datam , acciderunt usque ad obitum Moysis ; ibidemque explicabimus res præcipuas , quas speciatim complectitur Lex a Deo data , quæ dicitur Mosaica , videlicet Præcepta , Ritus , Sacrificia , Sacra menta , Festa , Immunditias Legales , Sacerdotum Consecrationes , & alia id genus , quæ Sacra & Religionem Hebræorum spectant . In altero Colloquio nonnulla Dubia , sive ad Legem Mosaicam , sive ad quædam facta Historica quartæ Mundi ætatis attinentia , quæ a Theologis & Scripturæ Sacræ Interpretibus proponi solent , dirimemus . In postremo Colloquio Gesta Josue in regimine Reipublicæ Hebræorum , Moysis successoris , necnon Judicum & Regum , qui præfuerunt Hebræis usque ad quartum Regni Salomonis annum , quo extructum est Templum Salomonicum , seu Hierosolymitanum , describemus , & eadem opera accuratam trademus seriem annorum , qui in quarta Mundi ætate , hoc est , ab egressione Populi Israelitici ex Ægypto usque ad quartum Regni Salomonis annum elapsi sunt .



# C O L L O Q U I U M

## P R I M U M,

In quo referuntur ea, que Hebreis, ab eorum ex Ægypto profectione, usque ad Legem datam Moysi a Deo in monte Sinai, & post Legem datam, acciderunt usque ad obitum Moysis, ibidemque explicantur res præcipue, que continentur in eadem Lege, videlicet Precepta, Ritus, Sacrificia, Immunditiae Legales, Sacra, Festa, Sacerdotum Consecrationes, & alia id genus, que Sacra, & Religionem Hebraeorum spectant.

DISCIP.



*Mossem* daret Legem in monte *Sinai*?

M. Deus Hebreos ex Ægypto egressos, & ad ulteriorem ripam Maris Rubri, quod sicco velligio transferant, appulsos, singulare protectione dignatus est, atque in variis, quas in Eremo habuerunt, mansionibus, donec ad Desertum *Sinai* pervenirent, multa, eaque stupenda, in eorum gratiam patravit miracula (*a*). In primis, Hebrei, postquam per triduum in Deserto *Sur*, sive *Etham*, iter egissent, castra in *Mara* posuere, ubi aquam quidem invenierunt, sed quæ, ob insitam amaritudinem, ad potum, sitimique sedandam usui esse non poterat. Quo factum est, ut aquæ penuria laborantes, cumque essent natura queruli, & ad murmurationem proclives, protinus insolenti contumacia insurrexerint in *Mossem*, qui doctus a Deo, arboris lignum in aquam injectit, cuius hæc vis fuit, ut dulcem aquæ saporem redderet. Inde dicens Hebrei, venerunt in *Elīm*, ibique duodecim fontibus aquarum, & septuaginta arboribus palmarum repertis, considererunt. At, ubi pervenerunt ad Desertum *Sin*, quod est inter *Elīm* & *Sinai*, rursum, ob penuriem viætus, tumultuari, & murmurare cœperunt, non solum contra *Mossem*, ejusque fratrem *Aaronem*, sed etiam contra ipsummet Deum, Ægypti servitium, cum saturitate ventris, desiderantes. Haic tamen ingrato, & duræ cervicis populo non desuit Deus. Nam, præter ingentem coturnicum copiam, ad eorum castra vento delatam (*b*), paravit eis cibum exquisitissimum, juxta ac delicatissimum, qui dictus est *Manna*, quia primum cum admiratione, & hac voce *Manbu*, id est, *Quid est hoc?* a Populo Hebreo exceptus est. Manna illud non fuisse naturalem & vulgarem cibum, sed præternaturalem, miraculosum, & munus a Deo cælitus missum, multis rationibus probat *Buxtorfius* in ea, quam edidit, *Exercitatione in Historiam Mannæ*, quarum aliquas hic compendiose describam. Et primo quidem, Manna non fuisse cibum naturalem, sed miraculosum, patet ex modo, quo depluebat, & conservabatur. Nam, nec in terram cadebat, nec ramis arborum adhaerebat, sicut in terram cadit, vel arborum ramis adhaerescit Manna naturale, quod

*Hist. Vet. Test. Tom. II.*

in Arabia reperiendi *Josephus Hebraeus*, aliique Scriptores, cum veteres, tum recentiores testantur; sed in circuitu dumtaxat castrorum Hebraeorum, & non alibi, inveniebatur. In tanta porro copia depluebat istud Manna quotidie, & qualibet anni tempestate, etiam in hyeme, ut innumeris Hebraeorum myriadibus aliens abunde sufficeret. Nec minus miraculosa erat hujus Mannæ conservatio. Quamvis enim istud Manna, quod in agro residuum erat, servente Sole, liqueferet, attamen singulis diebus collectum ab Hebreis, & ad castra delatum, ita durum evadebat, ut mola frangetur, vel pilo tereretur, nec igne liqueferet, sed in tortulas conformaretur. Quin, istud Manna, quod in diem sequentem asservatum corrumpebatur, & vermis scatebat, die tamen Sabbati incorruptum servabatur, & ideo Feria sexta dumplum Manna depluebat, quia illud Sabbato colligere non licebat, immo nullum Manna Sabbato, quo Hebrei quiescere debebant, in agro inveniebatur; quod sane palam ostendit, istud Manna non fuisse cibum naturalem, sed miraculosum. Secundo, Manna istud, præter inditum sibi naturalem saporem, alium habebat in ore piorum, seu spiritualium Hebraeorum, desideriis eorum attemperatum, ut docet *S. Gregorius lib. vi. Moralium cap. ix.* quod sane absque speciali miraculo fieri haud potuit. Addo etiam, istius Mannæ per quadraginta annos, quibus Hebrei in Deserto errarunt, quotidianum effluxum, aperte demonstrare, Manna non fuisse cibum vulgarem & naturalem, sed potius præternaturalem, cælestem & miraculosum. Hinc est, quod Deus iussit, ut urna hoc Manna plena conservaretur in intimo Sanctuario, in perpetuum monumentum. Hoc autem Dei præceptum fuisse supervacaneum, si Manna istud fuisse naturalis & vulgaris cibus. Hinc etiam sancti Patres docent, Manna, quo Hebrei per xl. annos usi sunt in Deserto, fuisse panem cælestem, & insignem figuram Christi, & corporis ejus in Eucharistia Sacramento, ad spiritualem animarum nostrarum alimoniam, quamdiu in calamitoso hujus Mundi Deserto peregrinamur, nobis dati, idque probant ipsissimis verbis Jesu Christi, de se ipso, cap. 6. Evangelii *S. Joannis*, dicentis: *Ego sum panis vita. Patres vestri manducaverunt Manna in Deserto, & mortui sunt. Hic est panis de Cælo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur.*

E 3

"(a)

" (a) Qua potissimum in loco Israelitæ mare  
,, rubrum transierint critici omnis ætatis disputa-  
,, runt. Juvat hic referre novum sistema a D.  
,, Shaw inventum, nec invita minerva excogita-  
,, tum. Mare Rubrum in fine bifidum est, relictus  
,, inter utramque extremitatem intervallo, quod a  
,, locis desertis occupatur. Utraque maris ejus  
,, lingua nomen suum obtinet, altera enim quæ  
,, Cairo propior est, appellatur sinus Heropoliti-  
,, cus; altera vero sinus Elaniticus. Israelitas  
,, transisse sinum Hieropolitanum scriptor iste ju-  
,, dicat, tum quod Cairo fuerit propior, tum  
,, etiam quod tutior, natura locorum considerata,  
,, inde via ad mare rubrum Hebrais fuerit. Ibi ve-  
,, ro transitum figit, ubi Sinus ita in arctum co-  
,, gitur, ut inter utramque ripam spatium com-  
,, munium milliarium viginti vix intercedat. Por-  
,, ro moverunt Israelites e Ramesse, seu e terra  
,, Gessen, quam auctor ille collocat in tractu He-  
,, liopolitano ad ripas Nili, qui locus non longe  
,, aberat a Memphi, nec plurimum etiam a Cairo.  
,, Jacet ibi Materreha, ubi veteris urbis rudera quæ-  
,, dam hodie usque conspiciuntur. Noluit Deus, ut  
,, per regionem Philistæorum, unde erat iter expe-  
,, ditius, viam instituerent, Exod. XIII. ea seclusa  
,, via dura supererant aliae, quas populus teneret,  
,, alia scilicet, quæ decurrerat inter latera montium  
,, inferioris Thebaidis, alia magis vergens ad Se-  
,, ptentrionem eorum montium, quam iudeum mon-  
,, tes minuunt ad latum dextrum per plures leu-  
,, cas; sinistro vero adjacet desertum Arabiae Aegy-  
,, ptiæ, quoad ventum sit ad vallem Bedeah,  
,, ubi montes illi aquilonares ingentem hiatum ef-  
,, ficiunt. Per hanc viam ivit pupulus eaque de-  
,, ductus est in Succoth, Num. XXXIII. 5. quo no-  
,, mine exprimitur tentiorum collectio, quod  
,, ibi forte Arabes Beduini tentoria sua haberent.  
,, Tum venerunt in Ethan, Exod. XXXIII. 20. qui  
,, forte locus est in deserto hujus nominis, idque  
,, extenditur circa finum Heropolitanum. Exinde  
,, vero credibile est Israelitas via plana derelicta  
,, montuosam alteram tenuisse; nam jussi a Deo  
,, sunt, ut reversi castrarentur e regione Fi-  
,, liabrot, que est inter Magdalum, & mare. Ver-  
,, ba haec denotant Israelitas e priori via divertisse  
,, atque alteram tenuisse ad dexteram deserti  
,, Ethan. Ita pergens populus sæpiebatur monti-  
,, bus Mæcæt, & Suez; Aegyptii vero illos inse-  
,, quentes, fances eorum montium occupabant,  
,, atque ita factum est, ut undique Israelitæ con-  
,, stringerentur; montibus scilicet ad Septentrio-  
,, nem, & Austrum, mari rubro ad Orientem,  
,, Aegyptiis fauces montium obsidentibus. Ad has  
,, angustias redactis unicum effugium supererat, si  
,, mare rubrum transnatarent, quod Deus effectit  
,, viam per maris undas aperiens. Locus igitur  
,, prodigiæ aliquanto inferior erat ad meridiem  
,, Suez, eidem hodie pariter ex veteri traditione  
,, nomen Arabicum Tiah-Beni-Israel, idest, iter  
,, Israelitarum.

" Ibi ergo mare transgressi Israelitæ venerunt  
,, Marha, nempe in desertum, cui hodie pariter  
,, id nominis manet, & cum tridui iter jam egis-  
,, sent, facile stativa habuerunt in loco, quod modo

,, appellatur Corondel, ubi auctori, unde hæc de-  
,, lumps, occurrit rivulus saltuginosus, idem forte,  
,, quem Moyses ligni injectione potabilem effectit.  
,, Ex Marha venerant in Elim, qui locus est ad  
,, terminos septentrionales deserti Sin duabus leucis  
,, a Tor, & triginta circiter a Corondel. Ex duo-  
,, decim puteis a Moysè ibi repertis novem nunc  
,, pariter superfluit, reliquis forte a turbinibus, in de-  
,, sortis hisce familiaribus, oppletis. Sunt ibi pariter  
,, palmæ non quidem septuaginta, quas Moyses  
,, reperit, sed in immensum multiplicatae. Jacet  
,, ibi balneum, quod Moysis dicitur, arabice Hom-  
,, man-Mousa. Cetera ex auctore repeatas.

" (b) Pigeret hic præterire adnotationem quan-  
,, dam D. Shaw in suo itinerary, de quo sepe  
,, dictum; hic enim tom. 2. pag. 92. Gallicæ edi-  
,, tionis Hagæ Comitum an. 1743. de coturnicibus  
,, a Deo procuratis populo in deserto pererranti  
,, habet: hæc natura loci est, ut si coturnicibus  
,, istis diu ibi perseverandum fuisset, novo mira-  
,, culo a Deo providendæ erant victu, & tertio et-  
,, iam succurrentum, ne siti perirent. Nec satis  
,, admirari possumus grandem Dei providentiam  
,, cum sapientia conjunctam, qui desertis hisce  
,, locis de camelis providit, brutis scilicet sitim  
,, ad dies plures tollerantibus, & multo mi-  
,, nori cibo utentibus, quam pro corporis  
,, habitu.

D. E Deserto Sin profectos Hebraeos, seu Israe-  
,, litas, in quem locum deduxit Moyses, ut ibi ca-  
,, strarentur?

M. E Deserto Sin profectos Israelitas duxit Moyses in locum, dictum *Daphca*, ubi castrarentur  
,, sunt. Deinde, e *Daphca* progressi, castra posuerunt in *Alus*, & ex *Alus* egressi, tentoria fixerunt in *Raphidim*, ubi quadam obseruatione digna Israe-  
,, litis contigerunt, quæ hic breviter referam. In primis, Populus Israeliticus, cum aquæ penuria ten-  
,, taretur, excanduit in *Moysem*, & ægre ab ejus exi-  
,, tio temperavit. Tum Moyses de vita periclitans,  
,, mandante Domino, apud locum, cui *Oreb* nomen  
,, est, petram, seu rupem, virga percutiens, mur-  
,, muranti populo large scaturientis aquæ copiam fe-  
,, cit. (a) Secundo, sub idem tempus, quo in *Raphidim* Israelite manebant; Amalecitæ irruperunt, illos incursionibus vastarunt, & ad pugnam provocarunt. Quocirca, Moyses, suis in prælium eductis,  
,, supremum totius exercitus Imperium *Josue*, filio  
,, *Nuni*, dedit, ipse vero, sociis assumptis *Aarone* &  
,, *Hur*, spectator pugna futurus, simul precandi Do-  
,, minum gratia, in verticem montis concendit. Conseruo prælio, acies dubio eventu, anicipitique  
,, marte concurrebant. Hebrei tamen vincebant,  
,, quandiu Moyses manus supplices in Cælum erigeret,  
,, si autem remissis, Amalecitæ, resumptis viribus,  
,, prævalebant. Quod advertentes *Aaron*, & *Hur*,  
,, opposito faxo, in quo federet Moyses, manus ejus  
,, ex utraque parte ad occulum usque foliis suffulcie-  
,, runt. Sic in fugam acti, fusi, prostratiq[ue] sunt  
,, Amalecitæ, quos *Josue* in multam noctem cœcidit.  
,, Tunc Moyses omnem victorię gloriā, ut par erat,  
,, soli Deo acceptam referens, ei Altare in perpetuum  
,, erexit monumentum cum hoc titulo: *Dominus exal-  
,, tatio mea*. Sancti Patres, & antiqui Scriptores,  
,, vide-

videlicet *S. Justinus* Martyr, in *Dialogo cum Tryphonie*, *Judeo*, *Tertullianus* lib. 3. aduersus *Magnos*, cap. 27. *Theodoret.* quæst. 34. in *Genesim*, & *S. Hieronym.* in *Epistola ad Fabiolam*, afferunt *Moysen*, in monte expansis manibus orantem, dum *Jesus contra Amalecitas* pugnabat, typum fuisse *Iesu Christi*, in Cruce salutis nostræ hostes vincentis. Tertio, per idem tempas, quo in *Raphidim* manserunt *Israelitas*, *Jethro*, *Moysi* sacer, cum filia *Sephora*, quæ *Moysi* nupta, proficidente in Aegyptum viro, domi resederat, liberisque ejus, cognitis rebus, quæ per *Moysen* geregabantur, venit, eique negotiorum undis pene obruto sanctam suggestit negotium. Autem quippe ei fuit, ut ordines populi distribueret, & constitueret Tribunos, seu Chilarachas, Centuriones, Decuriones, & viris quinquagenis Prefectos. Placuit *Moysi* prudentissimum socii sui consilium, virosque ex omnibus *Israelitarum* Tribubus selectos judiciis præfecit, & postquam illos constitutos Judices, ut demandata sibi Provincia sancte funderentur, adhortatus, esset perduxit *Israelitas* in desertum *Sinai*, ibique castrametati e regione montis *Horeb*, per annum fere integrum commorari sunt, spectatores rerum, quæ in ea statione contigerunt, varietate & admirabilitate cæteras, quas in aliis mansionibus jam viderant, longe superantum.

„ (a) Addendum hic censeo, in loco, ubi post pulus confedit, appellato Rephidim, hodie pariter spectari rupem e marmore vario, quod granitus dicitur, jacetque in medio vallis. Infirmitate adeo pede solo inserta est, ut videatur ad minimum motum ruitura, extremam hujus marmoris oram attingit canale quoddam lapideum crux quadam obductum illi perfimili, quæ per canale diu decurrens aqua interiora ejus vestit. Cernuntur per hoc canale hinc inde foruli quidam alii majores, alii minores, unde emergentes aquæ facile intelliguntur. Porro hæc petra est, unde Moyses aquas ad potum *Israelitarum* deduxit. Hanc petram itineraryaria plura, ac novissime D. Salue describit tom. 2. pag. 40.

D. Describe, obsecro te, res illas varietate & admirabilitate singulares, quas *Israelitis* in Deserto *Sinai* contigisse mox insinuasti?

M. Tot inter eventus, qui *Israelitis* in Deserto *Sinai* commorantibus acciderunt, eminet præfertim Legis promulgatio, a qua subinde incipiemus, indicando breviter locum, tempus, & modum, quo facta est hæc Legis promulgatio; deinde, cæteros insignes perlustrabimus eventus, qui ad eamdem *Israelitarum* in Deserto *Sinai* stationem referuntur. In primis, Deus, volens cum *Israelitis* icere sœdus, eosque sibi præ omnibus Populis adstringere, ac suum illis amorem, & singularem protectionem polliceri, jussit eis Legem, quam eis datus erat accepturis, ut se ab iniquitatibus mundarent, & vestimentis, corporibusque ablari, conjugali etiam congregatu per triduum abs linerent. Sic dispositus & preparatis *Israelitis*, Deus dedit Legem *Moysi* in monte *Sina*, vel *Sinai*, in quem ascendere, vel fines illius tangere, sub pena capitis Deus *Israelitis* inhibuerat. Hæc autem Lex data est post quadragesimos & triginta annos a vo-

catione *Abrahami*, die vero ab exitu ex *Egypto*, & a primo *Israelitarum* Paſchate quinquagesimo. Hinc apud Christianos manavit Festum Pentecostes, qua die (qua fuit quinquagesima a resurrectione Christi Domini) Nova, seu Evangelica Lex fuit, per illapsum Spiritus Sancti in Apostolos promulgata, sicut notat expresse *S. Leo* ferm. 1. De Pentecoste, ubi ait: *Sicut Hebreo quondam Populo, ab Aegyptiis liberato, quinquagesimo die post immolationem Agni, Lex data est in monte Sina, ita post Passiōm Christi, qua verus Dei Agnus occisus est, quinquagesimo a resurrectione ipsius die, in Apostolos, plebemque credentium Spiritus Sanctus illapsus est, ut facile diligens Christianus agnoscat, initia Veteris Testamenti Evangelicis ministrasse principiis, & ab eodem Spiritu conditum fædus secundum, a quo primum fuerat institutum.* Sed vide, si placet, maximum discrimen, quod intercedit inter modum, quo Lex Vetus, seu Mosaica, fuit in monte *Sinai* promulgata, & modum, quo Lex nova, seu Evangelica, in Cœnaculo Hierosolymitano promulgata est in die Pentecostes. Lex quippe Vetus in monte *Sinai* prodita est, duabus Tabulis inscripta lapideis. At, in Cœnaculo Hierosolymitano Nova Lex per Spiritum Sanctum inscripta est cordibus credentium. In promulgatione Veteris Legis auditu sunt validi tubarum clangores, quibus undique quatierbatur aer. Apparuerunt insuper densissima nubes, montem *Sinai* operiens, ignis terribilis, flammæ, fumus, incendium, fulgura & tonitrua, tamque terrifico apparatu Lex Vetus data est, ut Populus *Israeliticus*, discors, obtumurmans, ac terrore percusus, prohibitus sit, ut mox diximus, attingere montem: sed in Cœnaculo Hierosolymitano, ubi promulgata est Lex Evangelica, apparuit quidem ignis, non qui exureret corpora, sed qui mentes illuminaret. Auditus est etiam Spiritus vehemens, non terrorum, sed alacritatem afferens, robur & letitiam inferens Discipulis *Iesu Christi*, qui ideo, sicut ait Scriptura sacra, erant in Cœnaculo placidi, quieti, unanimisque deprecantes & expectantes adventum Spiritus Sancti. Si autem quæras causam istius discriminis, quod in modo utramque Legem, seu Veterem & Novam, promulgandi reperitur, non aliam certe assignare possum præter istam, quam tradunt sancti Patres. Lex Vetus, seu Mosaica, fuit Lex timoris, adeoque ad timorem *Hebreis* injustis, duræque cervicis incutiendum, terrifico apparatu debuit promulgari: at vero, Lex Nova, seu Evangelica, cum sit Lex Gratiae, Lex Amoris & Charitatis, promulgari debuit cum omni suavitate & delectatione, quam vera Christi pax, & Spiritus Sancti charitas cordibus credentium inspirare & inserere solent.

D. Sed, cur, quæso, Deus hanc positivam, seu scriptam Legem, quæ appellatur Mosaica, dedit *Hebreis*, quibus tamen ad bene vivendum abunde sufficere poterat Lex naturæ, quæ a creatione Mundi semper viguit, heretque etiamnum animis hominum penitus infixa?

M. Duplici de causa Deus hanc Legem positivam, seu scriptam, quæ dicitur Mosaica, dedit *Hebreis*. Primo, quia, sicut mox observavimus,

Deus, hanc positivam Legem condendo, sicut suum Populo Israelitico pangere voluit, atque sua erga eum peculiaris benevolentia, prædilectionis & protectionis pignus exhibere ac monumentum, quod esset ære perennius. Secundo, Populus Israeliticus, ad quotidiana Dei beneficia minime attentus, effrænatiisque naturæ, per primi hominis peccatum corruptæ, motibus, potius quam rationi obtemperans, a Deo sæpius avertebatur ad res creatas, & in Duce suum *Moysem* rebellabat. Quin, depravati & in semetipso contumeliosi, & in alios injusti, criminum omne genus, Gentilium more, patabant, adeo ut, dominante in multis carnalibus Hebreis, non fecis ac in Ethniciis, perversa concupiscentia, ferocientibus prava libidinis motibus, & omnino inferiori parte contra superiorem fese altius effidente, languesceret animi vis, labefactaretur libertas, conticesceret ratio. Quocirca, ut lex naturalis, qua apud Hebreos, sicut apud reliquos Populos, per peccatum erat pene extinta, in hominum animis revivisceret, ac rationi contra cupiditatem suppetias ferret, positiva Legge, seu Scripta, qua dicitur Mosaica, fuit a Deo renovanda, ut ope istius Legis Mosaicae Hebrei se esse peccatores, & virium suarum infirmitatem agnoscentes, recurrerent ad Medicum, seu ad Jesum Christum, verum Messiam & Mediatorem omnium hominum, quem Lex Mosaica ventrum ostendebat, ipsius opem implorarent; & per fidem ab ipso impetrarent gratiam medicinalem, & remissionem peccatorum, quam Lex Mosaica ex se dare non poterat, sicut memini, me juxta doctrinam Sancti Thomæ, Angelici Praeceptoris, exposuisse sub finem tertii Colloqui nostri in Historiam tertiae Mundi Ætatis.

D. Non certe e mea memoria exciderunt generales illæ notiones, quas Legem Mosaicam spestantes, sub finem tertii Colloqui nostri in Historiam tertiae Mundi Ætatis hodie jam incipiimus, primo Colloquio, additum promisisti specialem & accuratam expositionem rerum, que in Lege Mosaica ad bene constituantur in Rempublicam Judeorum, comprehenduntur, cujusmodi sunt Praecepta, Ritus, Sacrificia, Sacraenta, Festa, Immunditia Legales, Sacerdotum Consecrationes, & alia ejusmodi, que pertinent ad Religionem Hebraeorum. Sed, antequam hac Legis Mosaicæ capita, quibus præcipue conflat Judeorum Religio, distincte articulatimque exponas, perge, si placet, compendiofam describere Historiam rerum, que Hebreis, post Legem datam *Moyse* a Deo in monte Sinai, usque ad finem quartæ Mundi Ætatis, contigerunt.

M. Ubi primum *Moyses* Legem sibi a Deo datam in monte Sinai, ad Populum Hebraeum rulisset, eamque vidisset ab eodem Populo publicis acclamationibus, festivisque gratulationibus acceptam, Aram sub montis Sinai radicibus, suffultam duodecim titulis, seu columnis, que Deum inter & duodecim Israelitarum Tribus, lantum fœdus significabant, erexit, nullaque interposita mora, rursum montem, in quo Dominus consulebat, consendit *Moyses*, adhibitis se-

cum sociis *Aarone*, *Nadab*, *Abiud*, & septuaginta Senioribus Israelitis. Sed, hi Deum propius intueri nolentes, locum tamen, in quo Dominus, visibili quidem specie, sed mirabilis forma, & claritudine eximia stabat, viderunt. *Moyses* autem, accersitus a Domino, interiorem nubem, qua circum Dominum steterat, ingressus est, & in ea quadraginta diebus totidemque noctibus absque cibo & potu moratus, nondum construendi Tabernaculum & Arcam, Sacerdotum Ornamenta, Consecrationem, Sacrificia, cæterosque divini Cultus Ritus edoctus verbis Dei est. At, interea temporis, carnales Hebrai, diuturnioris moræ, quam in monte trahebat *Moyses* (quadraginta quippe dies apud Dominum duxerat) impatiens, compulerunt *Aarone* ad conflandum Idolum. Imminente tumultuantis Populi seditionem metuens *Aaron*, ex fusis mulierum inauribus Vitulum aureum, ad similitudinem Ægyptiorum Deorum, conflavit, consecravit, & infantienti Populo, extracta Ara, adorandum proposuit, sique semetipsum Idololatriæ criminè polluit, sicut clarius constabit ex his, que dicturi sumus in proximo Colloquio, in quo ea solvemus Dubia, que circa Historiam quartæ Mundi Ætatis tam Theologi, quam Scripturæ Sacrae interpres agitare solent. Vitulo itaque aureo furens Populus Hebraeus, suique Domini plane immemor, hostias offerre, vino, & ventri se dare, epulis, cantibus, choreis, ludo, & libidini afflatim indulgere cœpit. Quæ omnia justo dolore despectans Deus, improbum populum nisi a *Moyse* fuisse exoratus, penitus delevisset. Ad castra cito reversus *Moyse*, cum duas lapiideas Decalogi Tabulas, digito Dei exaratas, detulisset, populumque luxui, crapula, & sacrilegio deditum nactus esset, Tabulas confregit, indignam esse Gentem existimans, cui lex Domini tradiceretur; *Aarone* vehementer increpuit, Vitulum aureum folo æquavit, ac in pulverem comminutum Idololatriæ propinandum exhibit: denique, vindictam sumpturus de Idololatriis præcepit *Moyse* Levitis, ut eos districtis gladiis cæderent. Quo impetu quasi viginti tria millia hominum perempta tradit nostra Editio vulgata, lib. Exodi cap. 32. vers. 28. Sed tria tantum millia virorum in hac strage cæsa fuisse legimus in Texta Hebraico, in Versione lxx. Interpretum, in Pentateucho Samaritano, in Versionibus Syriaca & Arabica, in Paraphrasi Chaldaica Onkelosi, sicut observarunt aliqui sancti Patres, quos sequuntur *Sanctæ Pagninus*, *Malvenda*, *Cajetanus*, aliique haud pauci moderni Scripturæ Sacrae Interpretes eruditæ, quos percenset noster *Natalis ab Alexandro Art. viii. Dissertationis Anticritice*, quam edidit contra *Clau-dium Frassenum* Ordinis S. Francisci, & sacrae Facultatis Parisiensis Doctorem eximium. Præferendum tamen est, quod Vulgata nostra recenset. His peractis, Religionis zelum Levitis, qui strenuos Dei milites, & gloria ipsius vindices fœsi præstiterant, gratulatus *Moyse* rursum ascendit in montem, ubi iteratis pro Populo Hebreo, iam resipiscientia & pœnitentia sensus permoto, pre-cibus,

cibus, novas a Deo obtinuit Tabulas in eorum locum lūffectas, quas cōfregerat *Moyſes*. Quadraginta dies sine cibo ac potu cum Domino in monte postquam cōmōritorū eset *Moyſes*, descendit de monte Tabulas, Decalogum dīgito Dei scriptum continentēs, p̄ſerēt, ejusque facies, propter confortium, quod propius cum Domino habuerat, tanta claritudine renidebat, ut *cornuta* (ſicut habet noſtra vulgata Editio) appareret, id est, radios in modum cornuum ſic emittens, ut intueri eum populus non valeret. Sed, cum mandata Dei relatuſ eset, vultum, cuius ſplendorem ferre non poterat populus, velamento obtexit *Moyſes*, atque ita toti audienti populo Mandatorū, quaꝝ acceperat a Deo, exactam observantiam, promptamque executionem imperavit. Tunc annuente omni populo, nec ſolum maximam pecuniaꝝ ſumimam, iſtar capitationis iudicāt, ſolvente, ſed etiam ſpontanea denaria, armillas, & inaures, annulos, dextralia & ſpecula, aliaque id genus devotissimo animo offerente, Tabernaculum, Arca Fœderis, Altare, Mensa Propositionis, Vefles Sacerdotiales, Candelabrum, & reliqua Instrumenta, & Vafa, quaꝝ Sacrificia ſpectabant, quaꝝ *Moyſes* in monte *Sinai* verbiꝝ Dei edoc̄t fuerat, in Deserto ad montem *Sinai* fabricata ſunt a duobus peritis Artificib⁹, videlicet *Beseleel*, filio *Uri*, de Tribu Ju-dā, & *Ooliab*, filio *Achisamech*, de Tribu Dan.

D. Prinſquam de Preceptis Legis Moſaica, de ſtructura Tabernaculi, Arcæ Fœderis, Altaris Menſa Propositionis, & de his quaꝝ Sacerdotes, Sa-crificia, ceteroꝝ divini cultus ritus ſpectant, ſigillatim diſferamus, optarem vehementifime, ut non interrupto Historiæ filo, referres hic omnia, quaꝝ Hebræi, poſt acceptam Legem a Deo, con-tigerunt uſque ad obitum *Moyſis*.

M. Jam ſcio, perspicuitatem cum brevitate con-junctam tibi in ſtudio Historiæ ſacré in amore eſe, qua propter id in praefentia pro virili agam, ut omnia, quaꝝ Hebræi, poſt datam a Deo legem in monte *Sinai*, conțigerunt memoria & ſciu digna, breviter ac dilucide continuo orationis filo perſtrin-gam. Et primo quidem Hebræi, per turmas diſtributi, e Deserto *Sinai* profecti, continuo tridui itinere pervenerunt in Deserto *Pharan*, ubi Man-na cibum, quo, ut ſupra retulimus, utebantur faſtidentes, & tot tantisque beneficiis Dei ingratii, carnium deſiderio, viles, quibus in Ægypto auſſeu-erant, dapes appetere coepérunt, Deique boni-tatem graviter offendērunt. Annuit infanis eorum deſideriis Dominus, & ut in Gentem illam indo-mitam, ſaniſque confiliis ſemper male renitentem, ſevere animadverteret, immensam copiam cotu-nicum caſtris intulit, quas cum iſti helluones avi-de diriperent, primoribus labiis vix admotis carni-bus, interibant. Sic carnales Hebræi, eo, quem deſideraverant, cibo puniti ſunt, & mortis poena perculsi a Deo vindice, pravaꝝ ſuę cupiditatibus pro-meritas poenas dederunt. Præterea, *Aaron*, frater *Moyſis*, & *Maria*, ejus foror, oblocuti ſunt con-tra *Moyſem*, quod uxorem duxiſet *Sephoram*, Gente Æthyopifam, ſeu Madi-nitidem. At, Deus *Aaronem* & *Mariam* obrectantes *Moyſi*, graviter increpuit, & *Mariam* lepra percuſſit, quaꝝ extra

caſtra confeſtim ejecta eſt, & poſt septem dies, *Moyſe* orante, ſanata redit in caſtra. Tertio, He-bræi, adhuc in Deserto *Pharan* commōrantibus, res accidit luctuosa ſane, quaꝝ ipſis maximam in-tulit cladem, & *Moyſem*, atque *Aaronem* in ſum-mum vita ſcriberunt adduxit. Miſerat, jubente Deo, *Moyſes* e Deserto *Pharan* (cui vicina erat terra Chanaan, cujus poſſeſſionem Dominus pro-miserat *Abraham* & posteris eius) duodecim Exploratores ex ſingulis Tribub⁹ delectos, ut totam hanc Regionem Chananaem ſedulo perluſtrarent. Poſt quadraginta dies reverſi illi duodecim Exploratores, in haec Terram miſſi, renunciarunt, felicem omni copia rerum, ac fertiliſſimam ef-ſe illam Regionem. Decem tamen ex illorum Exploratorum numero terrore ac diſſidentia po-puli animos impleverunt, referentes ſe in Ter-ra Chanaan vidife munitas urbes, ingentibus muris oppida ciueſta, & terra illius incolas, corpore validos, & de genere Gigantium, qui-bus Hebræi compoſiti, nani, pumilio[n]es, & lo-cuſtae viderentur. Hæc audientes Hebraos ma-gna inceſſit formido, qua statim in ſeditionem erupti, eo progreſſam, ut ſpreto *Moyſis* imperio, alterum Duce[m] ſibi conſtituere pararent, cujus duci in Ægyptum reverterentur. Tunc *Josue* & *Caleb*, qui inter Exploratores fuerant, popu-lum obſeſcant & obteſtantur, ne Exploratori-bus, formidolofia referentibus, fidem adhibeat. Protestantur ſeſe una cum illis Exploratoribus haec Terram perluſtrasse, nihilque in illa metuendum reperiſſe, ſed potius maximam rerum omnia ſubtertam, & infirmas Gentium, Terram illam incolementum, vires. Denique, trepidanti populo ſpem faciunt auxilium Dei ac prædiu[m] præfen-tiſſimum habendi, ac ſubinde Hostes, contra quos dimicare debebat, præde potius quam exti-tio fore. Hac adhortatione nihil apud perduel-lem populum proſecerunt *Josue* & *Caleb*, quin- ni Deus a populo illo incredulo poenam exegiſſet, & motam ſeditionem compescuifſet, ſane mu-litudinis, illos lapidibus obruere volentis, furorē non evaſiſſent. Omnes præter *Josue* & *Caleb*, ab ingressu Terra promiſſe excluiſunt. Decem Exploratores, qui hujus ſeditionis auſto-reſ erant, a Deo ſubita morte ſublati. Hebrao-rum exercitus ab Amalecitis & Chananaeis caſuſ, fuſuſ, ac diſſipatus eſt. Circa idem tempus, ho-mo colligens ligna in die Sabbati juſtu Dei la-pidi-bus obrutus eſt. *Core*, *Dathan*, & *Abiron*, contra *Moyſem* & *Aaronem* conju-rantes, vi-vos hiatu ſuo terra absorbuit. Nec multo poſt, totius populi, in tumultu proni, orta ſeditio eſt in *Moyſem* & *Aaronem*, & ſtatim in eos catervatim mors graffata eſt, momentoque omnes inter-nectione deleti fuſſent, niſi Deus precibus *Moyſis* placatus, cladem avertiſſet, qua jam qua-tuordecim hominum millia, & leptingenti perie-rant. Volens autem ostendere Deus, quantum fi-bi placheret *Aaronis* Sacerdotiorum, illud conſirma-vit miraculo, quo virga *Aaronis*, aliis Princi-pum xii. Tribuum Israel virgis permixta, flo-ruit, & recentes edidit Amygdalas, reliquias vir-gis, ſterilibus & exſuccis remanentibus. De-buſſet

buiasset Populus Hebreus, tot plagis & stragibus a Deo punitus, sapere, & a seditione se cohíbere juxta illud tritum Adagium: *Piscator iclus sapiet.* Sed longe aliter populum illum rebellem, & sèpius contumacem in Deum, se gessisse sacra Historia narrat. Vix enim Populus Hebreus, e Deserto Pharan profectus, in Desertum Zin pervenisset, & castrametatus fuisse in *Cades*, in aper-tam seditionem, ob aquæ penuriam, profiliit, & impotenter in *Moyses* atque *Aaronem* debacca-tus est. Tunc *Moyses*, a Deo monitas, ut petram, que sitienti populo aquas sufficeret, virga feriret, semel atque iterum petram virga per-cussit. Qua in re a Domino notatus est *Moyses*, quod per diffidentiam non nisi iterato istu-a quam e silice eduxerit, &, ob hoc peccatum, *Moyses*, ejusque frater *Aaron*, ejusdem diffiden-tiae conscius, promissam Terram Chanaan non sunt ingressi, sed in ejus limine, ut mox dicemus, mortui sunt. In hoc Deserto Zin in *Cades*, *Maria*, soror *Moysis*, mortua & sepulta est, dum-que ex eo Deserto *Moyses* discedere, & Populum Hebreum per Regionem Idumæam educere para-ret, missis ad Regem Idumæorum Legatis, trans-eundi copiam rogavit, nolens, cum ea gente ob-jus sanguinis, pugnare. (Erant enim Idumæi ex stirpe *Esau*, filii *Isaaci*, Patriarchæ oriundi) Sed, Rege Idumæorum transitum negante, *Moyses* in montem *Hor*, qui est in finibus Idumææ, iter convertit, ibique excessit e vita *Aaron*, frater *Moysis*, anno ab egressione Israelitarum ex Ægypto quadragesimo, annos natus centum viginti tres. *Aaroni* successit in summi Sacerdotii dignitate *Eleazarus*, ejus filius. In hoc itinere, quo Populus Hebreus ad montem *Hor* tendebat, *Arad*, Gentis Chananæorum Regem, cum valido exercitu irrumptentem, & Hebraeorum transi-tum impedire moliente, *Moyses*, fultus Dei auxilio, debellavit, ejusque numerosum exercitum internecina clade delevit. Vistores Hebrei, & ex monte *Hor* digressi, in Terra Chanaan, pa-tribus suis a Deo promissam, se propediem in-gressuros sperabant, sed spe sua, ob varias emer-gentes difficultates, frustrati, & in diversis sta-tionibus tentoria figere coacti, tandem diuturnioris moræ impatiens, antiquas suas de cibo, potu, tædio, & fastidio querimonias refricare, ac palam *Moysi* obtrectare cœperunt. Sed illo-rum obmurmurations represserunt serpentes igniti, a Deo immisi, ac morsibus venenum inspi-rantes, quo inflammatæ femei corpora, febre ar-dentissima corripiebantur, ac complures extincti sunt. Cæteris vero, ne eamdem necem incurre-rent, consuluit *Moyses*, erigendo (in typum Jesu Christi, veri Messiæ, quem in Crucem egerunt Judæi) *Serpentem Æneum*, quem dum morsibus Serpentum percussi adipicierent, sanabantur. Post-hæc, Hebrei omnes suas curas, cogitationes, & labores ad id potissimum contulerunt, ut ho-stes, qui in Terram promissam, seu Terram Chanaan, adiutum eis præcludebant, strenue de-bellarent, atque penitus extirparent. Et primo quidem, aggressi sunt *Sehon*, Regem Amorrhæo-rum, & *Og*, Regem Basan, eosque numerofo-

licet exercitu stipatos, perculerunt, devicerunt, profligarunt, totaque illorum regione & oppidis potiri sunt. Deinde, arma verterunt in *Balac*, Moabitarum Regem, qui contra ipsos non tam aperto Marte, quam malis artibus pugnaturus accesserat. Evocaverat ad se ille Moabitarum Rex, magna proposita mercede, *Balaamum*, quemdam Mesopotamiæ Ariolum, ut Hebreis im-precaretur. Periculum advertens Ariolus, ire pri-mum recusavit; sed tandem, promissi, aurique sacra fame inescatus, ad *Balac*, Moabitarum Re-gem, proficisciit animo maledicendi Hebreis. At, dum Asinæ insidens, iter perageret *Balaam*, ecce Asina (terrata aspectu Angeli, ignito gladio armati, quem citius illa vidit quam cucus ille vates) divertit a via, sed ab hero suo, illam in viam revocare volente, verberibus contusa, ruditum suum in humanum sermonem convertit dicens her-o suo: *Quid feci tibi? cur percutis me?* .... Pro-tinus aperuit Dominus oculos *Balaam*, & vidit An-gelum stantem in via evaginato gladio, adoravitque eum pronus in terram, sicut legitur cap. 22. lib. Numerorum. Hinc *Balaam*, licet ut morem gereret *Balac*, Moabitarum Regi, Sacrificia præ-mississet, bisque conatus esset maledicere Israelitæ, spiritu tamen Dei impulsus, ter ei benedixit, & prospera queque, ipsis auguratus, adven-tum Jesu Christi vaticinatus est, dicens: *Orietur stella ex Iacob*, & *conjurget virga de Israel*, sicut legitur cap. 24. v. 17. libri Numerorum. Sed, quod fidem omnem superat, idem ille vates, qui Spiritu Sancto afflatus, ter Israelitis bene precatu-s fuerat, tanque insigne de Jesu Christi ad-ventu Oraculum ediderat, impium, & impurissi-mum suggestit *Balaaco*, Regi Moabitarum, confu-lium, ut videlicet per Moabiticas & Madianiti-cas feminas ad Idololatriam & scortationem Isra-elitas pelliceret, hisque meretricularum illece-bris ac lenociniis corruptos a veri Numinis culta-abalienaret. Placuit Moabitarum regi iniquissi-mum illud *Balaami* consilium, & statim eleganti specie puellas obtulit Israelitis, quorum quam plurimi non solum cum illis scortis turpissime volutati sunt, verum etiam, conculcato divino foedere, *Baalis*, qui & *Beelphegor*, vel *Priapus* etiam dicitur, impuris, impisque mysteriis ini-tiati sunt. Exarsit subito ira Dei in illo scelesti-fimis hominibus, jussitque Deus *Moysi*, ut cunctos Principes populi, criminis autores, alias etiam initiatos *Beelphegor*, suspendio, aut gladio inter-ficeret, cæteros vero scortatores Deus, immissa-peste, omnes ad unum una nocte extinxit, adeo ut numerus eorum, qui vel suspendio, vel gladio perierunt, vel peste sublati sunt, fuerit viginti quatuor millium, sicut narrat *Moyses* cap. 25. v. 9. libri Numerorum, dicens: *Et occisi sunt viginti quatuor millia hominum.* Tunc accidit istud egre-gium & memorabile *Phinees*, filii *Eleazari*, Sa-cerdotis, factum, quod eodem in capite libri Nu-merorum refert *Moyses*. Cum enim quidam He-breus libidinosus, dictus *Zambri*, excusso omni rubore, meretricem Madianiticam, dictam *Gosbi*, inspectante universo populo, in tentorium suum perduceret, & cum ea inverecunde & quasi in pro-patu-

patulo rem haberet, surrexit *Phinees*, pio ardore succensus, armatusque pugione irruit, & uno iuncto utrumque confixit. Hic *Phinees* Zelus, quo utriusque impudice coeuntis sanguine castimoniae lita-  
vit, fuit quidem Deo gratissimus, quia tamen acerbiores poenas promerebantur Madianitæ, præcepit Deus *Moysi*, ut in eos moveret bellum, quod statim, Duce *Phinees*, gestum est, tantaque fortitudine Israëlitæ, pietate, & justa ultiōne lucensi, adversus impurissimas illas copias pugnau-  
runt, ut in conflitu omnes Principes Madianitæ, qui erant numero quinque, ceciderint cum *Balaam* Ariolo; viri etiam omnes trucidati fuerint cum mulieribus, quæ virum noverant; folæ virgines ad triginta duo millia servatæ, & una cum pueris in servitatem abducitæ. Hoc pacio numerofissima ac bellicosissima Madianitarum Gens ab Israëlitis uno prælio prostrata ac profligata est, ne uno quidem milite in victorum castris desiderato, nulloque impune abeunte, sed singulis, ita volente Deo, acerbissimas iuæ, aut alienæ impietatis poenas dare coactis. Tandem, his consecuti, *Moyses* in monte *Nebo*, qui e Moabitidis campestribus assurgit, ascendit, ibique bene precatus populo, Legeque divina accurate comendata, diem ultimum vitæ suæ clausit anno ætatis sue centesimo vigesimo, ab exitu Israëlitarum ex Ægypto anno quadragesimo, postquam Populo Israëlitico per annos quadraginta in Deserto præfuerit. Vedit quidem *Moyses* in monte *Nebo* totam Terram promissam, sed eam ingressus non est, quod, sicut jam observavimus, eo tempore quo ut saxum feriret, & aquam produceret, ei a Deo præceptum est, post tot virtutum suarum experientia, diffiderit ac dubitaverit. Quin, sancti Patres, & Scripturæ sacre Interpretes, tradunt, ideo Israëlitas per quadraginta annos in Deserto mansisse, donec omnes, qui verbis Dei non crediderant, interirent. Exceptis enim *Josue* & *Calebo*, nemo inter Israëlitas, ultra viginti annos natus, ex Ægypto profectus, Jordanem transiit, & in Terram promissam ingressus est. Mortuo itaque *Moysi*, & sepulto in loco, qui hæcenus latuit, atque finito in tanti viri morte iustissimo Israëlitarum iuctu, *Josue*, jam a Deo & a *Moysi* subiectus, Reipublicæ Hebreorum Imperium capessivit, vir sane virtutibus *Moysis* quam simillimus, cuius res præclare seestas, sicut *Judicum*, atque *Regum*, qui Populo Israëlitico præfuerunt usque ad quartum Regni *Salomonis* annum, quo jacta sunt Templi Hierosolymitani fundamenta, opportunius referemus in Colloquio tertio, quod in Historiam hujuscem quartæ Mundi Ætatis habi-  
turi sumus. Nunc, postquam Historiam sacram a tempore quo Deus dedit Legem *Moysi*, in monte *Sinai*, produximus usque ad obitum ejusdem *Moysis*, qui Hebreorum Legislator audit, debemus continentis ordine expendere in hocce hodierno nostro Colloquio res præcipias, quæ Hebreorum Religionem, divinumque cultum spectantes, in hac Lege, data *Moysi* a Deo, speciatim conti-  
nentur.

D. Annuo lubentissime, teque de his rebus, quæ ad Hebreorum Religionem, divinumque cul-

tum attinentes in Lege *Moysi* a Deo data, speciatim continentur, differentem promis ac suspen-  
sis auribus auscultabo. Optarem tamen, ut ante dissolvetes Dubium, quod de morte *Moysis* nuperime proponebant quidam viri eruditæ, afferentes, salva & inculpata fide dici posse, *Moysen* non esse mortuum, sed potius eum cum *Enocho*, septimo ab Adamo Patriarcha, & cum Propheta *Elia* translatum fuisse in Cælum, indeque, appetente fine mundi, seu saeviente persecutione Anti-  
christi, denou venturum in Mundum cum *Eno-  
cho* & *Elia*, ut sit Christi Judici Præcursor, & tunc ferali Edicto Antichristi morti una cum *Eno-  
cho* & *Elia*, Præcursoribus itidem secundi ad-  
ventus Iesu Christi, addictum iri. Utrum igitur salva fide negari possit, *Moysen* mortuum esse, quæsto te, ut me edocere non graveris.

M. Tribus potissimum momentis, quæ hic indicare abunde sufficiet, evincitur, nullo pacto posse salva fide negari *Moysen* fuisse mortuum. Nam primo, Scriptura Sacra lib. Deuteronomii cap. 32, & ultimo diserte testatur, *Moysen* esse mortuum & sepultum in Valle Terræ Moab contra Phogor, ejusque sepulchrum usque in pre-  
sentem diem esse omnino ignotum. Mortuum etiam esse *Moysen* narrat Scriptura Sacra, lib. *Josue* cap. 1. his verbis: *Et factum est post mor-  
tem Moysis, servi Domini, ut loqueretur Dominus  
ad Josue filium Nun, &c.* Præterea, *Moysen* re-  
vera mortuum esse aperte tradunt antiqui Scriptores Ecclesiastici, quos inter *Origenes Homilia* XXV. in Librum *Numerorum*, & *Ianæ Parres*, videlicet *S. Gregorius Nyssenus* in Libro *De Vita Moysis*, *S. Augustinus*, multis in locis, sed pre-  
cipue lib. XVIII. *De Civitate Dei* cap. XI. *S. Epiphanius* Heresi IX. & Heresi LXIV. quorum agmen claudet *Rupertus*, Abbas Tuitiensis, qui libro 2. in Deuteronomium cap. 22. versans data opera id genus argumenti, sic tandem concludit: *Igitur quantiscumque quis e contrario nitatur argu-  
mentis, libere confirmamus, quia sicut Aaron, sic  
& Moyses vere & depositione corporis mortuus fit.* Ad hæc accedunt locupletissima testimonia His-  
toriorum Judeorum, quorum primus *Josephus* lib.  
4. Antiquit. Jud. cap. ult. hæc de *Moysi* scribit: *Mortuusque est (Moyses) ultimo anni mense, die  
prima mensis, qui a Macedonibus Dystrus dicitur,  
a nostris vero Adar . . . Triginta diebus luxit eum  
populus, cui nunquam trifilius quidquam accidit,  
quam tunc Propheta mors.* Alter vero Historicus  
Judeorum Scriptor *Philo* sub finem libri tertii, quem scripsit *De Vita Moysis*, hæc habet: *Hu-  
ismodi fuit vita obitusque Moysis, Regis, Legis-  
latoris, Vatis, & Pontificis, sicut sacræ Literis pro-  
ditur.* Ex his igitur momentis, e sacræ Libris, e sanctorum Patrum Operibus, atque ex antiqua &  
continua Judeorum Traditione depromptis, liquido constat, non posse salva fide negari, *Moysen* esse mortuum. Volut tamen Deus, ut locus, in quo tumulatus est *Moyses*, esset omnino ignotus, ne apud Gentem Judaicam, ad idololatriam maxime propensam, vir adeo bene de illa meritis divinos consequeretur honores, sicut cen-  
tent *Theodoreetus*, *Quæstione XLIII. in Deutero-  
nomianum,*

*nomium*, & alii. Hinc in Epistola Canonica *Jude* Apostoli legimus, *Michaëlem Archangelum* disceperisse adverteris Diabolum de corpore *Moysis*, eo quod improbissimus ille veterator locum sepulturæ Moysis vellet Judæis patescere, ut contra Dei Legem, occasionem Idolatriæ illis ministraret. Non me latet, S. *Hilarium* in cap. 20. *Matthei* in ea singulari fuisse sententia, quod *Moyses* futurus sit cum Propheta *Elia*, secundi adventus Christi Precursor; at, ex illa singulari S. *Hilarii* sententia inferri minime potest, hunc S. Doctorem existimasse, *Moysen* non esse mortuum. Fieri quippe poruit, ut *Moyses*, tempore Transfigurationis Iesu Christi, cui cum *Elia* interfuit, resurrexerit, illicque secundum corpus & animam præsens adfuerit, sub finem tamen mundi secundo moriturus regnante Antichristo, cuius furorem sanguine suo fit extinxatus. Porro, *Moysen* tempore Transfigurationis Christi resurrexisse ad tempus, & in corpore apparuisse docere videntur S. *Joannes Chrysostomus* Homilia 57. in *Mattheum*, S. *Hieronymus* in capite 17. *Matthei*, S. *Augustinus* Tractat. 124. in *Joannem*, & S. *Joannes Damascenus*, Oratione *De Transfigurati-* nihilo secius mihi magis arridet opinio S. *Thome*, qui 3. part. quæst. 45. art. 3. ad 2. docet, *Moysen* Transfigurationi Christi Domini adfuisse quantum ad animam tantum, non quantum ad proprium corpus, sed aliud ab ipso assumptum fuisse, ex altera materia virtute divina compatum, in eum sane modum, quo Angeli in assumptionis corporibus fesse spectabiles præbuerunt. Sed de morte *Moysis* dictum sat.

D. Explica nunc, si placet, res præcipuas, quæ in Lege, data *Moysi* a Deo, speciatim continentur, & in primis ostende, quanam fuerit forma tabernaculi, in quo Deus ab Hebreis coli voluit, quodque, ut superius insinuasti, extructum est juxta exemplar, quod Deus *Moysi* in monte *Sinai* monstravit.

M. Si Tabernaculi structuram, partesque singulas, quas sacer Scriptor *Moyses* a capite 25. usque ad caput 28. Libri *Exodi* accurate describit, vellem in praesentia late exponere, dies profecto me desiceret, & intra præfixos Colloquiis nostris limites me nullo pacto continere possem. Strictum itaque, sicut Historicum Ecclesiasticum decet, Tabernaculi, in quo Deus ab Hebreis coli voluit, structuram secundum præcipuas illius partes delineabo. Tabernaculum igitur, in quo Deus coli voluit, quodque *Sanctuarium* etiam dictum est, hanc formam referebat. Ædificium erat instar Templi, sed portatalis, ex lignis consecutum, quod per partes facile compingi ac dissolvi poterat, & in quemcumque locum deferri. In Tabernaculo locus erat sanctior, velo distinctus, qui *Sanctuarium* *Sanctuarii*, & *Sancta Sanctorum* appellabatur. Ibi vero *Arca Fœderis* servabatur, ex lignis Setim intus & foris deaurata, coronaque aurea circumdata. Hanc Arcam Fœderis operiebat *Propitiatorium Aureum*, quod & *Oraculum* itidem dicebatur, quia inde Deus responsa dabant *Moysi*, Aaroni, ac subinde Summis Sacerdotibus ipsum confulentibus. Utrumque latus

Propitiatoriū duo Cherubini aurei expansis alis tegebant, sese mutuo respicientes, versis in Propitiatorium vultibus. *Sancta Sanctorum* Tabernaculi foli Pontifici semel in anno pervia erant, videlicet die septima mensis septimi, quo *Festum Expiationis* celebrabatur. Præter istum locum, seu præter istam Tabernaculi partem, quæ dicebatur *Sancta Sanctorum*, erat alter locus, seu alia ejusdem Tabernaculi pars, quæ vocabatur *Sancta*, quæque complectebatur Altare Thymiamatis, ad cuius Altaris latus dextrum erat Candelabrum ductile de auro purissimo. Lucernis septem pariter aureis instructum. Ad latus vero ejusdem Altaris sinistrum erat mensa, ex lignis Setim, & auro mundissimo circumdata, in qua, ad significandum numerum duodecim Tribuum Israel, reponabantur XII. Panes sacri, qui dicebantur *Panes Propositionis*, & singulis Sabbatis mutabantur, usibique Sacerdotum cedebant. Denique, Tabernaculum habebat duplex Atrium, unum exterius, in quo slabant Laici: aliud interius, in quo erant Labrum æneum, & Altare Holocauorum. In Labro æneo manus pedesque ablue tenebantur Sacerdotes antequam Tabernaculum ingredierentur, & ad Altare, ut thymiana offerrent, accessu essent. Habes nunc paucis verbis delineatam structuram Tabernaculi, quod Deus in monte Sinai præcepit *Moysi*, ut ædificaret in gratiam Israelitarum in Deserto peregrinantium, sicut perdocte explicat Angelicus Doctor S. Thomas 1. 2. Quæst. cii. Art. iv. ad 1. his verbis: *Cultus*, inquit, *duo respicit*, scilicet *Deum*, qui colitur, & *homines colentes*. *Ipsé igitur Deus*, qui colitur, nullo corporali loco clauditus: unde propter ipsum non oportuit speciale Tabernaculum fieri, aut *Templum*. Sed homines, ipsum colentes, corporales sunt, & propter eos oportuit speciale Tabernaculum, vel *Templum* instrui ad cultum Dei, propter dñs. Primo quidem, ut ad hujusmodi locum convenientes cum hac cogitatione, quod deputaretur ad colendum Deum, cum majori reverentia accederent. Secundo, ut per dispositionem talis Templi vel Tabernaculi significantur aliqua pertinencia ad excellentiam divinitatis, vel humanitatis Christi, & hoc est, quod *Salomon* dicit lib. 3. Regum cap. 8. Si Cælum & Cæli Cælorum te capere non possunt, quanto magis Domus hæc, quam ædificavi tibi? Et postea subdit. Sint oculi tui aperti super domum hanc, de qua dixisti: Erit nomen meum ibi: ut exaudiás deprecationem servi tui, & populi tui Israel. Ex quo patet, quod *Domus Sanctuarii* (seu Tabernaculi,) non est instituta ad hoc, quod Deum capiat quasi localiter inhabitantem, sed ad hoc, quod nomen Dei inhabitet ibi, id est, ut notitia Dei ibi manifestetur per aliqua, quæ ibi siebant, vel dicebantur, & quod propter reverentiam loci orationes ibi fierent, magis exaudihibiles ex devotione orantium. Hoc, longiusculum licet, S. *Thome* testimonium hic inserere necessarium duxi, ut statim intelligas, quam falsum ac putidum sit istud commentum, quod *Joannes Spencerus*, Scriptor Anglus, obtrudere non erubuit, docens, Tabernaculum, in quo Deus coli voluit, non ex Dei

ex Dei sapientia & voluntate, sed ex prophana Gentium Religione originem duxisse. Fingit enim ille audacissimus Scriptor, longe ante Moysem, Aegyptis, aliisque Gentibus soleme fuisse, falorum suorum Numinum, seu Idolorum imagines, in thecis aut tentoriis collocatas circumferre, vel ut Deos honore singulari colerent, vel ut eos haberent indivulso viarum & periculorum suorum comites. Ad hunc superstitionem Gentilium morem, quem tollere non ita promptum erat, sese accommodasse Deum, & in Tabernaculo, quod ab Hebreis, quoquam vellent, asportari possit, habitare dignatum esse pertendit Spencerus lib. 3. *De Legibus Ritualibus Hebreorum*, Dissertatione 1. cuius errorem invictis argumentis hic breviter confutare non abs re erit. Et 1. quidem impium est dicere, Deum, quando præcepit Moysi, ut fabricaret Tabernaculum portatile, in quo habitare & ab Hebreis coli volebat, sese demississe ad prophanum illum morem Gentium, quæ suum Idolum Moloch in Tabernaculo portatili colebant, sicut supponit Spencerus. Impium, inquam est, ne quid gravius dicam, asserere Deum, qui semper Idololatriæ cultores aversatus est, atque gravissimis poenis subiecit, voluisse in his, quæ ipsius cultum spestant, se accommodare prophanis Gentium Religionibus. Deus autem præcepit Moysi ut fabricaret Tabernaculum juxta formam, quam ei in sacro monte Sinai ostenderat ac præscripterat: *Inspice* (inquit Deus Moysi cap. 25. v. 40. Libri Exodi) & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est. Quibus Domini verbis concidunt duas ineptissimæ Spenceri conjecturæ. Ait enim primo, Tabernaculi fabricam Gentis Israeliticæ voluntati & amulationi, magis, quam Dei voluntati vel precepto esse adscribendum. Quod tamen oppido falso esse constat ex citatis Scripture sacre verbis, quibus Deus in monte Sinai Moysi fabricam Tabernaculi præcepit. Secundo ait Spencerus, Fabricam Tabernaculi ab Hebreis factam esse juxta formam, quam habebat Tabernaculum Moloch, Idolum Gentium. Quod etiam tam falso est, quam quod maxime. Deus enim in monte Sinai præscripti formam Tabernaculi, in quo coli volebat, eamdemque formam capitibus 25. 26. & 27. Libri Exodi accurate descriptam habemus. At, formam Tabernaculi Moloch nullibi descriptam reperimus. Addo, nullum Spencero certum suppetere antiquitatis monumentum, quo probare possit, morem illum Gentium, Deorum suorum Imagines in Tentoriis, aut Aediculis, seu Templis portatilibus circumgestandi, esse Moyse antiquiore, vel coëcum, cum nullus Auctor, sicut jam in nostris precedentibus Colloquiis ostendimus, proferri posset Moyse vetustior, aut ei suppar, qui rerum istarum fidem faciat. Debūsset igitur Spencerus, habita ratione Historia sacre, & Antiquitatis Moyse, ultro fateri, Tabernaculum fuisse a Moyse fabricatum, secundum formam in monte Sinai a Deo ei ostensam ac præscriptam: sed postea, Diabolum, æquales divinos honores sibi arrogare volentem, Gentibus, Idololatriæ tenebris immer-

sis, inspirasse, ut Tabernacula, Tentoria, & Aediculas Numinibus suis exstruerent, ad similitudinem Tabernaculi, quod, jubente Deo fabricarat Moyse. Sed, ut dem Spencero, Thecas, Tabernacula, Aediculas, seu Templa portatilia Molochi, aliorumque superstitiose Gentilitatis falorum Numinum in usu fuisse apud Aegyptios, Ammonitas, Moabitas, alioisque Populos Idololatras, antequam Deus ab Israelitis coleretur (quod tamen non probavit Spencerus, nec ullus unquam probare poterit) inde tamen minime sequeretur, Deum, quando precepit Moyse, ut Tabernaculum, in quo ab Israelitis coli volebat, exstrueret, se ad mores Gentium demississe, & aliquam Tabernaculi Molochi formę rationem habuisse; sed potius sequeretur, Deum preceruisse, ut Tabernaculum, in quo specialiter coli volebat, fabricaretur, ad extirpandam penitus Idololatriam, & Populim Israeliticum cultui suo arctius deviciendum. Nec enim Deus, ut obiter dicam, Tabernaculum fieri jussit propter se, quasi eo indigeret, & aliquo corporali loco claudi posset, sicut visum est Populus Idololatris, qui Deos suos Templis & Simulacris astrictos & inclusos sibi perperam persuadabant: sed Deus Tabernaculum exstrui jussit propter Judæos, ob duas rationes, quas ex sancto Thoma mox adduxi. Ostendit etiam Doctor ille Angelicus primæ Secunda Quæst. CII. Art. IV. ad II. non fuisse conveniens, ut Populus Israeliticus, quandiu mansit in Deserto, non habens certam mansionem, variisque bellis, que cum finitimis Gentibus gerere cogebatur, impeditus, edificaret Templum, in quadam loco fixum, sed convenientius fuisse, ut haberet dumtaxat id temporis Tabernaculum portatile. Hæc sunt sancti illius Preceptoris verba: *Tempore David Regis, & Salomonis, Populus ille (seu Israeliticus) habuit quietissimum statum, & tunc primo edificatum fuit Tempulum in loco, quem Deus designaverat Abraham, Genesis c. 22. ut offerret filium suum in holocaustum...* Losus autem ille designari non debuit per edificationem Templi ante tempus predictum propter tres rationes, quas Rabbi Moses assignat. Prima est, ne Gentes appropriarent sibi locum illum. Secunda est, ne Gentes ipsum destruerent. Tertia vero ratio est, ne qualibet Tribus vellet habere locum illum in sorte sua, & propter hoc orirentur lites & iurgia, & ideo non fuit edificatum Templum, donec haberent (seu Judæi) Regem, per quem posset bujusmodi iurgiam compesci. Antea vero, ad cultum Dei erat ordinatum Tabernaculum portatile per diversa loca, quasi nondum existente determinato loco divini cultus. Et hæc est ratio literalis diversitatis Tabernaculi & Templi. Ratio autem figuralis esse potest, quia per hæc duo (videlicet Tabernaculum & Templum Salomonicum) significatur duplex status. Per Tabernaculum enim, quod est mutabile, significatur status praesentis vite mutabilis. Per Templum vero, quod erat fixum & stans, significatur status futurae vite, que omnino immutabilis est, & propter hoc in edificatione Templi dicitur, quod non est auditus sonitus mallei, vel securis, ad significandum, quod omnis perturbatioq[ue] tunc fuit longe erit a statu futuro. Vel per

Tabernaculum significatur status Veteris Legis : per Templum autem, a Salomonis constructum, status Novae Legis ; unde ad constructionem Tabernaculi soli Iudei sunt operati : ad edificationem vero Templo cooperati sunt etiam Genitiles, scilicet Tyrii & Sydonii. Haec tenus S. Thomas, qui a Quæstione XCVIII. Prima Secundæ usque ad Quæstiōnē CVI. De Veteri Lege, & de his omnibus quæ ad illam spectant, ad miraculum differit, & omnibus Scriptoribus, qui eo de argumēto tractarunt, palmarum præcipuit, teste *Paulo Burgensis*, in Hispania genere & eruditione inter Judæos magni nominis; deinde, abdicato Judaismo, Episcopatu Carthaginensi primum, postea Burgensi, unde ortus erat, & illi nomen adhæsit, sūisque in sacram Scripturam Commentariis celeberrimo. Ille, inquam, vir, in Iacris Literis, & Rabbiniūm Commentariis versatissimus, testatus est, dum viveret, se Veteris Testamētū in Divo Thoma medullam defacatissimam reperisse, seque beneficium vocationis ad Christi Ecclesiam debere illius Scriptis, unde sibi Fidei Catholicae veritas illuxerat, maxime ex Quæstiōnibus De Veteri Lege, quas S. Thomas in Prima Secundæ doctissime pertractat. Id obiter velim observes contra *Theophilum Raynaldum*, aliosque nonnullos S. Thomas æmulos obrectatores, qui ex mendō, quod oscitātia Typographorum irrepit in Responsonem ad sextum Argumentum, quod sibi proponit S. Thomas in Articulo IV. Quæstiōne CII. Prima Secundæ, ubi legitur, Propitiatorium fuisse Tabulam lapideam, occasionem arripiūm insultandi in sanctum Thomam, quasi ignoraverit Angelicus ille Doctor, ex auro purissimo factum esse Propitiatorium, sicut iesitur Exodi cap. 25. v. 17. & cap. 37. v. 6. ejusdem libri. Sed in hac sancto Doctori impingenda calumnia aperte illi obrectatores prodiderunt ignorantiam & malitiam suam; ignorantiam quidem, quia scire debebant, S. Thomam Lectione 1. in cap. 9. Epistola Pauli ad Hebræos diserte Propitiatorium appellare Tabulam auream: malitiam vero suam itidem demonstrarunt, quia non ignorabant, in antiquis & correctis summa Tripartitiis S. Thomas Exemplaribus Vaticanis, & Salmanticensibus, non legi loco mox a me laudato : quedam Tabula lapidea; sed legi : quedam Tabula, quæ dicebatur Propitiatorium, ex quibus antiquis & emendatis Exemplaribus compertum facile habere poterant, hunc errorem, qui in quedam Summæ S. Thomas Exemplaria irrepit, alicui imperito falsatori vel oscitanti Typographo esse adscriendum, non autem S. Thomas inurendum. Sed, quia hac de re plura dicere non vacat, leges eruditam in hunc S. Thomas locum mox citatum clarissimi nostri Joannis Nicolai, sacræ Facultatis Parisiensis Doctoris, Annotationem, in qua *Theophilus Raynaldus* pruis meritis plantino sale perbelles desificatur.

D. Eo lubentius hanc doctissimi Joannis Nicolai Annotationem legam, quod interdum adesse soleam cœtui quorūdam hominum, qui eruditione quidem pollut, sed nimium mihi videntur morosi ac superciliosi Censores, quippe qui omnes promiscue Scholasticos, ne excepto quidem

S. Thoma, Doctore Angelico, adductis labiis, corrugataque fronte carpunt, perstringunt, infestantur, afferentes eos nugis & tricis Scholæ, & vanis fatilibusque Quæstiōnibus immorari, neglecto Scripturæ Sacrae studio, cuius sensum nec assequantur, nec curent. Quam certe inquam Censuram, seu potius calumniam, saitem a S. Thoma depellunt tam illa, quam mox retulisti, *Pauli Burgensis*, Scriptura sacrae peritissimi, confessio, quam doctissima illa Quæstiōnes De Veteri Lege, quas in prima Parte sua Summa proponit ac dilucidat hic sanctus Doctor, qualque nos in Colloquiis nostris in Historiam primæ Mundi Ætatis prælibavimus, videlicet de opere sex dierum, de productione primorum parentum, *Adami* & *Eva*, de eorum dotibus, & conditione in statu innocentia. Ex his, inquam, Quæstiōnibus, de quibus S. Thomas non minus docto, quam lato differuit calamo, posset facile uniusquamque uberrimum in Pentateuchum, seu in quinque Libros *Mosis* conficere Commentarium. Spretis igitur viris illis hypercriticis, quibus solenne est omnia, quæ ad ipsorum salivam non sunt satis temperata, immitti virga & inoficioſa censura excipere, atque plusquam dictatoria auctoritate dannare, nunc etiam atque etiam te rogo, ut cetera, quibus constabat Tabernaculum, cuius fabricam Deus imperavit *Moyse*, juxta mentem & doctrinam S. Thomas explicare pergas.

M. Rerum, quæ continebantur in Tabernaculo explicationem, cum literalem, tum typicam egregie admodum Prima Secundæ Quæstiōne CII. Art. IV. ad Responsonem sexti Argumenti dat S. Thomas, Doctor Angelicus, qui, prætermis aliis Scriptoribus, qui prolixas de eodem Argumento concinnarunt lucubrations, unus instar omnium nobis esse debet. Explicationem autem literalem rerum, quæ continebantur in Tabernaculo, his verbis orditur S. Thomas : potest, inquit Angelicus ille Doctor, & horum, quibus constabat Tabernaculum, alia ratio affignari magis literalis. In Arca enim continebantur Tabulae Legis, ad tollendam Legis oblivionem ; unde dicitur Exodi cap. 28. *Dabo tibi duas Tabulas lapideas, & Legem ac Mandata, quæ scripsi, ut doceas filios Israel*. Virga vero Aaron ponebatur ibi ad comprimentam dissensionem populi de Sacerdotio Aaron : unde dicitur lib. Num. cap. 17. v. 10. Refer virginem Aaron in Tabernaculum testimonii, ut reservetur in signum rebellium filiorum Israel. Manna autem conferbatur in Arca ad commemorandum beneficium, quod Deus præstítit filiis Israel in Deserto ; unde dicitur Libri Exodi cap. 16. *Imple Gomor ex eo, id est Manna, & custodiatur in futuras retro generationes, ut norint panes, quibus alius vos in solitudine*. Candelabrum vero erat institutum ad honorificentiam Tabernaculi : pertinet enim ad magnificentiam domus, quod sit bene luminosa. Habet autem Candelabrum septem calamos (ut *Josephus*, *Hebreus*, dicit lib. 3. Antiq. Jud. cap. 7. & cap. 10.) ad significandum septem planetas quibus totus Mundus illuminatur. Altare vero thymiamatis erat insitum,

tum, ut jugiter in Tabernaculo esset sumus boni odoris, tum propter veneracionem Tabernaculi, tum etiam in remedium factoris, quem oportebat accidere ex effusione sanguinis, & oscillatione animalium. Mensa autem apponebatur ad significandum, quod Sacerdotes, Templo serviientes, in Templo victimum habere debebant: unde duodecim panes superpositos, in memoriam duodecim Tribuum, solis Sacerdotibus edere licitum erat, ut habetur *Matt. cap. 12.* Mensa autem non ponebatur directe in medio ante Propitiatorium, ad excludendum Ritum Idololatriæ: nam Gentiles in Sacris Lunæ ponebant mensam coram Idolo Lunæ, unde dicitur *Jerem. cap. 7.* *Mulieres conspurgunt adipem, ut faciant placentas Reginae Celi* (a). In Atrio vero extra Tabernaculum continebatur Altare Holocaustrorum, in quo offerebant Deo Sacrificio de his, quæ erant a populo possessa; & ideo in atrio poterat esse populus, qui hujusmodi Deo offerebat per manus Sacerdotum: sed ad interius Altare, in quo ipsa devotione & sanctitas populi offerebatur, non poterant accedere nisi Sacerdotes, quorum erat Deo offerre populum. Est autem hoc Altare extra Tabernaculum in atrio constitutum ad removendum cultum Idololatriæ: nam Gentiles intra Tempa, Altaria constituebant ad immolandum Idolis. Hæc est explicatio litteralis, quam tradit *S. Thomas*, rerum omnium, quæ continebantur in Tabernaculo, ex qua explicatione facile confutari potest insulfum commentum *Joannis Spenceri*, qui lib. 3. *De Legibus Ritualibus Hebreorum*, Dissertatione v. ausus est assertere, *Arca Fœderis*, quæ in Tabernaculo Divina præsentia sacratissimum Symbolum erat, originem arcessendam esse e sacris Ethnicorum Cistis, seu Arcis, & Cherubinos, qui expansis alis utrumque latus Propitiatori tegebant, originem itidem accepisse ab Ægyptiorum simulacris, & hieroglyphicis, quæ mysticis illorum cistis erant insculpta: hoc, inquam, insulfum, & a seculis inauditum *Spenceri* commentum facile ex ea *S. Thomæ* literali explicatione refelli potest. At enim ostendit primo *S. Thomas*, Deum ad suum stabiliendum cultum, & ad abolendam penitus Idololatriam, præcepisse ut fierent Tabernaculum, Arca Fœderis, ceteraque omnia quæ in Tabernaculo continebantur: quis autem credit, Deum, ad promovendum suum apud Israelitas cultum, & ad extirpandam Idololatriam, voluisse, aut permisisse unquam, ut sibi ab Israelitis fabricaretur Tabernaculum juxta structuram Tabernaculi Idoli *Moloch*, & in hoc Tabernaculo reponeretur Arca facta ad similitudinem mysticarum Cistarum, seu Arcarum, quibus utebantur Ethnici, cum duobus Cherubinis expressis itidem ad formam Symbolorum, seu Simulacrorum, & Hieroglyphicorum, quæ Ægyptii, aliisque Populi, Idololatriæ addicti, suis mysticis Cistis, seu Arcis, ad Diabolum in suis falsis Numinibus colendum, inscribere solebant? Præterea, hæc explicatio litteralis, quam tradit *S. Thomas*, rerum omnium, quæ continebantur in Tabernaculo, exacta est ad historicam narrationem, quam texuit *Moyses*, qui sicut in præce-

dentibus Colloquiis ostendimus, fuit primus omnium Gentium Scriptor: at vero, *Joannes Spencerus*, ut probet morem apud Aegyptios, aliquique Populos Ethnicos obtinuisse habendi Tabernacula, Cistas, seu Arcas, cum Symbolis, Simulacris, & Hieroglyphicis in honorem, & cultum falsorum suorum Numinum, citat dumtaxat Autatores, qui sunt multis seculis *Moysè* posteriores, cujusmodi sunt *Pausanias*, *Apulejus*, *Plutarchus*, *Theocritus*, *Porphyrius*, *Tibullus*, *Catullus*, *Valearius Flaccus*, *Ovidius*, ex quorum testimonio hoc unum tantummodo extundi potest, Tabernacula, Arcas, seu mysticas Cistas, Symbola, Simulacra, & Hieroglyphica apud Aegyptios, Phœnices, Grecos, & Romanos in honorem, & cultum falsorum suorum Numinum longe post Mosaica tempora in usu esse cœpisse, & Diabolum, qui non tantum simia, sed corruptor divini cultus, semper exitit, ritus sacratissimos, quibus Deus colebatur, æmula operatione ad Sacra falsorum Numinum traduxisse, illisque Ethnicis inspirasse, ut arcas quoque, seu Cistas mysticas, arcana quedam, sed impura & magica instrumenta, simulacra, obscenæ imagines, & alias id genus celantes quisquilia, in suorum Numinum Sacris adhiberent, aut etiam solemnii pompa circumferrent.

” (a) Ut vera fatear, rationes, quibus hæc vel illa in Tabernaculo fieri Deus iussit, adeo ignota sunt nobis, ut nihil congruentius asserti posse censeam, quam quod Deus ita voluerit sive ad majorem rei decentiam, sive ut commodus ea munia praestarentur, quæ agenda erant in eodem Tabernaculo; ita e. g. cum ad interiora Propitiatorii accedendum fuisset summo Sacerdoti, res poscebat, ut via recta eo ferebatur, ut libera permitteretur; ideo et medio submoveri mensam, & ad latus deflecti mandavit; nihilque ea in re esse mysterii, neque ad ritus Paganorum excludendos id a Deo mandarum iudico; cum præfertim ætate Moysis ritum Paganicum ponendi mensam ante altare Lunæ obtinuisse ignoremus. Quod postremum argumentum contra Spencerum sapienter urgetur.

D. Literalem rerum, quæ continebantur in Tabernaculo, expositionem *S. Thomæ*, magna quadam animi mei oblatione auscultavi; optarem tamen ut aliam hic proferres typicam explicationem, quam tradit Angelicus ille Doctor, earundem rerum, quas continebat Tabernaculum.

M. Tota explicatio typica, quam dat *S. Thomas*, rerum, quæ continebantur in Tabernaculo, ordinatur ad Jesum Christum, quem Tabernaculum, & omnia in eo comprehensa, præfigurabant. Sic enim habet Angelicus Doctor: Figuralis ratio horum omnium assignari potest ex relatione Tabernaculi ad Christum, qui figurabatur. Est autem considerandum, quod ad designandam imperfectionem legalium figurarum, diversæ figurae fuerunt instituta in Templo ad significantem Christum: ipse enim significatur per Propitiatorium, quia ipse est *Propitiatio pro peccatis nostris*, ut dicitur *Epist. 1. Joannis*, cap. 2. Et convenienter hoc propitiatorium a Cherubinis portatur,

tatur, quia de eo scriptum est: *Adorent eum omnes Angeli Dei*, ut habetur Epist. Pauli ad Hebreos c. i. Ipse etiam ( seu Christus ) significatur per Arcam; quia Christus fuit plenus sapientia & charitate, quæ per aurum significatur. Intra Arcam autem erat urna aurea, id est, sancta anima, habens Manna, id est, omnem plenitudinem sanctitatis & divinitatis. Erat etiam in Arca virga, id est, potestas sacerdotalis, quia ipse est factus Sacerdos in æternum. Erant etiam ibi Tabulæ Testamenti ad designandum, quod ipse Christus est Legislator. Ipse etiam Christus significatur per candelabrum, quia ipse dicit cap. 8. Joannis: *Ego sum lux Mundi*. Per septem Lucernas, septem domna Sancti Spiritus. Ipse etiam significatur per mensam, quia ipse est spiritualis cibus, secundum illud Joannis cap. 8. *Ego sum panis vivus*. Duodecim etiam panes significabant duodecim Apostolos, vel doctrinam eorum. Sicut per Candelabrum & Mensam potest significari Doctrina & Fides Ecclesiæ, quæ etiam illuminat & spiritualiter reficit. Ipse etiam Christus significatur per duplex Altare, scilicet *Holoëystorum & Thymiamatis*, quia per ipsum oportet nos offerre omnia virtutum opera, sive illa, quibus carnem affligimus, quæ offeruntur quasi in Altari Holocaustorum; sive illa, quæ majori mentis perfectione, per spiritualia perfectorum desideria Deo offeruntur in Christo, quasi in Altari Thymiamatis, secundum illud Epist. ad Hebreos c. ultimo, versu xv. per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo. Hæc est rerum omnium, quæ continebantur in Tabernaculo, typica, quam tradit S. Thomas, explanatione, ex qua colligere debes, res, quas in Religione Judæorum tanquam sacras, & ad cultum pertinentes, instituit Deus, collineasse in Jesum Christum, verum Messiam, qui omnes illas figuræ, quibus in Veteri Lege fuit adumbratus, adimplevit, sicut fuse monstravi in Tractatu, quem edidi, *De Mysteriis Jesu Christi Salvatoris nostri*.

D. Quamvis in utraque Expositione, cum literali, tum typica rerum, quæ continebantur in Tabernaculo, tradita a S. Thoma, singularem sancti illius Doctoris suspiciam in Sacra Scriptura interpretatione intelligentiam ac facilitatem, unum tamen in sanctissimi nostri Præceptoris, ne quid dissimilem, utraque explicatione, ab ipso data, offendit, quod Critici hujus temporis, ad alios Scriptores carpentes promptissimi, improbare possent. Ait quippe S. Thomas, in Arca Fœderis, quæ erat in Tabernaculo, non solum reconditas fuisse Tabulas Legis, sed etiam in eadem Arca fuisse urnam, quæ habebat Manna, & Virgam Aaronis, quæ fronduerat: id autem quo pacto cum Scriptura sacra, quam nuperrime legebam, coherere possit, certe non video. Sic enim cap. 8. v. 9. l. 3. Regum legi: *In Arca autem non erat aliud, nisi due Tabulae lapideæ, quas posuerat in ea Moyses in Horeb, quando pepigit Dominus fædus cum filiis Israel, cum egrerentur de terra Ægypti*. Et lib. v. Paratipomenon c. 5. v. 10. Nihil aliud erat in Arca, nisi due Tabulae, quas posuerat Moyses in Horeb, quando Legem dedit Dominus filiis Israel, egrident-

tibus ex Ægypto. Cum igitur juxta Scripturam sacram, essent dumtaxat in Arca Fœderis duas Tabulæ Legis, non video sane, quæ ratione potuerit S. Thomas affirmare, in Arca Fœderis, præter duas Tabulas Legis, reconditas fuisse urnam, quæ habebat Manna, & Virgam Aaronis, quæ fronduerat? Hanc, quæso, dirime difficultatem, ut contra Criticos, si quos nanciscar, illico param tam responsionem habere possim.

M. In Arca Fœderis, præter duas Tabulas Legis, repositas fuisse urnam, quæ continebat Manna, & virgam Aaronis, quæ fronduerat, afferit quidem S. Thomas, sed post Apostolum Paulum, qui cap. 9. Epist. ad Hebreos, v. 3. & 4. hac habet: *Post velamentum autem secundum, Tabernaculum, quod dicitur Sancta Sanctorum; Aureum habens Thuribulum, & Arcam Testimenti circumiectam ex omni parte auro, in qua urna aurea habens Manna, & Virga Aaron, quæ fronduerat, & Tabulae Testimenti*. Viden, non solum S. Thomam, sed etiam Apostolum Paulum aperte profiteri, in Arca, præter duas Tabulas Legis, fuisse urnam, quæ habebat Manna, & Virgam Aaronis, quæ fronduerat.

D. Video quidem, S. Thomam plane consentire cum Apostolo Paulo. Ast, ut candide fatear, necdum video, nec modum reperire possum conciliandi Apostolum Paulum cum his, mox a me citatis, Scripturæ sacræ locis, in quibus conceptis verbis dicitur, in Arca Fœderis fuisse dumtaxat duas Tabulas Legis: Aliquam itaque, si placet, indica viam, quæ monitrare possum, Apostolum Paulum, ejusque Discipulum S. Thomam, his a me adductis Scripturæ sacræ locis minime repugnare?

M. Duplex suppetit via, seu ratio, quæ ostendit potest, Apostolum Paulum ejusque Discipulum S. Thomam, nullo pacto repugnare his Scripturæ sacræ locis, quæ mox in medium adduxisti. In primis dici potest, Apostolum scripsisse, urnam habentem Manna, & Virgam Aaronis fuisse in Arca, quia juxta Arcam erant, more loquendi solemní Scripturæ sacræ, quo aliquid in loco aliquo esse dicit, quo juxta illum est. Sic Ex. Gr. legitimus in Evangelio, Christum ejecisse ementes, & vendentes e Templo, qui tamen non in ipso Templo, sed in porticu Templi negotiabantur. Sic Christus Dominus crucifixus dicitur in Hierusalem, quamvis non in urbe, sed prope eam crucifixus sit. Hoc ergo sensu Apostolus Paulus scribit, urnam auream habentem Manna, Virgam Aaronis, & Tabulas Legis fuisse in Arca: Tabulas, quidem, ut intra Arcam rapie inclusas: Virgam vero Aaronis, & urnam auream habentem Manna, tanquam juxta positas in Tabernaculo, idest, in capla Arca adjacenti, & lateri ejus exteris adhærente. In quo loco Deus cap. 31. v. 26. Libri Deuteronomii præcepit his, qui portabant Arcam Fœderis, ut reponerent Librum Genesim, dicens: *Tollite librum istum, & ponite eum in latere Arca Fœderis Domini Dei nostri, ut sit ibi contra te in testimonium*. Alia via, seu ratio, quæ ostendit potest, Apostolum Paulum, ejusque Discipulum S. Thomam, non adversari his, quæ retulisti, Scripturæ sacræ testimonii, hæc est, ut dicamus, temporibus quidem Moysis, & Regis Sa-

lomonis, solas Tabulas Legis in Arca Fœderis extitisse, sed post Salomonis tempora Sacerdotes cipientes in secretiori, tuitiorique affervare custodia tam urnam auream, quæ habebat Manna, quam Virgam Aaronis, quæ fronduerat, isthac duo monumenta in Arca, cum Tabulis Legis, reposuisse, indeque factum esse, ut Apostolus Paulus, hujus rei non inscius (utpote qui Traditiones Majorum ad pedes Gamalielis probe edocetus erat) recte scriperit, hæc tria, videlicet Tabulas Legis, urnam, quæ continebat Manna, & Virgam Aaronis, quæ fronduerat, extitisse in Arca; idemque, post Apostolum Paulum, docuerit S. Thomas, qui a doctrina illius Apostolique latum quidem unquam unquam descivit.

D. Quid continebant duæ istæ Tabulæ Legis, quæ, ut antea dixisti, in Arca Fœderis reconditæ erant?

M. Duæ istæ Tabulæ Legis, quæ in Arca reconditæ erant, complectebantur Decalogum, id est, Præcepta, quæ Deus dedit Moysi in monte Sinai, quæque descripta sunt cap. 20. Libri Exodi, & cap. v. Libri Deuteronomii. In his autem decem Præceptis, quæ his duabus Tabulis erant inscripta, quæ moralia sunt, sive, quæ ad regendos mores sunt comparata, quæcumque eriam ad Legem naturalem, & immutabilem pertinent, breviter comprehenduntur, ita ut Decalogus propriè nihil aliud sit, nisi Lex naturalis literis consignata. Sunt autem hæc decem Præcepta isto ordine disposita.

1. *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de Terra Ægypti, de domo servitutis. Non habebis Deos alienos coram me. Non facies tibi sculpstile, neque omnem similitudinem . . . . Non adorabis ea, neque coles.*

2. *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum, &c.*

3. *Memento ut diem Sabbati sanctifices . . . . qui dies Sabbati in diem Dominicum a Christianis est commutatus, in honorem Resurrectionis Christi Domini.*

4. *Honora Patrem tuum & matrem tuam, ut sis longævus super terram, quam Dominus Deus dabit tibi.*

5. *Non occides.*

6. *Non mæchaberis.*

7. *Non furtum facies.*

8. *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.*

9. *Non concupisces uxorem proximi tui.*

10. *Non domum, non agrum, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, & universa quæ illius sunt.*

Hæc decem Præcepta Dei, quibus constat Decalogus, ut memoria tuae facilius mandare possis, sequentes Versus, quibus sunt inclusa, in rem tuam libenter subjiciam.

*Unum cole Deum, nec juves vana per ipsum. Sabbathi sanctifices, habeas in honore parentes: Ne sis occisor, mæchaberis, fur, testis iniquus: Alterius nuptam, nec rem cupias alienam.*

D. Ejusmodi Præcepta, contenta in Decalogo, & ad quæ oportet omnes actiones nostras, velut ad amissum, dirigere, jam a pueri sum edo-

*Hijst. Vet. Test. Tom. II.*

ctus. Sed, si tibi molestem non esset, vellera ex te in præsentia discere compendiosam quidem, sed accuratam notitiam rerum, quæ his decem Præceptis, digito Dei scriptis, jubeantur, aut prohibeantur. Incipe ergo, queso te, ab expositione primi Præcepti Decalogi.

M. Decem divina illa præcepta non egent interpretatione: Legis enim verba debent esse dilucida, & si quem in his requiras Interpretem, sunt complures, qui hoc abunde præfiterunt. Attamen votis tuis ut faciam satis, brevem hic tibi suppedirabo notitiam rerum, quæ his decem Præceptis aut imperantur, aut vetantur. Primum itaque Præceptum est: *Non habebis Deos alienos coram me. Non facies tibi sculpstile, &c.* Hoc Præcepto prohibetur, se falsis Diis, aut ulli omnino creaturæ, sive astris aut elementis, aut animalibus, aut hominibus, aut Angelis, divinus honos deferratur, omnemque Idolatriæ Ritus, omnia superstitionum genera districte inhibentur. Ad hoc primum Decalogi Præceptum revocabatur Præceptum de diligendo Deo super omnia: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua,* lib. Deuter. cap. 6. v. 5. Hoc autem Præceptum amoris Dei super omnia Iudeos non minus in Veteri Lege, quam Christianos in Lege Evangelica obligabat. Quo fit, ut graviter errent nonnulli, qui, ut elevent obligationem Præcepti amoris Dei super omnia, ajunt, hoc Præceptum satis impleri, si factis externis Lex non violetur. His enim verbis, quibus istud amoris Dei super omnia Præceptum conceptum est, actus etiam internos præcipi certissimum est, conjunctim videlicet cum externis. Hoc itaque primum Decalogi Præceptum violatur primo ab his, qui non diligunt Deum super omnia. Secundo, ab illis, qui Solem, Lunam, ac Stellas, aut Hominem, Serpentem, Bovem, Canemve, aut horum Deorum simulacra colunt pro Deo. Denique, violatur ab istis, qui adhærent variis speciebus divinationis superstitionis, quales sunt Necromantia, Divinatio per Pythones, Geomantia, Hydromantia, Aeromantia, Pyromantia, Haruspicium, Astrologia judicaria, ieu Genethliaca, Augurium per garritum avium, Auspicium ab earum volatu, Omen, Chiroomania, Spatulomania, Metoposcopia, Physiognomia, Onirocritica, Sanationes Magice, Maleficia, & alia id genus, in quibus, etiam si non sit expressa cum Dæmonibus conspiratio, est tamen aliquod tacitum commercium, ac subinde tacita Dei abnegatio. De variis istis superstitionis divinationis speciebus legesis S. Thomam 2. 2. Quæst. 95. Art. 3. & inter recentiores Scriptores lege tres libros, quos gallico idiomate perdoce scripsit Joannes Baptista Taiers.

D. Cum in hoc primo Decalogi Præcepto tantæ diligentia vetentur fieri Imagines & Simulacra, quomodo, obsecro te, factum est, ut hodie Templæ Catholicorum plena sint Imaginibus, Simulacris, & Reliquiis Sanctorum?

M. Judæorum Populus erat crassissimus, & ad Gentium superstitionem mire proclivis, ut vix crederent quod oculis non cernerent; ideoque Lex tot verbis eos deterret longius submovens a peri.

periculo labendi in Idolatriam. Nunc vero, posteaquam per Evangelicam lucem extinctus est omnis Ethniciasmus, non est idem periculum. Praeterea, *Moses*, ut superius diximus, ex praescripto Dei duos Cherubim aureos in Tabernaculo posuit in summis Propitiatorii partibus, & in Vasis Tempoli, quod exstruxit Rex *Salomon*, sicut legitur lib. 3. Regum cap. 7. erant Boum, Leonum, & Cherubim sculptiles Imagines. Rursus lib. 2. *Paralipomenon* cap. 3. sculpuntur Cherubim in parietibus. In Mitra Pontificis erat imago Lunæ, in ejus Veste malorum punicorum Simulacra. Non est igitur verisimile Iudeis simpliciter interdictum omne genus Imaginum, sed ne more Gentium haberent simulacula, quæ proponerentur adoranda, sicut explicat S. Thomas 3. P. Quæst. 25. Art. 3. ad 1. ubi ait, hoc primo Decalogi Praecepto prohiberi adorationem Imaginum, quas Gentiles faciebant in venerationem Deorum suorum, & ideo præmittitur: *Non habebis Deos alienos coram me.* Et ideo in pluribus Ecclesiæ saeculis frequens fuit in Templis sacrarum Imaginum usus & cultus, ut Iconoclastæ, qui debitum eis cultum abjudicabant, easque frangebant, fuerint in secunda Nicæna Synodo Ecumenica tanquam hæretici anathemate perculsi atque proscripti. Concilium etiam Tridentinum sacrarum Imaginum in Templis usum atque cultum probavit & sanxit sess. 25. cap. 2. contra Lutheranos & Calvinistas, aliosque hujus furfuri Heterodoxos. Idem dicendum est de Reliquiis Sanctorum, quorum corpora, quæ fuerunt Spiritus Sancti in eis inhabitantis Templa, colimus propter animam, quæ fuit eis unita, quæ nunc in Cælis fruitur Deo, & propter Deum, cuius in terris fuerunt Ministri, & quorum Reliquias saepe numero Deus illustravit miraculis, quorum testes locupletissimi, & omni exceptione maiores sunt S. Ambrosius Epistola 8. & Sermones 94. S. Augustinus lib. 22. *De civitate Dei* cap. 8. & alii sancti Patres, qui hujusmodi miracula se vidisse literis prodiderunt. De cultu Reliquiis Sanctorum exhibendo legesis Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 2. S. Thomas 3. P. Quæst. 25. Art. 6. & Catholicos Scriptores Polemicos, qui calamum strinxerunt in Lutheranos, Calvinistas, & alios Hæreticos, qui Iconomachorum Hæresim recixerunt. Advertere tamen debes primo, Votum, cum sit actus Religionis, foli Deo fieri & promitti debere. Secundo, sacrificium soli Deo esse offerendum, foli Deo Tempa & Altaria esse erigenda. Hinc S. Augustinus lib. 8. *De civitate Dei* cap. ultimo, ait: *Sacerdos non dicit: Offero tibi Sacrificium Petre, vel Paule*, sed Deo de illorum victoriis gratias agimus, & nos vicissim ad imitationem heroicarum virtutum, quarum nobis exempla reliquerunt, adhortamur. Tempa etiam & Altaria, in honorem Sanctorum eriguntur, non ut in illis Sacrificium offeratur ipsis Sanctis, sed ut soli Deo in eorum memoriam & honorem exhibeatur Sacrificium, sicut probat S. Thomas 2. 2. Quæst. 85. Art. 2. & 3.

D. Ista profectio pro meo captu satis explanata differueristi. Nunc, quæ secundo Decalogi Prae-

cepto præcipiantur, aut prohibeantur, summarim, quæto, perfringe.

M. Quoniam divina Majestatis hoc postular dignitas, ut non solum de ea magnifice sentiant homines, nec tantum abstineant a cultu simulariorum, verum etiam, ne verbo parum reverente eam dehonestent apud homines; ideo hoc secundum Decalogi Praeceptum jubet, ut non assumat nomen Dei in vanum. *Non assumes nomen Dei tui in vanum.* Nam assuetudo leviam verborum minuit in loquentium & auditorum animis reverentiam Numini debitam. Apud Judæos tanta erat olim veneratio divini nominis, ut mysticum illud nomen, quod *Tetragrammaton* appellant, scriberent literis non effendis. Inter Ethnicos etiam fuerunt quidam sapientia laude celebres, præsertim *Plato*, *Menander*, *Iosocrates*, *Quintilianus*, *Clinias Pythagoricus*, & alii, qui censuerunt, vel omnino a juramento absinendum, vel gravissimis dumtaxat causis, & urgente necesse esse jurandum. Quanto igitur magis ad Evangelicam pietatem pertinet, ut Christiani numquam nominarent Deum, nisi genua flectendo, aut aperiendo caput, aut si neutrum liceret, modica capitis inflexione & vulnu reverentiam praeferendo. At, proh dolor! nonnulli hodie sunt Christiani, quos non pudet, prava consuetudine, tertio quoque verbo addere, *per Deum*, *per mortem Dei*, &c. sicut aut animi gratia, aut per temulentiam, iracundiamve jurare, & nomen Dei in vanum assumere, cum tamen Christus Dominus cap. 5. vers. 34. Discipulis suis prohibeat juramentum his verbis: *Ego autem dico vobis non jurare omnino.* Quod tamen Christi praecptum non ita intelligendum est, quasi nulquam jurare licet, sed cum eo temperamento id accipendum est, ut Christianus non facile juret, non pro levi, non absque necessitate, sed juramentum pro virili caveat quantum potest. Ad quam interpretationem flecti possunt quædam duriora in speciem veterum Patrum dicta, præsertim SS. Chrysostomi, Ambrosii, & Hieronymi, qui juramentum omne a Christo prohibitum innuere videntur. Ut autem juramentum sit licitum, debet fieri primo cum iudicio, id est, non tremere, & inconsulto. Secundo, cum iustitia, id est, juramentum cadere debet super materiam justam, licitam, & honestam. Postremo, juramentum fieri debet cum veritate, ita ut jurans arbitretur, non levi, sed gravi fultus ratione, verum esse, quod profert in juramento, alioqui effet perjurium. Has tres conditiones, seu circumstantias esse prorsus necessarias ut juramentum sit licitum, & evadat actus virtutis & Religionis probat S. Thomas 2. 2. Quæst. 89. Art. 3. ex Prophetâ Hieremia, dicente, *Jurabis, vivit Dominus, in veritate, in iudicio, & in iustitia.* Quæ cum ita sint, nefcio fane, quo colore possit excusari consuetudo nunc passim jurantium in omni pene negotio. Huic certe ripæ non bene creditur, quia crebro jurando pejerare discimus. Mihi videtur, Christianos jurare tantum debere, dum cogit necitas, aut negotii gravitas. Juravit quidem Paulus, sed non pro penula, aut ære, sed pro glori a Evan-

Evangelii. Sed satis haec tenus dictum sit de secundo Decalogi Praecepto, quo non modo perjurium, sed quaelibet in Deum irreverentia prohibetur praesertim blasphemia, qua Dei Majestati, providentiae, bonitati, justitiae, aliisque Attributis derogatur, & convitiis, atque imprecatiobus, Deus ipse, vel Sancti ejus lacescuntur. Prohibentur etiam hoc secundo Decalogi Praecepto infidelitas in votis, & scelus falsorum Prophetarum, atque eorum omnium qui se a Deo missos mentiuntur, & falsam doctrinam spargunt, populosque seducunt, quia, sicut illi, qui vovent quod revera implere in animo non habent, aut quod vovent, postea non implent, nomen Dei in vanum assumunt; ita Pseudo-Prophetæ, & Doctores erroris, qui peregrinas doctrinas disseminant, & alios a veri Dei cultu abducunt, nomen Dei pariter in vanum assumunt.

D. Quid juber, vel prohibet, tertium istud Decalogi Praeceptum: *Memento, ut diem Sabbati sanctifices?*

M. Istud tertium Decalogi Praeceptum spectat ad cultum Dei, cui praesertim consecrat septimum quemque diem, quo torus homo, abstinent ab omni opere servili, vacat operibus latria, hoc est, hymnis, precationibus, sacra doctrina, sacrificiis, elemosynis, aliisque exercitamentis, quæ fidem, & charitatem erga Deum excitant, ne quis excusare possit, sibi per necessarias occupationes non esse otium colligendi animum ad ea quæ sunt pietatis. Eodem Decalogi Praecepto obviandum est inclemetiae, & avaritiae Judæorum, quæ olim tanta erat, ut nullam relaxacionem darent servis, ancillis, & mercenariis adversis. Quam Judæorum avaritiam, & inclemetiam utinam non imitarentur quidam Christiani, qui die septimo, cultui Dei speciatim consecrato, servos, & ancillas suas quiescere non sinunt, sed externis atque operibus servilibus addicunt, ut inde temporale aliquod emolumendum percipere possint.

D. Quid intelligis per opus servile, quod isto Decalogi Praecepto prohibetur?

M. Per opus servile intelligo opus externum, quod quæslus gratia solet exerceri, velut arare, fabricare, negotiari &c. Opus autem externum non prohibetur, quasi virtuosum sit, cum potius per se sit bonum, sed eo fine prohibetur, ut quod per se bonum est, cedat ei, quod optimum est, felicitet ei, cuius gratia præcipue conditus est homo, videlicet ut cognoscatur, veneretur, colat, ametque Deum super omnia. Quamvis enim homo possit & debeat mediis in laboribus Deum colere, & amare super omnia, vix tamen potest animum, ut par est, in Deum attollere, nisi liber sit ab his laboribus, & negotiis, quæ & tempus absument, & magnam animi partem sibi vindicant. Diem iraque qui quis Deus hominibus indulxit, ut per illud exterrum otium disserent animum habere a tumultuosis cupiditaribus seriatum, videlicet ab odio, ab ira, a crapula, ab ambitione, a libidine, & ceteris carnis affectibus. Quapropter, viderint illi Christiani, qui diem illam quietis vel sonno, vel fabulis, vel

inertiae dant, aut ingluvie, temulentia, aliisque peccatis contaminare audent; viderint, inquam, illi Christiani, quo pacto servent hoc Praeceptum de sanctificatione Sabbati, non praestantes hoc, cuius gratia Praeceptum istud proditum est a Deo, his verbis: *Memento, ut diem Sabbati sanctifices.* Sanctificare enim, est sanctis operibus diem transfigere, nec ullis, Deo indignis, actionibus prophanare.

D. Quorsum Deus ad id designavit diem septimum, qua dicitur dies Sabbati?

M. Diem septimum Deus ideo delegit, quia (sicut legitur Exodi cap. 31. v. 17.) *sex diebus fecit Dominus celum, & terram, & in septimo ab omni opere cessavit;* non quod Deus post Mundi fabricam, sex dierum spatio absolutam, quasi laetitudinem suam septimo die voluerit otio recreare; (apage tam crassam & indignam Deo imaginationem) sed voluit Deus, ut nos perpetuo recordaremur, quod hic Mundus ab ipso conditus sit, non ut in his, quæ hujus Mundi sunt, conquesceremus, sed ut ex his, quæ condita sunt, agnoscentes conditorem, ad illius exemplum conquesceremus ab amore rerum visibilium; ac per fidem, vitæque innocentiam, quæ vera animi pax est, ad illam æternam quietem, quam habebimus in Cælis, properaremus. Sunt enim quodammodo tria Sabbathæ. Primum fuit Dei sine nobis in creatione Mundi. Secundum est nostrum per Dei beneficentiam, sed imperfectum in hac vita. Tertium est absolutum in futuro sæculo.

D. Sæpius audivi te dicentem, Mosaicam Legem, quod ad cærimonias attinet, abrogatam esse. Istud autem de sanctificatione Sabbati Praeceptum maxima ex parte videtur ad cærimoniarum genus pertinere; debet ergo nunc in Lege Evangelica esse penitus antiquatum.

M. Praeceptum de sanctificatione Sabbati est partim naturale & morale, & partim cærimoniale, sicut docet S. Thomas 2. 2. Quæst. 122. Art. 4. ad 1. Naturale est istud Praeceptum de sanctificatione Sabbati, quantum ad hoc, quod homo certum viræ sua tempus determinet ad publice colendum Deum, non solum cultu externo, sed interno; & sic tale Praeceptum viget adhuc in Lege Evangelica. At, cærimoniale est istud Praeceptum de sanctificatione Sabbati, quatenus designat speciale tempus, id est, diem hebdomadæ septimam, seu diem Sabbati in signum & memoriam creationis Mundi. Quo fit ut illa determinatio diei septimæ, seu Sabbati, cum fuerit cærimonialis, ab Ecclesia fuerit immunita in diem Dominicam, non ex vi Praecepti Legis, sed, ut ait S. Thomas, Quæst. mox a me citata Art. 4. in Responsione ad quartum sibi propositum argumentum, ex Constitutione Ecclesiastica, & Populi Christiani confutundine.

D. Sed cur, quæso, Ecclesia hanc diem septimam mutavit in diem Dominicam, quæ apud Judæos est prima dies hebdomadæ?

M. Hujus mutationis, quam Apostolorum Autoritate factam esse docent bene multi Theologici, & Scripturæ Sacre Interpretes, duplex

potest afferri ratio. Prima est, ne in hoc consenserint cum Iudeis, videremur, & in reliquis consentire. Hinc S. Chrysostomus miro studio deterret Christianos, ne iisdem diebus jejunarent, quibus solemnie erat Iudeis jejunare. Altera ratio est, quia Deus quodammodo bis condidit Mundum, & in hoc hominem. Primum enim creavit quod non erat, utique per Filium suum Unigenitum. Dein, per eundem Filium suum incarnatum, hominemque factum, restituit quod perierat: ibi dicitur requieuisse ab omni opere condendi; hic Christus ab operibus dispensationis requiescens, dum corpore requiescebat in sepulchro, velut abrogat Iudaicum Sabbatismum, dumque diei Dominicæ diluculo resurgit immortalis, Sabbatum Evangelicum nobis commendavit, & ea de causa dies ille dicitur Dominicus, & in eo cantat Ecclesiasticus Chorus: *Hic est dies, quem fecit Dominus.* Dicitur etiam Pasche dies, ipso vocabulo nos admonens veteris typi. Iudei, refecti Aeno Paschali, transferunt Mare Rubrum: nos refecti sanguine Christi tendimus ad Terram Cælestem. Illos Agni crux, illitus postibus eorum, servavit ab Angelo exterminatore: nos Christi sanguis liberavit a tyrannide peccati. Vide, quam mire isthac quadrent per ornia. Sed de Sabbato hic plura non dicam, cum de ejus institutione, & de illius ad Ethnicos propagata cognitione meminerim, me haud pauca observasse in Colloquio tertio in Historiam primæ mundi atatis.

D. Quo pacto intelligendum est istud quartum Decalogi Præceptum: *Honora patrem tuum, & matrem tuam, ut sis longævus super terram, quam Dominus Deus dabit tibi?*

M. Secundum Deum primus honor debetur parentibus, per quos Deus nobis hoc vitæ munus dedit, quorum cura nos educavit, per quos nos insituit ad cognitionem Dei, summi parentis omnium, & ad charitatem ipsius exexit. Quocirea præcipit Deus, ut honoremus patrem, & matrem. Quo præcepto adstringantur filii ad honorem, reverentiam, amorem, & gratiarum relationem, quantum fieri potest, atque necessaria vita præficia parentibus indigentibus ultro impendenda. Hoc quippe officium in parentes repensatio quedam est impendiorum, molestiarum, ac laborum, quos nobis infantibus impenderunt; dum mater fert tempus gestationis, pariendo, munus lactandi, & nutriendi: longarum item curarum, quas pater tolerat, sumptus sugerens, & omnem exhibens curam, ut liberi ad pietatem erudiantur. Quando igitur parentes, vel aetate defecti, vel quodam adverso fortunæ casu dejecti, egent filiorum auxilio; tunc filii tenentur prætentissimum eis afferre subsidium, quod præstant quedam animalia, seu Ciconiæ, quæ parentes senio lassos gestare vicissim ac fovere solent. Apud Ethnicos etiam laudatur Æneas, qui patrem Anchisen humeris sublatum extulit ab urbis Troja incendio. Pietas enim proprie dicitur affectus in Deum, in parentes, ac patriam. Reserre gratiam iis, per quos vitam vel accepimus, vel recuperavimus, pietatis est. Bene mereri de his, qui prius de nobis bene meriti sunt, gratitudinis est. Præceptoribus autem eximiā debemus gratiam, quod sicut per

parentes contingit ut vivamus, ita per hos contingit ut bene vivamus, & quemadmodum illis corporis vitam ferimus acceptam, ita his debemus animi vitam. Porro, quod de parentibus dico, pertinet itidem ad omnes, qui nobis sanguinis propinquitate juncti sunt, aut qui ea præstiterunt officia, quæ parentes pii solent suis præstare liberis. Addo denique, istud Præceptum non solum ad parentes, verum & ad Episcopos, Reges, Præceptores, Magistratus, & Heros, seu Dominos, qui servos habent, pertinere. Quibus enim jubetur respondi honor, hi eadem opera jubentur ea præstare officia, quibus magna debetur gratia.

D. Ergone longævi sunt omnes qui pie colunt parentes?

M. Longævam vitam, tanquam præmium pietatis erga parentes, promisit quidem Deus crassis Iudeis, qui spe comodorum temporalium, velut infantes, alliciendi erant ad officia pietatis. Duriter quippe habiti in Ægypto, longisque per Deserta itineribus fatigati, miro desiderio inhabant ad terram, a Deo eis promissam, lacte & melle fluentem, eoque adjectum est: *Ut bene sit tibi, & longævus sis super terram, quam Dominus Deus dabit tibi.* Verum, quamvis Deus det sæpe numero in hac vita præmium pietatis erga parentes, non hic tamen expectandum est illud pietatis præmium, sed in illa terra viventium. Vitam debemus progenitoribus, in quos si grati fuerimus, æquum est, ut eo, quod accepimus, diu fruamur. Nec hi tamen falluntur promisso, quibus hic non contingit vita longævitatis. Aut enim hoc datur, quod juxta hujus Præcepti literam promissum est, aut aliquid illo multo præstantius. Neque enim fallit, qui pollicitus vitrum, dat gemmam. Filios autem, qui non colunt parentes suos, ut par est, Deus etiam in hac vita punit. Nam, præter jaætrum, quam faciunt, famæ suæ, negligendo, ac contristando progenitores suos; sæpe etiam fit, ut qualem quisque se præstiterit parentibus suis, tales erga se habeat liberos, nec est alia gravior homini calamitas, quam habere filios impios. Meretur autem ingratitudo, ut quod immerens accepit, invitus amittat. (a)

(a) Temperare me non possum, quin illustrando huic loco de obsequio in parentes exhibendo afferam Canonem quendam jurisprudentiaz apud Indos receptæ. Ferunt enim apud Gentem illum filios patris sui quantumvis sceleristi, ac crudelis erga eosdem, ut vel illos injuriis, & vulneribus afficerit, adhuc tamen teneri debita ejus omnia exacte solvere, nec posse etiam abrenunciata hereditate ab eo obsequio in parentem præstante se liberare; majorem enim esse ditat filiale reverentiam, quam ut a parentum saevitia extundi possit. Idem pariter tenent de patre erga filios, quem nulla ratione exemptum pronunciat, ut hereditate sua filios privet. Vide librum Gallicum *Recueil d'Observations sur les Mœurs &c.* Parisiis editum an. 1749. tom. 1. pag. 227.

D. Explica nunc, si placet, istud quintum Decalogi Præceptum: *Non occides?*

M. Hoc quinto Decalogi Præcepto prohibetur Homi-

Homicidium, seu hominis occisio. Pluribus autem modis potest contingere homicidium. Calumniator pro gladio, jaculo & veneno, utitur lingua ad occidendum hominem. Avarus, dum agenti non succurrat, fame occidit. Maleficæ perimunt incantamentis. Maledicusch ad mortem adigit. Puellæ, quæ ex crimine conceperunt, &c, ad vitandam infamiam, carent abortum, et si fœtus inanimatus supponatur, infanticidium committunt. Parentes etiam, qui infantes abiciunt & exponunt, tametsi ab aliqua præterente misericordia colligantur, violent quantum istud Decalogi Præceptum. Quisquis, ob sui honoris defensionem, hominem, vel clam, vel in duello, seu singulari certamine occidit, aut impactam sibi alapam, vel calumniam, cæde proximi vindicat, homicidii reus est. Qui sibi necem conficit, ne infamia sua sit superflua, patrat homicidium, sicut multis argumentis probat S. Augustinus lib. 1. *De Civitate Dei* cap. 17. 18. 19. 20. 21. 22. & seq. Si quis furem, pecunias, aut quælibet alia fortuna bona rapientem, ad hujusmodi bonorum defensionem & conservationem, occidit, homicida est, nisi sit fur nocturnus, de quo justa suppetit dubitandi ratio, an ad occidendum venierit; aut sit fur diurnus, qui se telo defendat. Denique, hoc quinto Decalogi Præcepto non tantum prohibentur cædes, sed mutilatio & vis quælibet proximo illata, odium inimicorum, ira, vindicta, aliquie affectus, qui ad homicidium tendunt, suntque ad omnem occasionem parati ad lædendum.

D. Si nullo pacto liceat occidere, quid dicimus de bellis ac publicis judiciis?

M. In legitimis judiciis Lex ipsa occidit, non Judex, qui tenetur judicare, ut docet S. Thomas, secundum allegata & probata. Lex autem a Deo est, jubens unum membrum tolli ob totius corporis incolumitatem. In bellis quoque judee suscepisti, & legitime gestis, lex occidit, non homo. Cæterum Princeps, qui non necessitate, neque Reipublicæ studio, sed ob privatos effectus, bellum fulcitur, violat quantum istud Decalogi Præceptum: *Non occides.*

D. Quid, si quis privatus occidat invadentem? Numquid etiam violabit quantum istud Decalogi Præceptum: *Non occides?*

M. Nemini privato, sive per Legem Mosaiacam, sive per Legem Evangelicam, licet, etiam sese contra invasorem defendendo, animum habere quemquam occidendi. Sed, si quis, dum invasoris iustum avertit, hunc ense feriat, non ei veri criminis debet, quia nihil ea in re facit, nisi cum moderamine inculpare tutela, ut loquitur S. Thomas 2. 2. Quæst. 64. Art. 7. Et ideo, inquit Angelicus ille Doctor, si aliquis, ad defendendam propriam vitam, utatur majori violentia, quam oporteat, erit illicitum. Ad hoc autem ut liceat capitatis periculum exitio certam mortem intentantis depellere, multæ conditions requiruntur, quas persequi non est hujus instituti. Quin, S. Augustinus, & quidam antiqui Patres existimant, eum, cui certa mors intenditur; nec ullum est effugium; non ad sui defensionem profilire, sed Dei

*Hist. Vet. Test. Tom. II.*

auxilium implorare debere; ita ut, si malit occidi, quam occidere, Christiani hominis officio egregie fungatur.

D. Quid prohibetur hoc sexto Decalogi præcepto: *Non mœchaberis?*

M. Hoc sexto Decalogi Præcepto prohibetur præcipue *Adulterium*, quo alterius constupratur uxor, eodemque Præcepto vetatur omnis extra legitimum matrimonium Veneris usus, seu quilibet carnis coitus nefarius. Quod genus sunt *Fornicatio*, quam simplicem vocant, viri scilicet soluti cum soluta itidem muliere concubitus; *Stuprum*, quo virginis integritas violatur, ideoque simplici fornicatione gravius est: *Raptus*, quo mulier quavis, contra suam voluntatem, ad concubitum opprimitur, vel invita abducitur; *Sacrilegium*, quo quis emissum a se votum castitatis opere violat, vel cum persona Deo castitatis voto consecrata commiscetur: *Incestus*, quo quis effreni libidine cum consanguinea, vel affini copulam habet, quibus addi debent peccata contra naturam, quæ sunt monstra libidinis, videlicet *Mollities*, seu pollatio; *Venus mascula*, seu sodomia; & *Bestialitas*, seu coitus cum brutis animalibus. Denique, hoc sexto Decalogi Præcepto prohibentur talius, asperitus impudici, verba obscena, oscula libidinosa &c.

D. Multum sane mihi placet decens ille ordinatio sex illorum Decalogi Præceptorum, quæ haec breviter explananti. Tria squide primæ Decalogi Præcepta pertinent ad Deum, quo nihil melius aut carius. Quartum Præceptum ad parentes, quibus secundum Deum honos debetur. Quintum ad vitam & corpus, quæ possessio unicuique carissima est. Sextum ad uxorem, quæ est una caro cum viro. Perge nunc explicare septimum Decalogi Præceptum, & indica, quid eo prohibeat.

M. Septimum Decalogi Præceptum his verbis conceptum est: *Non furtum facies*, pertinetque ad externa bona, sine quibus tamen vivere haud possumus. Quocirca, qui pauperem spoliat necessariis, fur est. Qui res inventas legitulo Domino non restituit, furti reus est. Qui iniquas exactiones imponunt, suggerunt, vel iusta vestigalia inæqualiter distribuunt, vel amplius exigunt, fures sunt. Judges, qui venalia judicia exercent, munera accipiunt, vel emungunt & extorquent, ut lites in alterius partis favorem dirimant, aut prorogent, fures sunt. Qui defraudent operariorum mercedem, ut vel in longius, quam par est, tempus solutionem ejus de industria magno eorum incommodo protractant, furti rei sunt. Fœneratores, seu Usurarii, qui aliquid lucri supra fortem, seu summam principalem, percipiunt vi & causa mutui, fures sunt & latrones. Peculatores, qui supplicant ex æario publico; sacrilegi, qui res sacræ auferunt; hi, qui abducunt aliena jumenta, aut pecudes, Plagiarii, qui abducunt aliena mancipia, seu liberos; Piratae, & prædones, qui vi ac belli specie spoliant homines, nec non illi, qui clam aliena surripiunt; hi, inquam, omnes quotquot sunt, furti crimen incurront. Sed varia istæc

furtorum genera nulli non sunt notissima. Alia autem sunt tectiora quidem, sed non minus atrocia.

D. Quæso, quænam sint ista furtorum genera, tectiora quidem, sed his, quæ mox recensuisti, non minus atrocia?

M. Qui mutuum, ac commodatum, aut depositum accepit, retinetve hoc animo, ut si posset, nunquam reddat, non minus fur est, quam is, qui, effractis scriniis, rem alienam auferet. Similiter & operarius, aut non præstans id quod pollicitus est, aut decem diebus absolvens quod poterat quinque, si mercedem integrum accipit, fur est. Hi, qui monetam publicam arte redunt detersorem, aut gemmas ficticias vendunt pro nativis, aut simili fuso deludunt proximum, vel qui suas merces vendunt, non quanti debent, sed quanti possunt, vel qui vinum, multa dilutum aqua, pro mero vendant, fures pariter sunt. Idem dicendum est de molitoribus, pistoribus, vestiariis, qui rem alienam vel subtrahunt, vel vitiant. Jam vero, quid attinet dicere de monopolis, qui frumenta emunt & recondunt, ut ea, ingravescente annonæ, majori quo poterunt pretio divendant? Certe ejusmodi homines esse pestes Reipublicæ, & immanis furti ac rapinae reos nemo negare potest: Breviter furtum est, quidquid cogeris restituere, si adsit facultas. Nam fur est, qui bona fama spoliat hominem, & qui puellæ simplicem animum astu corruptit.

D. Quid prohibetur isto octavo Decalogi Præcepto: *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium?*

M. Sicut in quinto Decalogi Præcepto nomine homicidii comprehenditur omnis læsio proximi, ita in hoc octavo Decalogi Præcepto sub falsi testimonii titulo continetur noxa omnis, qua per linguam afficimus proximum. In hunc scopulum impingunt omnes, qui vel obrectando, vel adulando, vel subdolis consiliis, vel corrupta doctrina, quam disseminant, nocent proximo. Hoc etiam octavo Decalogi Præcepto non tantum vetatur falsum testimonium quod adversus proximum in judicio profertur, sed etiam omnis omnino judicij pervercio, & corruptela, seu verbis, seu factis, seu instrumentis, facta a testibus, accusatoribus, delatoribus, reis, Judicibus, advocatis, Notariis, Procuratoribus &c. prohibetur. Item eodem Decalogi Præcepto inhibentur calumnia, detracatio, susurratio, murmurationis, famosorum, seu dentatorum libellorum conscriptio, aut divulgatio, nec non omnia mendaciorum genera, quæ nunquam licita esse, etiam si sint tantummodo jocosa & officiosa, probat invicte S. Augustinus duobus libris, quos edidit *adversus Mendacium*, a qua S. Augustini doctrina quidam moderni laxiores Calusistæ desciscentes, & restrictionum mentalium, ancipitisque significacionis verborum usum licitum esse, sibi, aliisque, ad excusandas excusationes in peccatis, persuadere volentes, a Sede Apostolica jure optimo fuerunt proscripti.

D. Duo, quæ sequuntur Decalogi Præcepta,

nonum videlicet, & decimum, non mihi videntur a præcedentibus Decalogi Præceptis discrepare. Sic enim habet nonum Præceptum: *Non concupisces uxorem proximi tui*. Quod pertinet ad sextum Decalogi Præceptum: *Non mæchaberis*, quo, sicut superius dixi, prohibetur adulterium. Similiter, decimum Decalogi Præceptum his verbis continetur: *Non concupisces domum proximi tui, nec agrum, nec servum, nec ancillam, nec bovem, nec asinum, & universa, que illius sunt*. Quis autem non videret, ejusmodi Præceptum pertinere ad septimum Decalogi Præceptum: *Non furtum facies?* Ut quid ergo, quæso te, opus erat his duobus postremis Decalogi Præceptis? An non qui malum facinus prohibet, eadem opera prohibet malam voluntatem, seu cogitationem, desiderium, & concupiscentiam faciendo malum?

M. Datum est hoc ruditati Populi Judaici, qui quoniam præva voluntati, seu concupiscentiæ, & cogitationi faciendi peccatum non est præstituta pœna per Legem Mosaicam, crediturus erat, voluntatem, seu concupiscentiam, internaque cogitationem deliberatam committendi vel adulterium, vel furtum, non esse peccatum, quia prædicta voluntas, seu interna cogitatio, apud homines est impunita, non quia non sit crimen, sed quia volubilis est hominis cogitatio, & factum probari potest, voluntas vero, seu interna cogitatio soli Deo est cognita. Ut igitur Deus crassos Judæos ab hoc errore retraheret, postquam sexto Decalogi Præcepto prohibuit Adulterium, & septimo Furtum: tandem nono Decalogi Præcepto prohibet prava desideria, & nefarias cogitationes, quibus aliquis concupiscere & desiderare posset uxorem alterius. Similiter, decimo Decalogi Præcepto prohibet voluntatem, qua quis concupiscit, appetit, & inordinate desiderat habere, aut rapere aliena bona. Hinc Christus Dominus, alludens ad finistram illam interpretationem, quia crassi quidam & carnales Judæi Legem corrumpebant, ait Matth. cap. 5. v. 27. & 28. *Audistis, quia dictum est antiquis: Non mæchaberis. Ego autem dico vobis: quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiscentium eam, jam mæchatus est eam in corde suo.* Præva itaque cogitationes adulterii, furti &c. si in iis homo delectetur, vel eas, ut par est, vigili studio depellere, atque extingue non satagat, sunt peccata, quamvis etiam ab operibus abstinere decreverit. Quam in rem extat præclara *Minuui Felicis* in *Octavio sententia*, dicta contra Ethnicos: *Vos sclera admissa punitis: Apud nos, seu Christianos, & cogitare, peccare est.* Ceterum, recolere debes id, quod satis sufe ostendimus in secundo nostro Colloquio in Historiam primæ Mundi Ætatis, videlicet primos concupiscentiæ motus, qui, ratione inconsulta, & nequaquam consentiente, sed penitus invita, erumpunt, peccata non esse, ac subinde nec habitualem concupiscentiam, nec motus plane indelibertos prohiberi duobus istis postremis Decalogi Præceptis. Ecquis enim (nisi sit peccati originalis expers, vel jam in patria immortalis vita

vite particeps) hos indeliberatos concupiscentiae motus, qui sunt peccati originalis appendices, non persentia? His itaque duobus postremis Decalogi Preceptis prohibetur dumtaxat, ne illis concupiscentiae motibus assensum praestemus, & ad hoc Apostolus *Paulus* Epist. ad Romanos cap. 10. v. 12. nos adhortatur his verbis: *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus.* Sed de Preceptis Decalogi si plura scire aveas, leges Sanctum *Thoman* 1. 2. quæst. C. Art. 3. 4. 5. 6. 7. & 8. D. Præter decem illa Decalogi Præcepta, quæ mox exposuisti, præscribitur Lex Mosaica alia Præcepta, ad quorum observationem obstringentur Hebrei?

M. Præter ista Decalogi Præcepta, quæ sunt moralia, seu naturalia, Lex Mosaica præscribit alia Præcepta, quorum quædam dicuntur *Ceremonialia*, & ordinantur ad cultum Dei; quædam vero nuncupantur *judicialia*, seu forensia, quæ ad ordinem & conservationem Reipublicæ Hebræorum sunt præscripta. Agemus hic primo de Veteris Legis Ceremoniis, que, ut docet *S. Thomas* 1. 2. Quæst. CI. Art. IV. convenienter dividuntur in Sacrificia, Sacra, & observantias.

D. Incipiamus, queso, a Sacrificiis Legis Mosaicæ, & ostende, quid isthac Sacrificia figurarent, & unde nata sit eorum origo?

M. Legis Mosaicæ Ritus omnes, tum maxime Sacrificia, Christum Dominum in Cruce immolandum, & pro generis humani redemptione cum totius sanguinis effusione immolandum, prefigurabant, & ideo in Veteris Legis Sacrificiis manifestabatur vivum animal, ejusque sanguis effundebatur ad placandum & colendum Deum. Unde autem nata sit illa consuetudo macandi viva animalia in laudem & honorem Dei? Respondet *Joannes Spencerus*, hanc consuetudinem profluxisse ex prava opinione & ruditate Gentium. Vult quippe ille Scriptor, Deum Sacrificiorum Ritus, quos Judei in Ægypto viderant, & ab Idolatriis didicерant, tolerasse emendatos, eosque in Republica Hebreorum in sacratiorem usum evxisse. Verum, vanam esse & oppido falsam hujus Scriptoris conjecturam, tribus momentis evinci potest. Primo, quia verisimile non est, Deum eosdem, quos Ægyptii suis Idolis deferebant, sibi honores postulasse, &, cum solemnum suum apud Hebreos cultum institueret, non maluisse verum & novum ordinare ac prescribere cultum, quam emendicare falsum, & antiquitus prophanatum a viris sibi infensis, utpote Idolatriæ cultoribus. Secundo, originem Sacrificiorum altius reperendam esse quam ab Ægyptiis, patet ex precedentibus nostris Colloquiis, ubi ex Scriptura Sacra ostendimus, ab antiquis Patriarchis, ab *Abele*, a *Noemi*, ab *Abrahamo*, *Melchizedecko*, *Jobo*, &c. oblata esse Sacrificia, que Deo placuerunt. Denique, ea fuit veteris Legis Sacrificiorum ratio, sicut constans est omnium sanctorum Patrum, cum Græcorum, tum Latinorum doctrina, ut instituta sint in symbola & typos mortis Christi. Debuit ergo Deus illa Sa-

crificia ordinare, & prescribere Ritus eorum quod tamen non fecisset Deus, si Sacrificiorum origo, ut censem *Spencerus*, fuisset a Demonibus profecta. Non indigebat quidem Deus istis Mosaicæ Legis Sacrificiis, ut sanguinem Hirorum potaret, & manducaret carnes Taurorum. Sanguis etiam brutorum animantium purgare haud poterat animam peccatricem, sed representabat preciosum Sanguinem Iesu Christi, quo vere mundati sumus. Placebant itaque Deo Veteris Legis Sacrificia, quoniam sibi fieri postulabat, sed quantum erant signa & simbola Sacrificii, quod Christus Dominus, ejus Filius Unigenitus, ei in Ara Crucis offerre debebat, & in quem collimabant omnia Veteris Legis Sacrificia.

D. Cum varios sciam fuisse Sacrificiorum Veteris Legis Ritus, supervacaneum esset in explicandis Ritibus, cuique Sacrificio propriis, multum hic terere tempus. Abunde itaque sufficiet mihi, ea a te circa Sacrificia Veteris Legis scire, que de omnium Sacrificiorum speciebus, & singulorum Ritibus habent sacri Codices. Ex his autem, que mox dixisti, probe intelligo, Sacrificium in Lege Mosaica fuisse maclationem vivi animalis, & per hanc maclationem ostendisse Iudeos, se per peccatum commeruisse mortem eternam, a qua tantum liberari poterant, non per sanguinem animalium, quem in Sacrificiis effundebant, sed per Sanguinem Christi, quem sparsus ille animalium sanguis representabat. Sed nunc indica, queso, quenam esset Veteris Legis Sacrificiorum materia animata, vel inanimata?

M. Materia animata Veteris Legis Sacrificiorum consistebat in animalibus, que Deo in Sacrificio offerebantur. Ex his autem animalibus munera tantum, eorumque octo dumtaxat species, Altari suo Deus admoveri jussit, videlicet Oves, Boves, Capras, Hædos, Vitulos, Columbas, Pafseres, & Turtures, sicut legitur Lib. Levitici cap. 1. 2. 10. & 14. Materia vero Veteris Legis sacrificiorum inanimata erat, panis, simila, spicæ, vimini, sal, oleum, & thus, sicut præscriptum est Lib. Levitici c. 2. v. 1. Sacrificia, que ex materia animata, seu ex mundis animalibus Deo offerebantur, his ceremoniis peragebantur. Primo, immolande victimæ ad ostium dumtaxat Tabernaculi, & non alibi, offerri debebant. Secundo, quoties quis immolandam victimam suscipiebat, illam suscepit ante Altare, & manu capitæ ejus imponebat. Tertio, offerens solemnes quasdam preces edebat. Quarto, jugulabatur animal, & proprium munus erat Sacerdotorum excipere sanguinem, illum transferre, Deo offerre, & eo aspergere Altare, ceteraque subire munia. Licebat tamen hominibus alienis, id est, non Sacerdotibus, victimam pelle exuere, eamdemque varias in partes dissecare.

D. Quot erant in Veteri Lege Sacrificiorum species?

M. Tres in Veteri Lege erant Sacrificiorum species. Alia quippe dicebantur *Holocausta*, alia *Pacifica*, alia denique *Propitiatoria*, sive, ut Scriptura Sacra loquitur, *pro peccato*. (Levitici c.

I. 3. 4. 5. 6. & 7. In Sacrificio, quod dicebatur *Holocaustum*, tota victimā in Dei honorem, & ad recognoscendū summū ejus in res omnēs dominū omnino consumebatur, & qui illud offerebant, se totos Deo addictos esse profitebantur. In Sacrificio, quod dicebatur *Pacificum*, quodque ex *Bobis*, *Ovibus*, *Agnis*, vel *Capris* offerebatur, triplex fiebat divisio. Prima, scilicet adeps & sanguis, Deo adolebatur, cum cauda, renibus, & jecore. Altera pars, scilicet pectus & armus dexter, cedebant in usum Sacerdotis. Tertia, nempe caro reliqua, cedebat privatis, qui obtulerant. Postremo, Sacrificium, dictum *Propitiatorium*, sive pro peccato, eoque per ignoriam commisso, quadruplicē erat. Primo; Pro peccato Pontificis, & in hoc immolabatur Vitulus. Secundo; Pro peccato Populi ex eodem animalium genere. Tertio; Pro peccato Principis, & tunc maestabatur *Hircus*. Quarto; Pro peccato Plebeii, & tunc immolabatur Capra, vel Ovis. Istud triplicis sacrificii discrimen perdocte explicat *S. Thomas* 1. 2. Quæst. CII. Art. 3. ad 8. & in Responsione ad decimum argumentum docet, inter omnia sacrificia holocaustum fuisse præcipuum, quia totum comburebatur in honorem Dei, & nihil ex eo comedebatur.

D. Quibusnam potissimum diebus Hebræi offerebant sacrificia?

M. Diebus præcipue Festis Hebræi offerebant sacrificia. Apud autem Hebreos plura Festa erant. Primo *Sabbatum*, ita a quiete dictum, quod septima cuiuslibet hebdomada die sanctificabatur. Hinc annus septimus, ubi indicat terra quietem, *Sabbatum terræ*, & annus *sabbaticus* est appellatus, & annus *Jubileus* dictus est *Sabbatum Sabbatorum*, quia servis plenam a laboribus quietem afferebat. Alterum Festum quod Hebræi singulis mensibus celebrabant, erat *Festum Neomenie*, quod ideo, inquit *S. Thomas*, celebratur in novitate Lune, non autem in ejus plenitudine, ad evitandum *Idololatrarum cultum*, qui in tali tempore Lune sacrificabant. Quatuor infuper apud Hebreos erant Festa, quæ celebrabantur mense septimo anni, seu mense *Tisri*, qui correspondet mense nostro Septembri, & erant *Festum clangoris Tubarum*: *Festum Expiationis*: *Festum Scenopegie*, seu *Tabernaculorum*: *Festum Cætus*, seu *Collectæ*. In Neomenia mense *Tisri* Festum clangoris *Tubarum* præscripsit Deus celebrandum in memoriam liberati *Isaaci*, & substituti in ejus locum Arietis, cornibus dumeto hærentis, ut volunt periti Rabbini, quibus suffragatur *S. Thomas*. Festum expiationis decima die ejusdem mense *Tisri* celebrandum instituit Deus, in memoriam Dei, Populo Israeliticō, adoratione aurei Vituli polluto, ad *Moysis* preces, propitiis. Quapropter in hoc Festo indictum erat jejunium & afflictio animarum, atque expiatio generalis peccatorum Israelitarum. Solemne illud Festum Expiationis *Hircis* duobus peragebatur, de quibus forte decernere debuit Pontifex, inter Deo sacram pia culare fieri, uter in solitudinem populi peccatis & maledictis onustus,

eaque de causa dictus *Hircus Emissarius*, allegari deberet? sicut legitur Lib<sup>o</sup> Levitici cap. 16. Festum *Tabernaculorum*, seu *Scenopegie* die decima quinta mensis *Tisri*, & sex diebus sequentibus celebrandum Israelitis instituit Deus in memoriam peregrinationis Israelitarum in Deserto, & habitationis in tentoriis, & hac de causa olim Judæi in Tabernaculis e frondibus & ramis arborum contextis, sub dio, per septem dies habitabant. Festum *Cætus*, seu *collectæ*, celebrandum Deus indixit octava die Festi *Scenopegiæ*, seu *Tabernaculorum*, & erat illius prioris Festi quasi complementum. Sed duo solemnia erant apud Judæos Festa, videlicet *Azymorum*, seu *Paschatis*, & *Pentecostes*. Festum Azymorum seu *Paschatis*, incipiebat a secundis Vesperis diei 14 mensis *Nisan* in æquinoctio verno, & in secundis Vesperis ejusdem mensis comedebatur *Agnus Paschalalis* in memoriam liberationis a servitute Ægyptiaca. Festum *Pentecostes* die quinquagesimo post Pascha celebrabatur ad offrendas primicias frugum. Eadem die quinquagesima post Pascha, *Moyses* Legem recepit a Deo in monte Sinai. Hisce septem temporalibus Festis Judæorum addunt nonnulli aliam Festivitatem, quam dicunt in Veteri Lege continuam fuisse, *Oblatiōnem* videlicet *jugis sacrificii*. Singulis quippe diebus (sicut præceptum est lib. Numer. cap. 28. vers. 3.) immolari debebant in holocaustum semipiternum duo Agni immaculati; unus offerri debebat mane, & alter ad vesperam. Sacrificium matutinum fiebat, cum sol collustraret orientalem plagam; Sacrificium vero vespertinum offerebatur ubi primum umbra porrigebatur. At, oblationem istam *jugis sacrificii* inter Festa Hebreorum locum non habuisse probabilius censem perit Scripturæ Sacrae Interpretates.

D. Video multas fuisse apud Israelitas solemnitates, in quibus potissimum varia Deo offerebant sacrificia. Sed nihil adhuc dixisti de Sacramentis, quæ extabant in Veteri Lege.

M. Sacramenta, quæ extabant in Veteri Lege, sunt isthac: primo, *Circumcisio*, quæ a Deo instituta est cap. 17. libri Genesis, ejusque præceptum Patriarchæ *Abrahamo* datum, ab eoque, sive in seipso, sive in *Ismaele*, filio suo, & in servis omnibus, executioni mandatum, sicut ostendimus in Colloquiis nostris in Historiam secundæ Mundi Ætatis. Alterum Veteris Legis Sacramentum erat *Consecratio Sacerdotum*, cuius ritus prescribitur a Deo cap. 29. lib. Exodi. Tertium Veteris Legis Sacramentum erat *manducatio Agni Paschalalis*, cuius convivium erat figura Sacro-Sanctæ Eucharistiae. Quarto, *Oblatio Victimarum*, *Esis Panum Propositionum*, seu aliorum Panum, Carniumve consecratarum, ad Sacramenta Veteris Legis pertinabant. Denique *Purifications & Lustrations*, Sacraenta erant in Veteri Lege ad removendam divini cultus impedimenta, seu ad legales immunditias abstergendas, a Deo instituta. Immunditiae autem legales octo præcipue in Lege recensentur. Prima immundities, erat puerperæ, seu mulieris, quæ pepererat, c. 12. libri Levitici. Altera immunditiae species, crat

immunditia foemina menstruatæ , seu quæ , mensis redeunte , sanguinis fluxum patiebatur , sicut legitur cap. 15. lib. Levitici . Tertia imminunditiae species , erat immunditia hominis continuo pene semenis fluxu laborantis , uti legitur eodem in capite Libri Levitici . Quarta imminunditiae species , erat immundities concubitus conjugalis . Quinta imminunditiae species , erat immundities somni , seu nocturna pollutio . Sexta imminunditiae species , erat lepra . Septima imminunditiae species , erat immundities funeris , ab iis contracta , qui mortuorum corpora , sepulchra , vel ossa tetigissent , aut eorum tentoria vel domos ingressi fuissent , vel exequias prosecuti , sicut habetur cap. 29. lib. Numerorum . Octava imminunditiae species , erat imminundities contactus , quam contrahebat quicunque , qui personam , vel rem immundam , nolens licet ac fortuito , tetigisset , ut videre est in mox laudato capite libri Numerorum . De his octo imminundiarum legalium speciebus , & de variis ritibus , quibus , secundum Legem , mundari debebant , leges S. Thomas 1. 2. Quæst. CII. Art. V. ad 4. & 5. ubi Angelicus ille Doctor perdocte juxta ac copiose de his differit .

D. Ut Divinæ Legis , Populo Israelitico per manus Moysè tradita , absolutam possim habere notitiam , supereft , ut , post præceptorum Decalogi , quæ sunt naturalia , seu moralia , & præceptorum ceremonialium brevem , sed dilucidam , quam haecenus dedisti , explanationem ; nunc sub finem nostri Colloqui pauca dicamus de præceptis ejusdem Legis , quæ dicuntur *Judicialia* , seu *Forensia* , quæque Israelitas ordinabant ad invicem , & ad conservandam Hebreorum Rempublicam erant necessaria .

M. Cum præcepta judicialia , seu forensia , eo potissimum fine fuerint lata a Deo , ut ordinarent Populum Israëlicum ad invicem ; ideo S. Thomas 1. 2. Quæst. CIV. Art. IV. docet , præcepta judicialia Veteris Legis distingui debere juxta quadruplicem ordinem , qui in aliquo Populo inveniri potest . Primus ordo , inquit Angelicus ille Præceptor , est Principum populi ad subditos . Secundus , subditorum ad invicem . Tertius , ad extraneos . Quartus , ad domesticos , sicut patris ad filium , uxoris ad virum , & Domini ad servum . Secundum igitur quadruplicem illum ordinem distinguuntur præcepta judicialia Veteris Legis . Dantur enim in ea quædam præcepta de institutione Principum , de officio eoram & de reverentia eis exhibenda : & hæc est prima pars judicialium præceptorum . Dantur quædam præcepta spectantia populares & concives ad invicem comparatos ; & hæc est secunda pars Judicialium præceptorum . Dantur etiam quædam præcepta pertinentia ad extraneos , ut de gerendis bellis contra hostes , & de susceptione peregrinorum & advenarum : & hæc est tertia pars judicialium præceptorum . Dantur denique in Lege præcepta quædam attinentia ad conversationem domesticam , nempe de uxoribus , filiis , & servis : & hæc est postrema pars , seu classis præceptorum judicialium Veteris Legis . Hanc

præceptorum judicialium Veteris Legis distributionem hic indicasse sufficiat , nam si ejusmodi præcepta velle in præsentia sigillatim expli- care , dies me deficeret , & ad multam noctem nostrum protraheretur Colloquium .

D. Cum non possis omnia Veteris Legis præcepta judicialia percensere , eaque sigillatim explanare , obsecro te , ut illa saltem in genere perstringas , quo facile possim inde agnoscere , Rempublicam Hebreorum suisse a Deo institutam , tanquam perfectissimum Reipublicæ ordinatisissimæ exemplar .

M. Præcepta judicialia , seu forensia , quibus constabat Respublica Hebreorum , ad hæc revocari possunt , quæ summatim hic delibabo . In primis , apud Hebreos , ad dirimendas causas & litiges , quæ in eorum Republica emergere poterant , Tribunalia erant ordinaria Triumvirorum , & vi-ginti Triumvirorum , quæ per urbes & oppida erant disposita , præter Magnum Synedrium LXXII. Judicum , quod supremum Tribunal erat , Hierosolymis constitutum . De quibus Hebreorum Tribunalibus lege librum , quem edidit Sodenus , de *Synedriis Hebreorum* . Judicibus districte a Legi prohibetur , ne munera recipient , aut his execrati proferant judicium . Uni testi fidem adhibere haud poterant Judices , sed tribus , vel minimum duobus , qui essent probatæ & inculpatæ vita . Nec mulierem propter levitatem , nec ferum , propter animos degeneres testem esse libebat . Ad coercendam cupiditatem bonorum temporalium , cautum erat Lege , quæ dicebatur *Agranaria* , ut post quinquaginta annos , sive in anno Jubilæo , agri venditi redirent ad veteres Dominos , & hoc pacto frænabatur cupido impotens augendorum agrorum . Ad amovendam omnem causam bellorum & seditionum , cohibendamque omnem avaritiam , quæ certis terminis vix ac ne vix quidem circumscribi potest ; terminos terræ movere fas non erat . Adversus furtum Leges severæ latæ erant . Argentum furatus duplo multabatur , pecudem quadruplo , bovem quintuplo . Mutuum dare ad uluram nemini Hebreorum licetabat . Vestimentum , quod oppignoraverat panper , ante Solis occasum huius reddendum erat , sicut mola , qua cibus paratur . Vita civium consulum erat . Nam gravi Talionis suppicio percussores puniebantur , & acerbissimis penitentiis animadvertebatur in eos , qui rei homicidii erant . Magnus , & qui eum confulebat , lapidabatur . Itemque blasphemus , idololatra , venefici , parentum percussores ; qui illicite concubuisset , qui prægnantis fœtui nocuerat , qui carnem cum sanguine comedebant ; morti itidem addicebantur . Involuntariæ cædis reus exulabat usque ad obitum Pontificis . Taurus cornupeta , casco homine , lapidabatur . Ille , cuius bestia alteri nocaisset , tenebatur damnum sarcire . Qui non erat par restituendo , aut solvendo , venibat . Lex lata erat adversus spadones , qui se data opera Eunuchos reddebant , siveque magnum Reipublicæ documentum inferebant . Virginem , quam quis constuprasset , aut violasset , debebat uxorem ducere ; sed si virgo despontata , talis non fuisset reperta , ultricibus flammis addicebatur .

tur. Mulier de adulterio suspecta, aquas, quas *Zelotypia* appellat Scriptura Sacra, bibere cogebatur, quas cum potasset, si revera esset adultera, in Templo marcebat: sed eadem *Zelotypiae* aqua mulieribus de adulterio falso accusatis minime nocebant. Licebat Hebreis plures habere uxores, & quas vellent repudiare, dando illis libellum repudii, quod Hebreis ad duritatem cordis erat indulsum, ne, sicut saepe fieri afolet, ab odio & ira inflammati in uxores, quorum mores & contubernium ferre minime poterant, ferro & veneno se ab illis divellere tentarent. Ne deficerent familiæ, & ut possessiones apud cognatos sartæ recte permanerent, mulierem, cuius maritus, nequum suscepit liberis, mortuus erat, tenebatur frater mariti defuncti in uxorem ducere. Si quis servum proprium servamente percussisset, & ex eo iœtu obiisset, reus in iudicio siebat. Si quis servo oculum aut dentem excussisset, servus in libertatem vindicabatur. Si quis defossum lacum non cooperuisset, pecusque in lacum cecidisset, pretium pecudis domino dare debebat. Si depositum periisset, is, penes quem depositum fuerat, jurare adstringebatur, nihil se dolo egisse. Si quis se pecudi miscuisset, morti tradebatur. Præcipiebat insuper Lex, viduam & orphans non esse premendos, pauperem debitorem non perungendum; Principem populi non increpandum; primogenita omnia Deo offerenda; carnem, a fera captam, non edendam; iniurici pecus ad dominum reducendum; advenam benigne excipiendum; fructus septimi anni non metendos, sed egenis & pauperibus relinquentos. Sonates pro meritis cædebantur, videlicet diversis suppliciorum generibus, quæ erant verberatio, venditio hominis rei, exilium, vivicomburium, crucifixio, seu suspensio in patibulo, portio aquarum, quæ *Zelotypiae* dicebantur, decollatio, seu abscessio capitis, cuius unicum in *sancto Joanne Baptista* extat exemplum. His suppliciorum generibus addunt Rabbini strangulationem; sed de hoc supplici genere nullum extat in Lege Statutum. Præter hæc, quæ haec tenus percensui, Legis præcepta, alia data erant populo Hebreo, quæ ad allegoriam quāndam spectare videntur, sic sunt præcepta de non coquendo Hædo in lacte matris, Exodi cap. 23. v. 19. de non arando in Bovे & Asino, de non induienda veste, quæ lino & lana texeretur, Deuteronomii cap. 22. v. 10. & 11. de non ferendis in eodem agro diversis seminibus, Levitici cap. 19. v. 19. de non alligando ore Bovis tritaurantis, Deuteronomii cap. 25. vers. 24. de rejiciendo vale, cui non erat operculum, lib. Numerorum cap. 19. v. 15. de abstinentia a contânu cadaveris, Levitici cap. 18. v. 39. & alia id genus præcepta, quorum rationes, & allegorias cum hic explicare nimis longum esset, consultius est, ut domi tua legas Doctorem nostrum Angelicum, qui 1. 2. Q. CII. Art. VI. in his reconditis & allegorictis præceptorum rationibus explanandis nullum parem, ac secundum habet, nec unquam habiturus est. Hoc unum dumtaxat ex tot præceptis contentis in Lege a Deo per Moysen data Populo Hebreo, quæ haec tenus cursim expendimus,

velim intelligas, quam sancta, & immaculata es-  
set illa Lex; quam bene disposita, & ordinata  
Respublica Iudaorum, & quam puri, piique ef-  
fent Israelitarum mores, qui vitam suam ad nor-  
mam illorum præceptorum exigebant atque com-  
ponebant. Qua de re si plura desideres, auctor  
tibi sum, ut legas Angelicum Doctorem loco  
mox citato.

D. Ad aedes meas festinus redeo, ut me ad pro-  
ximum, quod perendie habituri sumus, Collo-  
quium preparare, & in hac præfigida anni tem-  
pestate apricatione, aut igni calefcere possum.

## COLLOQUIUM II.

*In quo quedam dubia, sive ad Legem Mosaicam, sive ad Historiam quartæ Mundi Ætatis attinen-  
tia, quæ a Theologis, vel Scripturæ Sacrae Inter-  
pretibus proponi solent, discutiuntur, ac diluuntur.*

MAGIST. **D** Ubia, quæ tam Theologi, quam Scripturæ Sacrae Interpretates proponere solent, spectant vel Legem Mosaicam in se consideratam, vel præcepta, quæ continent, seu præcepta Decalogi, quæ sunt præcepta Legis na-  
turæ, & moralia dicuntur; vel pertinent ad præcepta ejusdem Legis ceremonia, aut judicialia, seu forensia: vel denique attinent ad quedam fa-  
cta historica, quæ in quarta Mundi Ætate con-  
tigerunt. Ut igitur dubia cum Theologorum, tum Scripturæ Sacrae Interpretum, quæ ad quatuor isthac capita revocantur, continent in ordine diri-  
mere possim, propone in primis ea dubia, quæ  
spectant Legem Mosaicam in se consideratam.

D. Non proponam hic duo dubia, quæ circa Le-  
gem Mosaicam movet S. Thomas 1. 2. Quæst. 98.  
Art. 1. & 2. quorum primum istud est: *Utrum Lex  
Vetus, seu Mosaica, fuerit bona?* Alterum, an  
*Lex Mosaica fuerit instituta a Deo?* Hæc, inquam,  
duo dubia non proponam, quia in superioribus  
nostris Colloquiis, juxta doctrinam Angelici Præ-  
ceptoris, jam ostendisti primo, Legem Veterem,  
seu Mosaicam esse bonam, quia prohibebat omnia  
peccata, quæ adversantur rationi, quamvis hac  
Lex comparet ad Legem Evangelicam imperfe-  
cta dicatur, quia vi sua gratiam sanctificantem  
non conferebat, sed solum per fidem in Christum  
Mediatorem, quem eadem Lex suis Cærimonis,  
Ritibus, Sacrificis, aliisque id genus Documentis  
venturum declarabat. Secundo, ostendisti, Le-  
gem Veterem, seu Mosaicam, esse a Deo institu-  
tam, quia, tota quanta est, collimat in Christum,  
& de eo pluribus in locis perhibet testimonium.  
Quo fit, ut Christus Dominus cap. ultimo Lu-  
cie, dicat: *Oportet impleri omnia, quæ scripta  
sunt: in lege, & in Psalmis, & in Prophetis de  
me.* Et cap. 5. Joannis: *Si crederetis Moysi, cre-  
deretis forsitan & mihi: de me enim ille scripsit.* Porro, impossibile est ut Diabolus hanc condide-  
rit Legem, quæ homines adducebat ad Chri-  
stum, verum Deum, & Redemptorem omnium  
homínium, per quem Diabolus expellendus erat,  
juxta illud Matth. cap. 12. *Si Satanás Sata-  
nam ejicit, dirisum est Regnum ejus.* Nullus ita-  
que

que dubito, quin Lex Vetus, seu Mosaica, fuerit bona & condita a Deo, ac subinde hisce duobus proponendis dubiis, quibus in precedentibus nostris Colloquiis abunde fecisti satis, habenti animo hic supersedebo. Tria igitur alia circa Veterem Legem proponam dubia, quae breviter solvas velim. Primum est, cur Deus Veterem Legem dederit tempore Moysis, & non alio tempore? Alterum est, utrum Lex Vetus soli Populo Hebraico dari debuerit? Tertium est, an omnibus hominibus incubuerit necessitas observandi Legem Veterem?

M. Hæc tria, quæ proposuisti, dubia, non meis, sed Angelici Praeceptoris nostri verbis diluam: & ad primum respondeo, conveniens fuisse tempore Moysis Legem Veterem dari, ad superbiam hominum convincendam. De duabus enim homo superbiebat, scilicet de scientia & potentia, quasi ratio naturalis ei posset sufficere ad salutem. Et ideo, ut de hoc ejus superbia convinceretur, permissus est homo regimini sua rationis absque adminiculo Legis scriptæ, & experimento discere potuit, quod patiebantur rationis defectum per hoc, quod homines usque ad Idololatriam, & turpissima via circa tempora Abrahamæ sunt prolapsi, & ideo post hæc tempora, fuit necessarium Legem scriptam dare in remedium humanae ignorantie, quia per Legem est cognitio peccati, ut dicitur Epistola ad Rom. cap. 5. Sed, postquam homo est instruitus per Legem, convicta est ejus superbia de infirmitate, dum implere non poterat quod cognoscebat, & ideo sicut Apostolus concludit cap. 8. Epist. ad Rom. Quod impossibile erat Legi, in qua infirmabatur per carnem, misit Deus Filium suum, ut justificatio Legis impleveretur in nobis. Sic perdocte discurrit Doctor Angelicus 1. 2. Quæst. 98. Art. 6. ubi aliam assignat rationem, quam memini, me alibi insinuasse, videlicet, necessarium fuisse Veterem Legem dati tempore Moysis, quando Lex naturalis obscurari incipiebat propter exuberantiam peccatorum: unde inferit sanctus ille Doctor, quod statim post peccatum primi hominis non competebat Legem Veterem dari, tum quia homo non recognoscebat se ea ( seu Legem ) indigere de sua ratione confusus: tum quia aaduc dictamen Legis naturæ nondum erat obtenebratum per consuetudinem peccandi. Ad alteram dubium, utrum Lex Vetus soli Populo Hebreo dari debuerit? non minus dilucide responderet S. Thomas 1. 2. Quæst. 98. Art. 4. ubi hæc habet: Deus igitur & Legem, & alia beneficia specialia illi Populo ( seu Hebreo ) exhibuit propter promissionem eorum Patribus factam, ut ex eis Christus nasceretur. Decebat enim ut ille Populus, ex quo Christus nasciturus erat, quadam speciali sanctitate polleret, secundum illud, quod dicitur cap. 10. Lib. Leviticus: Sancti eritis, quia ego Sanctus sum. Nec etiam fuit propter meritum ipsius Abraham, ut talis ei promissio fieret, ut scilicet Christus ex ejus semine nasceretur, sed ex gratia Dei electione & vocatione..... Si autem queratur, cur hunc Populum ( seu Hebreum ) elegerit, ut ex eo Christus nasceretur, & non aliud? convenienter respondet S. Augustinus Tractatu 26. in Joannem: Quare hunc trahat, & illum non trahat, noli velle dijudicare, si non vis erra-

re. Deus ergo ex speciali dilectione Legem Veterem dedit Populo Hebreo, & non alteri. Hinc Apostolus Paulus cap. 3. Epist. ad Romanos: Quid ergo amplius Judeo? multum quidem per omnem modum, primum quidem, quia credita sunt eis eloquia Dei. Et Psalm. 14. dicitur: Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestavit eis. Ad ultimum, quod proposuisti Dubium, utrum omnes homines tenerentur Legem Veterem observare? Sic S. Thomas Questionis mox citatae Art. V. respondet: Dicendum, quod Lex Vetus manifestabat precepta Legis nature, & superaddebat quædam propria precepta. Quantum igitur ad illa precepta, que Lex Vetus continebat de Lege nature, omnes tenebantur ad observantiam Veteris Legis, non quia erant de Veteri Lege, sed quia erant de Lege nature: sed quantum ad illa, que Lex Vetus superaddebat, non tenebantur aliqui ad observantiam Veteris Legis, nisi solus populus Iudeorum: cuius ratio est, quia Lex Vetus data est populo Iudeorum, ut quandam prerogativam sanctitatis obtineret propter reverentiam Christi, qui ex illo populo nasciturus erat. Quocumque autem statuantur ad speciem aliquorum sanctificationem, non obligant nisi illos. Sicut ad quedam obligantur Clerici, qui mancipantur divino ministerio, ad que Laici non obligantur. Similiter & Religiosi ad quedam perfectionis obligantur opera ex sua professione, ad que Seculares non obligantur, & similiter, ad quedam specialia obligabatur populus ille, ad que alii populi non obligabantur. Habet nunc ex doctrina S. Thomæ, qua nullam aliam solidorem desiderare potes,clare soluta tria illa, quæ proposuisti, Dubia.

D. Antibus manibus amplector & ex oscular doctrinam S. Thomæ, qua nihil in vita mihi carius & antiquius unquam erit. Sed dicas mihi, fides, cur Lex Vetus, seu Mosaica, quæ, ut paulo ante dixisti, tanta solemnitate fuit a Deo instituta, tot miraculis ac prodigiis confirmata, tanta religione a viris, Spiritu Sancto afflatis, custodita, quæque tot sæculorum tractu floruit, fuerit tandem a Jesu Christo, Servatore nostro, rescissa, eliminata, & antiquata? Neque enim intelligere possum, quo pacto hæc Lex, quam bonam esse, & a Deo institutam profitentur omnes Christiani, rescindi aliquando debuerit, Deo ipsomet volente atque jubente, quasi is, instabilium ac levium hominum more, confilia mutet.

M. Legem Veterem, seu Mosaicam, adoriente Jesu Christo, vero Messia, a Prophetis predicto oblitterandam esse, & in Novam Legem, seu Evangelicam, commutari debere docent sacri Vates. Adverte enim, si placet, Veterem Legem, seu Mosaicam, in monte Sina sanctam a Deo, & unico Judaico populo datam esse, sicut in superiori Colloquio ostendimus. Porro, Legem alteram Messiae temporibus orituram vaticinatus est Ieremia, Gentibus quoque communem, e Hierosolymis & e monte Sion prodeuntem. Quibus Notis quid, nisi Legem Evangelicam, intelligamus, a Christo, Salvatore nostro, Hierosolymis datam, a Spiritu Sancto in montem Sion illapsa in Discipulos confirmatam, ut universis Gentibus numeraretur? De Sion exibit Lex, inquit Ieremia cap.

cap. 2. v. 3. & Verbum Domini de Jerusalem, & jadicabat Gentes, & arguit Populos multos. Hæc, inquam, Lex, quæ post adventum Christi Domini e Hierosolymis, & e monte Sion proditura erat, alia prorsus esse debebat, planeque distincta a Legi Veteri, seu Mosaica, propter multiplicem rationem. Primo, quia Lex Vetus, seu Mosaica data est, ut mox diximus, in monte Sina: Altera Lex, seu Evangelica, data est Hierosolymis, & in monte Sion. Secundo, quia Lex Vetus unico Judaico Populo data est, nec ad ejus observantiam obligabantur cætera Gentes. At, extera Gentes toto orbe diffusa ad observantiam Legis, quæ, adventante Christo, Hierosolymis promulgari debebat, adstringuntur, quia Christus sacris Prophetarum oraculis, quæ hic inferre nimis longum esset, prænuntiatus, non Judæos tantum, verum etiam omnes Gentes toto orbe diffusas, & Judaico nomini inimicas, vocaturus erat, & in Fidei, Religionisque societatem adducturus. Tertio, repugnat Legem Veterem potuisse ab omnibus Gentibus observari, tum quod multa tradit præcepta, quæ extra Terram promissam, seu extra Terram Chanaan, observari non poterant. Quis autem credit, universas Nationes per totum, quæ late patet, Orbem dispersas potuisse unicam Chananaam Terram, laeti & melle fluentem, inhabitare, quod religiosis Legis suæ observatoribus promittebat Moyles? Tum quod etiam in Veteri Lege præceptorum aliqua data sunt ad Judaicum Populum, a cæteris Gentibus distinguendum; cujusmodi est præceptum de Circumcisione, quæ ad Judæos a cæteris Gentibus distinguedos fuit primitus instituta, quæque proinde Judæis & Gentibus ex æquo communis esse haud poterat: Tum denique, quia fieri minime poterat, ut universi Orbis populi in unum Hierosolymorum Templum statis temporibus convenienter ad Legis Mosaicæ Sacra peragenda, Sacrificiaque offenda, quæ alio in loco sine sacrilegio celebrari non poterant. Cum igitur, juxta Prophetarum Oracula, Lex, adventante Christo, Hierosolymis promulgari debebat, non quæ Judæis peculiaris esset, sed quæ servari ab omnibus Gentibus posset, necessario dicendum est, hanc Legem Novam, seu Evangelicam, plane discrepare a Lege Veteri, id est, Mosaica, quæ Judæis peculiaris erat, & ab universis toto Orbe Gentibus nullo pacto observari poterat. Sed, inquis: *Si Lex Moysis bona fuit, ut in confesso est apud omnes Christianos, cur igitur tandem abrogata & rescissa est?* Bona est, fateor, Lex Vetus, seu Mosaica, sed iusto tempore, donec Nova Lex, seu Evangelica succederet. Bona, sed instar pædagogij ad rudes animos informandos; atque ita accidente plenitudine temporum perticienda. Bona, sed instar figuræ, atque ita revelata, jamque affilgentे veritate, abolenda, atque eliminanda. Bona, sed instar symboli, Christum præfigurantis, atque ita veniente Christo implenda & consummanda. Adveniente itaque Christo Domino, & promulgata Evangelica Lege, cessit Lex Vetus, seu Mosaica, non seclusa ac prodata luce cedunt umbræ & evanescunt;

nec inde tamen Lex Vetus magis laſa est, quam si piëte imaginis Regis, Rex ipse vivus succedit, omnium in se oculos deflectat; aut si puer imbecillus progressu temporis grandescat in virum adutum, aut si frondibus & foliis succedat fructus maturus, aut si Lunam & Stellas Sol exoriens obscureret. Habuit Lex Mosaica tempus suum; quod illa typis adumbravit, clarissime Christus toti Orbi repræsentavit; quod illa promisit, ipse exhibuit; quod prædictis, ipse gessit, perfecit, adimplevit. Nec idcirco Deus, quo volente Lex Vetus, seu Mosaica, cessit Legi Novæ, id est, Evangelicæ, consilia mutasse putandus est, quia Deus Legem Veterem ea mente, eoque consilio considerat primum, ut justo dumtaxat tempore perduraret, & consummata demum Messia tempore exolesceret. Quo factum est, ut Vetus Lex, seu Mosaica, non fuerit immutata, sed potius Dei voluntate adimplenda.

D. Cum Lex Mosaica, sicut in superiori Colloquio commonstrati, non tantum complectatur decem præcepta Legis naturæ, seu moralia, quæ continentur in Decalogo, verum etiam præcepta cærimonialia & judicialia. Quæro nunc a te, an Lex Vetus, seu Mosaica, fuerit tempore Messiae, id est, Jesu Christi, omnino abrogata & antiquata?

M. Lex Mosaica, quantum ad præcepta Legis naturæ, seu moralia, quæ continentur in Decalogo, non fuit abolita, neque cessavit adveniente Christo, immo potius perdurat adhuc quantum ad observantiam illorum præceptorum, & eo in sensu aliquando sacra Litteræ Legem Mosaicam fore æternam dicunt, quamvis quoad præcepta cærimonialia fuerit dumtaxat temporalis, hoc est, duraverit tantum usque ad ortum Messiae, qui cæmonias Veteris Legis non solvit quidem, sed absolvit & adimplevit; & adimplendo allata veritate consummavit, atque figurata ejusdem Legis præcepta ad exitum perduxit, sicque nos iugo præceptorum cærimonialium & judicialium Veteris Legis liberavit. Hinc inferas, Ritus, Sacrifica, Circumcisionem, Sacerdotium Leviticum, & alia id genus præcepta cærimonialia Veteris Legis penitus defuisse tempore Messiae.

D. Non video, pace tua dixerim, cur Circumcisio, & Sacerdotium Leviticum cessare debuerint tempore Messiae. Nam primo, Circumcisionem perpetuo duraturam promisit Deus cap. IV. v. 12. Libri Genesij, ubi Circumcisionis Ritum Abrahamo præcipiens, ita loquitur: *Infans octo dierum circumcidetur in vobis, omne masculinum in generationibus vestris, tam vernaculus, quam emپtitius circumcidetur, eritque pætum meum in carne vestra in fædus æternum.* Quibus verbis aperte promittit Deus æternam fore ac perpetuo duraturam Circumcisionem. Secundo, Sacerdotium itidem Aaronicum, seu Leviticum, in Veteri Lege a Deo institutum, æternum fore, & nunquam abolendum, luculenter Hieremias cap. 33. testatur his verbis: *Hæc dicit Dominus: Non interibit de David vir, qui sedeat super thronum Domus Israel. Et de Sacerdotibus & Levitis non interibit vir a facie mea, qui offerat holocausta, & incendat Sacrificium, & cedat victimas omnibus diebus.*

*bus. Qua Prophetae verba manifesto indicant perpetuitatem Sacrificii & Sacrificii Aaronici, seu Levitici. Non video igitur, cur Circumcisio, Sacrificium, & Sacerdotium Aaronicum, seu Leviticum, adveniente Jesu Christo, vero Messia, definire ac cessare debuerint.*

M. Ex eo laudato Scripturæ Sacrae Genesis cap. 17. v. 12. testimonio colligere non debes, Deum promisisse *Abraham*, Circumcisioem perpetuo duraturam. Nam, præterquam quod istud vocabulum, *eternum*, in sacris Literis non semper significat durationem omni fine carentem, seu stricti nominis æternitatem, sed longum quandoque tempus, seu solam diuturnitatem sonat, ut patet ex eodem capite 17. v. 8. libri Genesis, ubi Deus de Terra Chanaanæ dixit Abrahamo: *Dabo tibi & semini tuo terram peregrinationis tue, omnem Terram Chanaanæ in possessionem eternam*, quæ tamen Terra Chanaanæ jam pridem a Judæis non obtinetur; quamvis, inquam, ex hoc Scripturæ Sacrae testimonio, & ex multis aliis, quibus referendis, brevitatis ergo, superfedeo, constet, vocabulum istud *eternum*, non semper significare perpetuam durationem; certum etiam est, Deum, per hæc verba: *Eritque pactum meum in carne vestra in fœdus eternum*, non promisisse carnalem, seu Judaicam Circumcisioem fore perpetuo duraturam, sed dumtaxat promisisse fœdus istud, quod cum Abrahamo per Circumcisionem, quæ erat istius fœderis signum, initiat, fore æternum in semine fideli, quod fidem *Abrahami* sectaretur. Quod si queras, ubi extat illud semen fidele *Abrahami*, in quo, juxta promissionem Dei, perpetuo durare debebat fœdus illud, quod Deus per signum Circumcisionis pignerat cum *Abraham*? respondebo ipse, illud semen *Abrahami* fidele non extare amplius apud Judæos, qui a divino illo fœdere sua culpa & iniquitate deciderunt ( sicut dicitur Psalm. 77. v. 57. *Averterunt se, & non servaverunt patrum, quemadmodum patres eorum conversi sunt in arcum præsum* ) sed semen illud fidele *Abrahami* reperiri apud Christianos, qui non carne, sed spiritu, semen sunt *Abrahami* ex fide, non ex fœmore, semen circumcisum mente, non corpore: *Nos enim*, ut ait Apostolus Paulus cap. 2. v. 28. Epist. ad Romanos, *qui in manifesto Judeus est, neque que in manifesto est Circumcisio, sed qui in abscondito Judeus est, & circumcisionis spiritu, non in litera, cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo est.*

Quod spectat perennitatem Sacrificii & Sacerdotium Aaronici, seu Levitici, non certe promittit Hieremias nomine Dei istud Sacrificium & Sacerdotium Leviticum habiturum perennitatem absolutam, sed dumtaxat certis terminis præfinitam, donec videlicet veniret promissus Messias, seu Jesus Christus, qui Sacrificium & Sacerdotium, Aaronico, seu Levitico, longe perfectius, excellentius, & sanctius instituere debebat. Quod quidem quadruplici momento breviter demonstro. Primo, quia Vates Regius Psalmo 109. quem integrum venturo Messiae accommodant Hebraeorum doctissimi Rabbini, clarissime pronun-

ciat, Messia Sacerdotium non futurum secundum ordinem *Aaronis*, in maestatione pecudum constitutum, sed secundum ordinem *Melchisedech*, qui, sicut legitur cap. 14. lib. Genesis, panem & vinum in Sacrificium obtulit Domino: *Tu es Sacerdos in eternum secundum ordinem Melchisedech*. Præterea, Sacerdotium Aaronicum, seu Leviticum, adventante Messia, seu Christo Domino, abolitum iri, ejusque loco aliud instituendum esse Sacerdotium, atque Sacrificium, quod non in aliquo peculiari loco, seu in Templo Hierosolymitano, Deo esset offerendum ( sicut Sacrificium Leviticum in hoc Templo necessario offerri debebat, & non alibi ) sed ubivis gentium & in universo Orbe, prædixerunt Prophetæ *Isaias* cap. 19. & *Malachias* cap. 5. Prior sic habet: *in die illa erit Altare Domino in medio terre Ægypti .... Clamabunt enim ad Dominum a facie tribulantis, & mittet eis salvatorem & propagatorem, qui liberet eos, & cognoscetur Dominus ab Ægypto, & cognoscant Ægyptii Dominum in die illa, & colent eum in hostiis, in muneribus, & vota vovebunt Domino, & solvent*. Alter vero Propheta sic inducit Deum loquentem cum Judæis: *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra: Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, in omni loco sacrificatur & offertur nonini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum*. Ex quo vaticinio clare colligitur, tempore Messiae institutum iri Sacrificium, Deo per totum Orbem offerendum, subindeque desistendum Aaronicum, seu Leviticum Veteris Legis Sacrificium, quod in solo Templo Salomonico, seu Hierosolymitano, & non alibi poterat offerri. Tertio, multi Prophetæ, quos inter censemur *Isaias* cap. 1. v. 13. *Hieremias* cap. 6. v. 20. *Amos* cap. 5. v. 22. & *Michæas* cap. 6. v. 7. cominuantur Judæis nomine Dei, Sacrificia Levitica, quæ Sacerdos Veteris Legis offerebant in maestatione victimarum, Boum, scilicet, Agnorum, Arietum, aliorumque id genus animantium, quæ in Libris Mosaicis designantur, tandem aliquando fore a Deo rejicienda: *Ne offeratis ultra Sacrificium frustra; incensum, abominatio est mihi. Neomeniam, Sabbatum, & Festivitates alias non feram, inquit Deus Judæis per Iijaiam, Prophetam. Holocausta vestra non sunt accepta, & victimæ vestre non placuerunt mihi, ait itidem Deus Judæis per Hieremiam, Prophetam. Quod si obtuleritis mihi holocausta, & munera vestra non suscipiam, & vota pinguium vestrorum non respiciam; ita alloquitur Deus Judæos per Prophetam Amosum*. Idem inculcat Judæis Prophetæ *Michæas*, dicens: *Nunquid placeri potest Dominus in multis millibus Arietum, & in multis millibus Hirorum pinguium? Quæ Prophetarum varicia aperte innunt, Sacerdotium, & Sacrificium Veteris Legis Leviticum fore dumtaxat tempora, & adveniente Messia repudiatur iri. Postremo, tam Sacerdotium, quam Sacrificium Leviticum omnino cessasse, postquam Templum Hierosolymitanum a *Vespasiano* & *Tito*, Imperato-*

ratoribus, solo aquatum est, & incendio consumptum abhinc mille sexcentis & amplius annis, inficias ire haud possunt Judei. Destructo siquidem Templo Hierosolymitanō (in quo solo Judæi poterant Sacrificia Levitica offerre) nullus amplius illis suppetit locus, in quo Sacrificia offerre valeant. Immo, nec Sacerdotes habent, nec deinceps habere possunt, quia post iporum dispersionem, suas Tribus usque adeo permixtas & confusas habent, ut Tribum Leviticam, e qua sola Sacerdotes eligi debebant, nullo pacto discernere possint. Patet itaque ex his momentis a me adductis, tam Sacerdotium, quam Sacrificium Leviticum fuisse tantummodo temporarium, nec perpetuum esse debuisse, cum utrumque apud Judæos post adventum Iesu Christi veri Messiae, abhinc mille, & septingentis ferme annis finem plane haberent, & nullum in Iudeorum Synagogis, Sacerdotii, & Sacrificii Levitici, vel minimum reliquum sit vestigium. Sed præstat audire S. Chrysostomum, qui Oratione IV. aduersus Judæos de cessatione Sacerdotii, & Sacrificii Levitici sic eleganter differit: *Tribus Levi, sola honorata Sacerdotio, a negotiis ad victimum pertinentibus liberata erat, neque preterea quidam hujus generis exercebant, sed soli Sacerdotio vacabant, ac Decimas accipiebant a toto populo, tum frumenti, tum hordei. Ex his enim rebus illis portionem dabant omnes, & hic erat illis pruentus. Nec fas erat ex ulla alia Tribu Sacerdotem unquam fieri. Ex hac enim Tribu factus est Aaron, nimurum de Tribu Levi, as per successionem illius posteri Sacerdotium accipiebant, neque quisque unquam ex alia Tribu creatus est. Hi itaque Levitæ Decimas ab illis accipiebant, & sic alebantur. Sed ante Jacob, sub Iacob, sub Abraham, cum nondum esset Moses, nondum scripta Lex, nondum Leviticum Sacerdotium esset proditum, non Tabernaculum, non Templum esset, non Tribus discreta, non Hierusalem extaret, cum nullus omnino in Judæos rerum principatum occupasset, fuit quidam Melchisedech, Rex idem, & Sacerdos, typus enim futurus erat Christi, cuius & Scriptura meminit. Quum enim Abram, irruptione facta in Persas, ac fratri filio Lotb ex illorum manibus erexit, omnibus spoliis direptis redire, hostibus virtute devictis, obvium habuit Melchisedechum, qui, ut inquit Scriptura Sacra, obtulit panem, & vinum, (erat enim Sacerdos Dei altissimi) & benedixit Abram, &c. Si quis igitur Proprietatum existit, qui dicat, quod post Abramum, postque Sacerdotium illud Leviticum, & hoc Sacrificia & oblationes, exoriturus esset Sacerdos alius, non ex illa Tribu, seu Levitica, sed ex alia, ex qua nonquam creatus est Sacerdos, manifestum est, quod Vetus Sacerdotium, seu Leviticum, cessavit. Aliud autem novum in ejus locum inductum est. Nam si futurum erat, ut Vetus illud, seu Sacerdotium Leviticum, obtineret non secundum ordinem Melchisedech, sed secundum ordinem Aaron, oportuit hoc explicare. Quis igitur hoc dicit? hic ipse (Ieu Vates Regius Psalm. 129.) qui de Christo differens, ait: Tu es Sacerdos in eternum secundum ordinem Melchisedech. Ex hoc enim liquet, quod Sacrificium Aaronicum, seu Leviticum, fiarem accepit, & aliud in*

*ejus locum inductum sit multo melius ac sublimius. Hoc autem evicto, simul & aliud in confessu est, quod alius etiam status Sacerdotio congruens, simul inducendum esset, neque non Legislatio melior, nimirum nostra. Quod sane Paulus demonstrans dicebat. Translato enim Sacerdotio, necessario fit, & Legis translatio, Epist. ad Hebraeos cap. 7. v. 12.*

D. Templum Hierosolymitanum jampridem ab Imperatoribus *Vespasiano*, & *Tito* fuisse destrutum, plane sciebam, sed utrum Deus præceperit Judæis, ut in solo Templo Hierosolymitano Sacrificia offerrent? Et utrum etiam Templum Hierosolymitanum, quod destructum est, denuo instaurandum sit, necne obsecro te, ut paulo uberiori explicatione ostendere haud graveris.

M. Deum præceperit Judæis, ut in solo Templo Hierosolymitanu Sacrificia offerrent, tribus momentis breviter evinco. Primo *Moyses* c. 16. v. 4. & 5. Lib. Deuteronomi Populum Israeliticum sic alloquitur: *Non poteris immolare Phaze, seu Pascha, in qualibet urbium tuarum, quas Dominus Deus tuus datus est tibi; sed in loco, quem elegit Dominus Deus tuus, ut habitet nomen ejus ibi. Locum autem illum, quem ad oblationem victimarum, & ad celebrandas solemnitates selegit Deus, sufficie Templer Hierosolymitanum negare haud posfunt Judæi. Præterea, Deus in Lege Mosaica præcepit Israelitis, ut ter in anno omne masculinum appareret in conspectu Domini, in loco, quem elegit, scilicet in Templo Hierosolymitano, & cap. 15. libri Levitici præcepit etiam Deus, ut qui profluvio semen laboraret, qui lepra contaminatus esset, quæ menstruo fluxu teneretur, vel quæ peperisset, offerret in Templo Sacrificia. Vides legem a loco vim habere, ac subinde perspicuum esse, ne Sacerdotium quidem & Sacrificium Leviticum esse posse, cum non amplius extet Templer Hierosolymitanum, in quo solo Sacrificia poterant offerri. Quemadmodum enim fieri non potest, ut ait S. Joannes Chrysostomus Oratione IV. aduersus Judæos, ut Imperator sit, si non sit exercitus, aut diadema, non purpura, non alia, que Regnum commandant, comprobantque; ita neque Sacrificium esse potest Iesu Christi hostia, vetita oblatione, sanctis concutatis, toto rerum statu abollito. Nam his rebus confabat Sacerdotium, seu Leviticum. Denique ipsimet Judei, ut refert idem Doctor Oratione 3. adverius Judæos, fassi sunt sub Juliano, Imperatore Apostata, se non posse extra Civitatem Hierusalem, Templerque Hierosolymitanum, offerre Sacrificia. At enim, cum Imperator ille Julianus, qui Imperatores omnes superavit impietate, vocaret Judæos ad sacrificandum Idolis, & ad suam impietatem pertrahere conaretur, profecti sunt illi, fas sibi non esse extra civitatem Hierusalem immolare victimas, totamque Religionem Judaicam ab his violari, qui sacrificant in terra aliena. Quapropter, impio Juliano dixerunt Judæi: Si vis non videre sacrificantes, reddite nobis Cruxitatem, restituimus Templer: exhibe nobis Sancta Sanctorum, colloca aram, & sacrificabimus nunc, quemadmodum olim. His verbis Judæi, ad omnia obsecati, obsecrabant ac supplicabant, ut nequissimus*

Imperator *Julianus* una cum ipsis susciperet, & aggrederetur instaurationem Templi. At, ille scelitus Imperator & pecunias impendit, & Praefectis dedit negotium, viros, primates, & artifices undique accersivit, nihil non fecit, nihil non tentavit, sperans fore ut Christi sententiam frustraretur, quæ non patitur Templo illud instaurari. Sed ad nihil recidit flagitosi illius Imperatoris consilium. Nam, simul atque tentassent sacrilegi illius Ministri hunc impium conatum, multamque terram exhaustissim, & jactis jam fundamentis, restaret ut straturam aggrederentur, protinus ignis exiliens e fundamento exussit multos, & intempestivam pertinaciam interrupit. Hæc ubi rescivit perditissimus Imperator, quamquam tanta velania deditus esset hinc negotio, veritus tamen ne ultra progressus, in suum ipsius caput ignem accenseret, desistit. Huic tam insigni prodigio *S. Joannes Chrysostomus*, loco mox a me citato, luculentissimum istud perhibet testimonium: *Hujus rei nos omnes testes sumus, nostra enim ætate hec non ita pridem acciderunt.* Hoc autem stupendo prodigio Deus palam ostendere voluit, quod, quemadmodum ea, quæ decrevit, voluitque manere, nullus homo potest demoliri, ita quæcumque deltruxit, vultque manere diruta, nullus unquam hominum poterit instaurare. Deus autem per suos Prophetas omnem spem reædificandæ Civitatis Hierosolymæ, & Templi Hieropolitanæ instaurandi penitus adest. Sic enim *Iaia* cap. 25. verf. 2. Deum affat: *Posuisti Civitatem, id est, Hierusalem, in cœnulum, & urbem fortè in ruinam, dominum alienorum, ut non sit civitas, & in sempiternum non edificetur.* Hieremias c. 19. verl. 11. *Hec dicit Dominus exercituum: Sic conteram populum istum, & civitatem istam, sicut conteritur vas filii, quod non potest ultra instaurari.* Propheta Amos cap. 5. v. 1. ait: *Audite verbum istud, quod levo super vos planctum: Dominus Israel cecidit, & non adjicet, ut resurgat: Virgo Israel projecta est in terram, & non est qui suscitet eam.* Denique Propheta Daniel cap. 9. v. 26. hec habet: *Et Civitatem, & Sanctuarium dissipabit populus, cum Duce venturo, & finis ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una, & in medio hebdomadis deficiet Hostia, & Sacrificium.* Et erit in Templo abominatio desolationis, & usque ad consummationem, & finem perseverabit desolatio. Omnem igitur spem Deus miseric Judæis admet destructæ Civitatis Hierusalem reædificandæ, & instaurandi Templum Hieropolitanum, quod in sempiternum non edificandum prædictit *Iaia*: *Non ultra instaurandum Hieremias: Non erendum, nec suscitandum Amos: perpetua demum, atque ad finem usque duratura desolatione dissipandum varicinatus est Daniel.*

D. Sed, numquid isti Rabbini, qui nunc præsunt Synagogis Judæorum, Sacrorum curam habent, & populum ad preces ac conciones vocant, vere & proprie dici & appellari possunt Legis Mosaicæ Sacerdotes?

M. Isti Rabbini nullo pacto sunt, nec appelle-

lari possunt Legis Mosaicæ Sacerdotes, idque *S. Joannes Chrysostomus* ex Ritibus, quibus olim Sacerdotes Legis Mosaicæ consecrabantur, eleganter ostendit in Oratione tertia adversus Judæos, ubi Judæum sic alloquitur: „Dic mihi qualis est a pad vos Sacerdos, cum non sit vetus illud eum, neque quidquam omnino veteris sanctimoniarum? Dic, inquam, mihi, qualis Sacrificus, cum non sit Sacrificium, neque Altare, neque Cultura? Vis tibi recitem Leges de Sacerdotio, quomodo solent olim consecrari, ut intelligas, quod qui apud vos dicuntur Patriarchæ, non sint Sacerdotes, sed per simulationes, Sacerdotum agant personam, nec aliter ludant, quam histrio-nes in scena, immo, ut verius dicam, nec sustinere possint Sacerdotum personam? non dico juxta veritatem, verum ne juxta simulationem quidem Sacerdotii. Excuse igitur, recordate quomodo tunc Aaron factus sit Sacerdos, quot hostias pro illo immolarit Moyses, quot pecudes prostraverit, quomodo illum laverit, quomodo illum unixerit, extreum auriculæ, manum dexteram, in Sancta Sanctorum introduxit. Post hæc, ius- sit præscripto septem dierum numero manere in- tur. Quin potius opera præmium est audire verba illorum: *Hec inquit, unctio Aaron, & unctio filiorum ejus, & dixit Dominus ad Moysen, dicens: Assume Aaron & filios ejus; & stolas, & unctionis oleum, & vitulum pro peccato, & arietem, & convoca Synagogam ad osium Taberna- culi Testimonii.* Et dicit Moyses universæ multitudini congregatae sermonem, quem mandarat Dominus, & postquam applicauit eos (dicendum est enim compendio, pergit *S. Joannes Chrysostomus*) lavit eos Moyses aqua, induit tunica, cinctus zonna, induxit ependyten, imposuit humerale, præcinctus illum, seu Aaronem substrinxit, imposuit rationale, imposuit declarationem & veritatem, & mitram imposuit capiti illius, & super mitram laminam auream; deinde, sumpto oleo conspersit Altare, & sanctificavit illud, & vasa, & basim sanctificavit ex eodem, & effudit ex eo in caput Aaron, & filiis illius similiter fecit, & adduxit vitulum. Cum autem occidisset eum, postquam Aaron, sive filii imposuerint manus, sumpsit de sanguine, & imposuit cornibus Altaris, & purificavit Altare, & sanguinem effudit in basim, & sanctificavit illud, ut propitiaret super illud. Deinde, posteaquam quedam ex his mactasset, alia foris, alia intus, adduxit rufus aium arietem, & ipsum immolavit in holocaustum, & iterum induxit arietem consummationis, & rufus, Aarone cum filiis imponente manus, occidit, rufusque sumens de sanguine ejus, super extreum auricula Aaronis dextræ, & extreum manus dextræ, & super extreum pedis dextri, & simili modo fecit & filiis illius. Deinde, sumens hostias imposuit manibus Aaronis & filiorum ejus, ac sic obtulit. Et sumptu sanguine, rufus ex oleo conspersit super Aarone & stolas illius, & super filio ejus, & super stolas eorum, & sanctifi- cavit eos, & iussit coqui carnes in atrio Taberna- culi Testimonii, illicque eis vesci, & ab osio Tabernaculi Testimonii, ne egrediamini, in- quid,

quit, dies septem, donec impleatur dies ordinatis vestre. Septem enim diebus consummabit manus vestras, ut propitietur pro vobis. Cum igitur his Ritibus (concludit S. Joannes Chrysostomus) legitime initatus sit Aaron, his purificatus, his sanctificatus, per haec placaverit Deum, nihil autem eorum nunc apud Iudeos fiat, neque victima, neque holocaustum, neque sanguinis asperio, neque olei inunctio, nec adit Tabernaculum Testimonii, neque ad præfinitum dieturum numerum sedeat intus, profecto palam est, quod Sacerdos nunc apud istos (seu Iudeos) impurus sit ac nefastus, illegitimus ac prophanus; denique, quod non propitiet, sed provocet. Etenim si non poterat aliter Sacerdos consecrari, nisi his Ritibus, omnino necesse est, totum Sacerdotium illorum non consistere. Si ad hunc modum olim Sacerdotes creabantur, nunc lufus meri sunt, risusque, quæ fiunt apud Iudeos omnia, pudor, cauponatio, plenaque immensa impietas. Haec & alia similia habet S. Joannes Chrysostomus Oratione 3. *adversus Iudeos*, ex quibus liquet, Sacerdotium & Sacrificium Leviticum, nec non Cærimonias Legales, adveniente Jesu Christo, desisse, nullumque amplius apud Iudeos extare Sacerdotem.

D. Legem Mosaicam ad coruscantem Evangelii lucem evanuisse, & in ejus locum Legem novam, seu Evangelicam, sussecum esse probe nunc intelligo. Sed rem mihi gratissimam facies, si velis hic præcipua illa indicare capita, in quibus Lex Vetus, seu Mosaica, in Præceptis moralibus comparate ad Legem Novam, seu Evangelicam, vulgo dici solet imperfecta.

M. Præcipua capita, in quibus Lex Mosaica in Præceptis moralibus comparate ad Legem Evangelicam dicitur imperfecta, refert Evangelista Matthæus cap.v. ubi describit Sermonem a Christo Domino in monte habitum, qui complectitur summam perfectionis Christianæ, seu potissima capita Christianæ Ethics, Judaica multo præstantioris. Haec autem capita breviter sic indicare sufficiet, ut inde nullo negotio intelligas, quantum Lex Evangelica, a Christo Domino instituta, perfectione antecellat Mosaicæ Legi etiam in Præceptis moralibus, quæ continentur in Decalogo. In primis, Christus Dominus in laudato Sermone volens Discipulos suos ad perfectam pieatem informare, sic eos alloquitur: *Nisi abundaverit justitia vestra, plusquam Scribarum & Phariseorum, non intrabis in Regnum Celorum.* Quasi Christus diceret Discipulis suis: *ut autem intelligatis, quantum interstis Iudeum inter & Christianum, illud affirmo vobis, si prestatervis quidquid prescribit Lex Mosaica, quidquid prestant Pharisei, qui nunc habentur, ac sibi videntur absolutæ cujusdam justitiae, & si nihil adjeceritis perfectius, adeo non eritis magni in hac professione, ut ne aditus quidem dandus sit ad Regnum Celorum.* Quibus verbis Christus Dominus non solum redarguit aliquos carnalibus Iudeos, qui cultu dumtaxat externo, & absque sincera pietate Deum colentes, in sola observatione Cærimoniarum Legalium justitiam, spem ac fiduciam suam reponebant, sed

etiam damnat superbiam Phariseorum, Scribarum, ac Legis peritorum, qui, propter Legis observationem, vana ostentatione gloriante, sibi vindicabant opinionem eximiae cuiusdam sanctimonie apud homines, cum tamen Deo, qui non faciem intuetur, sed cor, displicerent: quia cor habebant inani gloria vitiatum, dumque hic captabant inane præmium, frustrabantur eo, quod solum erat expetendum. Ab hac peste, quæ per cuniculos quoddam irrepens, clanculum insidiatur etiam iis, qui in virtutis stadio aliquo usque progressi videntur, monet Christus Discipulos suos ut sedulo caveant, eosque etiam atque etiam adhortatur ad internum Dei cultum, ad veram justitiam & perfectionem, quam sola Lex Evangelica dare potest. Secundo Christus dicit Discipulis suis: *Audistis, quia dictum est antiquis; non occides; qui autem occiderit, reus erit iudicio. Ego autem dico vobis, quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio.* Quibus verbis innuit Christus Dominus, Iudeum quidem Legi Mosaica fecisse satis, si neminem occidat; at, Christianum non solum peccare contra Legem Evangelicam si aliquem occidat, sed si fratri suo irascatur. Quod si autem, ut est humanae naturæ imbecillitas, inciderit offensæ nonnihil inter fratres, jubet Christus, ut rebus omnibus omisis, etiam relicto munere quod ille, qui fratri suo intulit injuriam, jam Altari vicinus, Deo adoraret offerre, abjecta omni cunctatione, is, qui offendit fratrem suum, domum illius proponet, detque operam, ut ante omnia sarciat cum fratre suo amicitiam, eoque confecto, redeat ad Altare, peracturus Sacrificium suum. Tertio, Christus Dominus in eodem capite quinto *Matthæi* prohibet libellum repudiū, per quem Lex Mosaicæ permittebat ut maritus offensus aliquo conjugis vitio, eam arbitratu suo dirimeret, ne quid committeretur sceleratus, pura ne beneficium, aut homicidium perpetraretur. Vult autem Christus, ut matrimonium sit indissolubile, nec unquam fas sit marito, vivente legitima conjugi, alteri nubere. Quarto, Lex Mosaica vetabat quidem perjurium, sed non juramentum: Christus autem præcipit Discipulis suis ut eorum sermo sit: *Est est: non non: quod autem his abundantius est, a malo est.* Quinto, Christus abolet penam talionis, quam Lex Mosaicæ indulgebat, ne longius æquo procederet ultio: *Audistis, quia dictum est antiquis: oculum pro oculo, dentem pro dente: docetque Discipulos suos, nullam pro quamlibet atrocibus injuriis omnino vindictam esse reponendam, nec ullum maledictum maledicto, nec damnum damno, nec injuriam injuria retaliandam; adeo ut, si quis alapam impegerit in maxillam, quæ quidem contumelia vulgo videtur intolerabilis, tantum absit ut illi regeras alapam, ut alteram potius maxillam illi cædendam præbeas, malisque duplicatam perpeti injuriam, quam referre rationem. Denique, ut prætermittam alia sanctissima præcepta, quæ in hoc capite quinto *Matthæi* tradit Christus Dominus, & quibus Legem Mosaicam in præceptis moralibus perficit. Hoc unum dumtaxat proferam,*

quo Discipulis suis præcipit dilectionem inimicorum: *Audistis*, inquit Christus Discipulis suis, quia dictum est: *Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum*. Ego autem dico vobis: *Diligite inimicos vestros, benefacie his, qui oderunt vos, & orate pro persequentiibus & calumniantibus vos*. Haec sunt sanctissima præcepta, quibus Christus Dominus præceptis moralibus Legis Veteris, seu Mosaicæ, maximam addidit perfectiōnem & in eo sensu intelligendus est Christus, dum in eodem capite *Matthæi*, ait: *Nolite putare, quoniam veni solvere Legem aut Prophetas, non veni solvere, sed adimplere*. Quasi diceret Christus: nequaquam in hoc veni, quo vel Legem Veterem reddam dilutiōrem, vel abrogem novis præceptis. Quin potius, ideo veni, ut Legem absolvam ac perficiam. Nihil enim illa præcipit quod haec tenus a me observatum queri possint Juđei. Quod si, luce prodita, cedunt umbræ, si jam factis adimpletum est, quod Prophetae futurum prædixerunt, nihil Legi derogatur, sed potius accedit perfectio. Quod illa promisit, nunc exhibetur, quod prædictum, geritur, quod adumbravit, omnium oculis exponitur, & gratia, ac salus externa, quam ex se dare non potuit, nunc ad plenum præflatur.

D. Sanctissima isthac præcepta, quibus Christus Dominus præceptis moralibus Legis Mosaicæ novum decus conciliavit, majoremque addidit perfectionem, prono capite venero & adoro, nec possum, quin imprecer, quibusdam modernis Casuistis, qui callifimam moralem Jesu Christi doctrinam mille distinctiunculis, & innumeris corruptelis, ad excusandas excusationes in peccatis, depravare pro viribus tentarunt. Ait, ut candide dicam, nullo pacto ferre possum, nonnullos laxioris moralis doctrinæ Theologos, quos non pudet asterrere, Christianos in Lege Evangelica non obstringi ad præceptum de dilectione Dei, eosque salutem æternam consequi posse, etiamsi nullum sive in principio, sive in decursu, sive in fine vita mortalium actum dilectionis Dei exercuerint. Ex quo errore sequitur, Legem Novam, seu Evangelicam esse imperfectiōrem Lege Veteri, seu Mosaica, in qua, ut antea observasti, Deus Iudaïs istud præceptum lib. Deuteronomii cap. 6. v. 4. & 5. observandum imposuit dicens: *Audi Israel: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua*. Quamvis autem hunc laxiorum Casuistarum errorem hic retulisse, abunde confutasse sit, maximam tamen apud me inibis gratiam, si illius præcepti de dilectione Dei in Lege Evangelica necessitatem ad salutem æternam assequendam, non te pigate breviter hic adstruere.

M. Hanc quæstionem de necessitate præcepti de dilectione Dei in Lege Evangelica ad consequendam vitam æternam, non aliter decidere volo, quam ex disertis verbis ipsiusmet Chirilli Domini: *Ecce quidem Legisperitus* ( ait S. Lucas c. 10. v. 25. & seq. surrexit tentans illum ) seu Christum, & dicens: *Magister, quid faciendo, vitam æternam possebo?* Adverte, si placet, hunc Legi-

speritum non quæsivisse a Christo, quid utile esset, sed quid necessarium esset ad vitam aeternam consequendam? Quid igitur ad hæc Christus? In Lege quid scriptum est, inquit, quomodo legis? Ille respondens dixit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua; & proximum tuum tanquam te ipsum*. Hanc isticus Legisperiti responsum confessum Christus approbavit his verbis: *Recte respondisti, hoc fac & vives*. Rursum, *Luce* cap. 7. v. 47. Christus concedens *Mariæ Magdalene*, veniam peccatorum, ait *Simoni*, Pharisæo, qui eum convivio exceperat: *Propter quod dico tibi: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum, cui autem minus dimittitur, minus diligit*. Audiisti Christum Dominum commendantem præceptum de dilectione Dei tanquam necessarium ad habendam remissionem peccatorum, audi nunc Apostolum *Paulum*, dicentem *Anathema ei, qui non amat Dominum Jesum Christum*: Audi denique *S. Joannis*, quem Christus amabat plurimum, gravem in non amantes comminationem: *Qui non diligit, inquit, manet in morte*. Sed hæc sufficiere debent ad refellendos illos, qui his remissionem peccatorum, & vitam aeternam promittunt, qui nunquam fecerint quod Christus ejusque Discipuli ad veniam delictorum, & ad consequendam vitam æternam necessarium docent. Quod si præterea scire velis modum, quo Deus a nobis diligendus est, disce illum ex duabus Ecclesiæ Doctribus, omni exceptione majoribus, *Augustino*, & *Thoma*, quorum prior lib. 1. *De Doctrina Christiana* cap. 22. hæc habet: *Heo enim regula dilectionis divinitus constituta est. Diliges proximum tuum sicut te ipsum: Deum vero ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente, ut omnes cogitationes tuas, & omnem vitam, & omnem intellectum in eum conferas, a quo habes ea ipsa, que confers. Cum autem ait, toto corde, tota anima, tota mente, nullam vitæ nostræ rationem relinquit, qua vacare debeat, & quasi locum dare, ut alia re velit frui: sed quidquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quo totus dilectionis impetus currit*. Alter Ecclesiæ Doctor, seu S. Thom. modum, quo Deum diligere debemus, in hoc constituit, quod omnes actiones nostras in Deum virtualiter referamus. Sic enim Angelicus ille Præceptor Opusc. 18. loquitur: *Hujus divine dilectionis perfectio datur homini in præcepto. Primo quidem ut omnia in Deum referat, sicut in finem, sicut Apostolus dicit 1. ad Corinth. c. 10. sive manducatis, vel bibitis, vel quid aliud facitis, omnia in Dei gloriam facite: quod quidem impletur, cum aliquis vitam suam ad Dei servitum ordinat, & per consequens omnia, que per se ipsum agit, virtualiter ordinantur in Deum*. Idem sepius docet Angelicus ille Præceptor, sed præfert in Quæstionibus disputatis, *Quæstione de Charitate*, Artic. II. in Responce ad 3. sibi propositum Argumentum, ubi hæc habet: *Ad tertium dicendum, quod aliud est referre habitualiter in Deum, & aliud virtualiter. Habitualiter enim refertur in Deum, & qui nihil agit, nec qui actualiter aliquid intendit, ut dormiens, sed vir-*

realiter aliquid referre in Deum, est agentis propter finem ordinantis in Deum. Unde habitualiter referre in Deum non cedit sub præcepto charitatis, cum hoc nihil aliud sit, quam habere Deum ultimum finem. Hunc igitur Deum diligendi modum, quem præscribunt duo illi sancti Patres, quorum doctrina non deficit in æternum, ulro & secure amplectere, & quam longissime recede a nefariis corruptelis a Sede Apostolica damnatis, quibus non ita pridem moliores quidam Theologi maximum de dilectione Dei præceptum, & ad salutem adipiscendam omnino necessarium, penitus aboleare, vel ejus necessitatem elevare, restringere, atque infirmare moliti sunt. Sed, apage ejusmodi Scriptores, perfectioni Legis Evangelicæ, & castissime doctrinæ Morali Iesu Christi tam aperte adversantes.

D. Superioris ostendisti, cærenonias Veteris Legis cessasse in adventu Iesu Christi, veri Messiae. Sed si id ita sit, Ecur, quæso, Christus Dominus tanta cum sedulitate cærenonias Veteris Legis observavit? Fuit quippe circumcisus, purificatus est, observavit Sabbathum. Agnum Paschalem comedidit, Templum frequentavit, jejunavit, baptizatus est, verbo dicam, Christus Dominus, quandiu vixit, omnes Veteris Legis cærenonias ad summos juris apices observavit. Non igitur in adventu Christi cessarunt cærenonias Veteris Legis.

M. Non præcise in adventu Christi, sed in ejus Passione ac morte cessarunt, finemque habuerunt cærenonias Legales Veteris Legis, quo factum est, ut Christus Dominus toto durante vita sua tempore, eas ad amissim observarit, quia illas adimplere debebat, sicut ipsemet testatur c. 5. Matthæi, dicens: *Amen quippe dico vobis, donec transeat celum & terra, iota unum, aut unus apex non præteribit a Lege donec omnia fiant.* Hanc etiam rationem assert Angelicus Doctor 1. 2. Quæst. CIII. Art. 3. in Resp. ad 2. Argumentum. Ideo enim, juxta ianctum illum Doctorem, Christus omnes Veteris Legis cærenonias observavit, quia, eo prædicante, & miracula faciente, currebant simul Lex & Evangelium, jamque Mysterium Christi erat incohatum, sed nondum consummatum. At, Mysterium Redemptionis generis humani completerum fuit in Passione Christi: unde tunc Dominus dixit: *Consummatum est, ut habetur c. 19. Joan.* & ideo tunc totaliter debuerunt cessare Legalia, quasi jam veritate eorum consummata, in cuius signum, in Passione Christi velum Templa legitur esse scissum, *Matthæi cap. 27.*

D. Sapientia te audiui, Ritus, Sacrificia, Sacra menta, Festa, & Veteris Legis cærenonias adumbrasse ac præfigurasse Christum venturum, nec nunc exponisti mihi, quo pacto illum præfigurarint?

M. Quamvis certum sit, Deum hac omnia in Veteri Lege instituisse ad abolendam Idolatriam, ad conservandam divinorum beneficiorum memoriam, ad excellentiarum divinarum sensum animis hominum altius insigendum, ad designandam dispositionem mentis, Dei cultoribus necessariam, ad superbum populum jugo difficillimo subigendum, eumque rudem ac lascivientem severi veluti Pædagogi disciplinas subjiciendum: recte tamen docet S. Tho-

mas 1. 2. Quæst. CII. Art. II. præter has causas, seu rationes, quæ sunt literales, alias rationes mysticas assignari posse, cur Deus tot Ritus, Sacrificia, Sacra menta, Festa, & Cærenonias in Veteri Lege instituerit, videlicet ad Christum, & ad ejus sacra Mysteria delineanda & figuranda, ad Populi Christiani mores instituendos, & ad statum futura glorie designandum. Longior profecto essem, si hic percensere vellem omnes causas, seu rationes literales, quas perdoce expedunt S. Thomas, institutionis a Deo factæ Sacrificiorum, Sacra mentorum, Festorum, Rituum, & Cærenoniarum Veteris Legis. Ne igitur in immensum diffundar, horum omnium institutionis causas dumtaxat proferam mysticas, ob quas collimabant in Christum venturum, eumque præfigurarunt, ut inde facilius intelligas, hæc omnia, tametsi a Deo in Veteri Lege instituta, definere, finemque habere debuisse, quando, consummata illorum veritate, in Cruce mortuus est Christus Dominus, totumque Redemptionis generis humani adimpletum est Mysterium. In primis S. Thomas 1. 2. Quæst. CII. Art. II. ubi inquirit, utrum possit assignari conveniens ratio cærenoniarum, quæ ad Sacrificia pertinent? docet, rationes præceptorum Veteris Legis dupliciter accipi posse: uno modo ex ratione cultus divini, qui erat tempore illo observandus: & rationes ille sunt literales, sive pertineant ad vitandum Idolatriæ cultum, sive ad rememoranda aliqua Dei beneficia, sive ad insinuandam excellentiam divinam, vel etiam ad designandam dispositionem mentis, que tunc requirebatur coletibus Deum. Alio modo possunt eorum rationes assignari, secundum quod ordinantur ad figurandum Christum, & sic habent rationes figurales & mysticas, sive accipiuntur ex ipso Christo & Ecclesiæ, quod pertinet ad allegoriam: sive ad mores Populi Christiani, quod pertinet ad mortalitatem: sive ad statum future glorie, prout in eam introducimur per Christum, quod pertinet ad anagogiam. Id postquam præmisit S. Thomas, assignat in Articulis sequentibus tam rationes literales, quam mysticas cærenoniarum, quæ pertinent vel ad Sacrificia, vel ad Sacra menta, vel ad delectum ciborum, & usum aliarum Observantiarum cærenonialium Veteris Legis. Causam, seu rationem mysticam, cur voluerit Deus in Veteri Lege instituere Sacrificia, eorumque cærenonias, tradit Angelicus Doctor Art. 3. jam citatae Quæstionis, his verbis: „*Inter omnia dona, quæ Deus humano generi, jam per peccatum lapsi, dedit, præcipuum est, quod dedit Filium suum: unde dicitur Joannis cap. 3. Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam: & ideo potissimum Sacrificium est, quo ipse Christus se ipsum obtulit Deo in odorem suavitatis, ut dictum est cap. 5. Epistolæ ad Ephesios. Et propter hoc, omnia alia Sacrificia offerebantur in Veteri Lege, ut hoc unum singulare & præciousum Sacrificium figuraretur, tanquam perfectum per imperfecta. Unde Apostolus dicit cap. 10. Epist. ad Hebreos, quod Sacerdos Veteris Legis easdem saepe offerebat hostias, quæ nunquam possunt auferre peccata: Christus*“

„ s̄is autem pro peccatis obtulit unam in  
 „ sempiternum. Et quia ex figurato sumitur ra-  
 „ tio figura; ideo rationes Sacrificiorum figura-  
 „ lium Veteris Legis sunt sumenda ex vero Sacri-  
 „ ficio Christi. Haec tenus S. Thomas, qui in eodem  
 „ Articulo, seu in Responsione ad secundam sibi pro-  
 „ positam objectionem, hac habet: *Dicendum,*  
 „ quod Deus non volebat, seu in Veteri Lege, bu-  
 „ jusmodi sacrificia sibi offerri propter ipsas res, que  
 „ efferebantur, quasi eis indigeret: unde dicitur Iaie  
 „ cap. 1. *Holocaustum Arietum, & adipem Pinguum,*  
 „ & *sanguinem Vitulorum, & Hirorum, & Agnorum*  
 „ nolui: sed volebat ea sibi offerri ad significandum My-  
 „ sterium Redemptionis humanae per Christum. Præ-  
 „ terea, idem sanctus Doctor ibidem in Responsio-  
 „ ne ad secundam objectionem, causam, seu ratio-  
 „ nem mysticam, cur Deus materiam Sacrificiorum  
 „ Veteris Legis determinaverit, ad tria genera ani-  
 „ malium quadrupedum, scilicet de genere Boum,  
 „ Ovium, & Caprarum, & communiter ad aves,  
 „ seu ad Turturem, & Columbam, hanc indicat:  
 „ *Conveniens fuit*, inquit, *hec animalia offerri*  
 „ *in figuram Christi*, *quia Christus in Vitulo offer-*  
 „ *tur*, *propter virtutem Christi*; *in Agno*, *pro-*  
 „ *ppter innocenciam*; *in Arietate*, *propter principia-*  
 „ *mum*; *in Hirco*, *propter similitudinem carnis*  
 „ *peccati*; *in Turture*, & *Columba*, *duarum natura-*  
 „ *rum conjunctio demonstrabatur*; *vel in Turture ca-*  
 „ *flitas, in Columba charitas significabatur*. Cur au-  
 „ tem animalia in Sacrificiis Veteris Legis occide-  
 „ rentur? Duas rationes typicas in Responsione ad  
 „ 5. objectionem, sibi in eodem Articulo proposi-  
 „ tam, dat S. Thomas. Sic enim habet: *Per occi-*  
 „ *sionem animalium significatur destruatio peccatorum*,  
 „ *quia homines erant digni occidente pro peccatis suis*,  
 „ *ac si illa animalia loco eorum occiderentur*, *ad signi-*  
 „ *ficandam expiationem peccatorum*. *Per occasionem*  
 „ *etiam hujusmodi animalium significabatur occasio*  
 „ *Christi*. Habet nunc ex S. Thoma rationes typi-  
 „ cas, propter quas Deus in Veteri Lege instituit  
 „ Sacrificia. Non referam hic causas seu rationes  
 „ mysticas, propter quas Deus, sicut perdoce ostendit  
 „ S. Thom. Art. IV. jam citata Quæstionis, iussit Moysi  
 „ ut extremeret Tabernaculum, & res, quæ apud Ju-  
 „ daeos sacra esse debebant, reponeret sive in structura  
 „ Tabernaculi, sive in ipsomet Tabernaculo; has, in-  
 „ quam, rationes mysticas, que ad Christum Dominum  
 „ ordinantur, hic non attingam, quia, ut bene memini,  
 „ ejusmodi rationes mysticas in superiori Colloquio, dum  
 „ de Tabernaculo & de rebus sacris, quas tam intus  
 „ continebat, quam exterius representabat, sermo-  
 „ nem habuimus, fuerunt sat superque a nobis pre-  
 „ libatae. De Sacramentorum Veteris Legis rationibus  
 „ mysticis copiose differit S. Thomas Articulo  
 „ V. Quæstionis citatae, & postquam ostendit, Sa-  
 „ credotum Consecrationem, & Circumcisionem præ-  
 „ figurasse Christum Dominum, explicat rationem  
 „ mysticam, seu figuralem, cur in Lege Veteri fie-  
 „ ret Immolatio Agni Paschalis? „ Figuralis, in-  
 „ quia, ratio patet, quia per immolationem Agni  
 „ Paschalis significabatur immolatio Christi, secun-  
 „ dum illud 1. ad Corinth. capit. 5. Pascha nostrum  
 „ immolatus est Christus. Sanguis vero Agni  
 „ liberans ab exterminatore, limitis superliminatu-

„ bus domorum: significat fidem Passionis Christi  
 „ in corde & ore fidelium, per quam liberamur  
 „ a peccato & a morte, secundum illud 1. Epist.  
 „ Petri cap. 1. Redempti estis pretioso sanguine  
 „ Agni immaculati. Comedebantur autem carnes  
 „ illæ ad significandum esum corporis Christi in  
 „ Sacramento. Erant autem assæ igni, ad signifi-  
 „ candam Passiōnem vel charitatem Christi. Co-  
 „ medebantur autem cum azymis panibus ad signi-  
 „ ficandam puram conversationem Fidelium su-  
 „ mentum Corpus Christi, secundum illud 1. ad  
 „ Corinth. cap. 5. Epulemur in azymis sincerita-  
 „ tis & veritatis. Laetucæ autem agrestes adde-  
 „ bantur in signum pœnitentiae peccatorum, qua  
 „ necessaria est sumentibus Corpus Christi. Renes  
 „ autem accingendi sunt cingulo calxitatis: calceae-  
 „ menta pedum exempla mortuorum Patrum sunt.  
 „ Baculi, habendi in manibus, significant pasto-  
 „ ralem custodiā Præcipitur autem, quod in una  
 „ dono Agnus. Paschalis comedatur, id est, in  
 „ Ecclesia Catholicorum, non in Conventiculis  
 „ Hæreticorum. Docet præterea S. Thomas in  
 „ Responsione ad tertiam sibi in eodem Articulo  
 „ propositam objectionem, quadam Sacramenta  
 „ Nova Legis habuisse in Veteri Lege Sacramenta  
 „ figuralia sibi correspondentia. „ Nam circumcisiō-  
 „ ni, inquit, correspondet Baptismus, qui est fidei  
 „ Sacramentum, unde dicitur Epist. ad Coloss.  
 „ c. 2. Circumcisus estis circumcisione Domini no-  
 „ stri Iesu Christi, confecti ei in Baptismo.  
 „ Convivio vero Agni Paschalis correspondet in  
 „ nova Legi Sacramentum Eucharistia. Omni-  
 „ bus autem purificationibus Veteris Legis respon-  
 „ det in Nova Legi Sacramentum Pœnitentia.  
 „ Consecrationi autem Pontificis & Sacerdotum  
 „ respondet Sacramentum Ordinis. Sacramento  
 „ autem Confirmationis, quod est Sacramen-  
 „ tum plenitudinis gratiæ, non potest respondere  
 „ in Veteri Lege aliquod Sacramentum, quia  
 „ nondum advenerat tempus plenitudinis, eo  
 „ quod neminem ad perfectum adduxit Lex. Si-  
 „ militer autem, & Sacramento Extrema Un-  
 „ unctionis, quod est quædam immediata præpara-  
 „ tio ad introitum gloriæ, cuius aditus non  
 „ dum patebat in Veteri Lege, pretio nondum  
 „ soluto. Matrimonium autem fuit quidem  
 „ in Veteri Lege, prout erat in officium natu-  
 „ ræ, non autem prout est Sacramentum con-  
 „ junctionis Christi & Ecclesiæ, quia nondum  
 „ erat facta, unde & in Veteri Lege dabatur li-  
 „ bellus repudii, quod est contra Sacramenti  
 „ rationem. Quod spectat Festa Iudaorum, quæ  
 „ in Veteri Lege erant præscripta, ostendit etiam  
 „ S. Thomas citata Quæst. Art. IV. in responsione  
 „ ad X. ejusmodi Iudaorum Festa præfigurasse Je-  
 „ sus Christum, vel res ad Populum Christianum  
 „ attinentes. Sic enim scribit S. Doctor:  
 „ Figuralis autem ratio horum Festorum est, quia  
 „ per iuge Sacrificium Agni figuratur perpetuitas  
 „ Christi, qui est Agnus Dei, secundum illud  
 „ Epist. ad Hebraos cap. ultimo, Jesus Christus  
 „ heri & hodie, ipse & in secula. Per Sabba-  
 „ tum autem designatur spiritualis requies nobis  
 „ data per Christum, ut habetur cap. 4. Epist.

„ ad Hebreos . Per Neomeniam autem , quæ est  
 „ intensio nova Lunæ , significatur illuminatio  
 „ primitivæ Ecclesiæ per Christum , eo prædican-  
 „ te , & miracula faciente . Per Festum au-  
 „ tem Pentecostes significatur descensus Spiritus  
 „ Sancti in Apostolos . Per Festum Expiationis  
 „ significatur emundatio a peccatis Populi Chri-  
 „ stiani . Per Festum autem Tabernaculorum ,  
 „ significatur peregrinatio eorum in hoc mundo ,  
 „ in quo ambulant in virtutibus proficiendo . Per  
 „ Festum autem Cœtus atque Collectæ , signifi-  
 „ catur Congregatio Fidelium in Regno Cœlo-  
 „ rum , & ideo istud Festum dicebatur sanctissi-  
 „ mum . Et tria Festa erant continua ad invi-  
 „ cem , quia oportet , expiatos a vitiis proficere  
 „ in virtute , quoique perveniant ad Dei visio-  
 „ nem , ut dicitur in Psalmo 83 . Denique S.  
 Thomas Articulo VI . jam citata Quæstionis , cau-  
 „ sam assignans institutionis quarundam Observan-  
 „ tiarum cærimonialium Veteris Legis , videlicet  
 cur Deus præcepit Iudeis ut abstinerent a san-  
 „ guine , a suffocatis animalibus , & ab esu quo-  
 „ rumdam ciborum , tanquam immundorum ? hæc  
 „ habet : *Cultus Legis Mosaicæ figurabat Mysterium  
 Christi , unde omnia eorum , seu Iudaorum , gesta  
 figurabant ea , que ad Christum pertinent , secun-  
 dum illud i. ad Corinth. cap. 10. omnia in figu-  
 „ ris contingebant illi , & ideo rationes harum Ob-  
 servantiarum duplicitate assignari possunt . Uno me-  
 do secundum congruentiam ad divinum cultum . Alio modo secundum quod figurant aliquid circa  
 Christianorum vitam . Ex his ergo mysticis acty-  
 picis rationibus , quas assignat S. Thomas , manife-  
 „ sto patet , omnia , quæ Deus instituit in Veteri  
 Lege , sive Sacrificia , Sacra & Sacraenta , sive  
 Festa , & Observantias cærimoniales , præfigurante  
 Christum venturum , ac subinde debuisse in morte  
 Christi , completa eorum veritate , cessare . Quam  
 in rem S. Cyrilus Alexandrinus l. IX . contra Aposto-  
 tam Imperatorem Julianum apposite ait : „ Deus con-  
 „ stituit quidem per sapientissimum Moysem ritus  
 „ umbratiles ac typicos , gñarus typos informandis  
 „ eorum mentibus , qui tum eruditabantur , idoneos  
 „ esse : non ita tamen ut in rebus adeo crassis  
 „ perpetuo hærentes , spirituali & intellectuali  
 „ cultu exciderent : Sed accepta in multis rerum  
 „ verarum prædictione , Dei obsecrandi modum  
 „ cum primis agnoscerent , ad recte vivendi se-  
 „ mitam scire & artificiose pergentes . Quemad-  
 „ modum enim perit Fabri ærarii formas ima-  
 „ ginum , quas facturi sunt , in cera liquefacta  
 „ prius exhibent , non ut eatenus tantum illorum  
 „ ars progrediatur , sed ut in ipsis eorum , quæ  
 „ mox facienda sunt , decus prius elueat : poft-  
 „ quam tamen ad exitum perductum opus erit ,  
 „ non jam artificem jure incusabimus , quod ty-  
 „ pos negligat . Simili , opinor , modo , postea-  
 „ quam Christus illuxit , qui est veritas , & Chri-  
 „ stianus cultus introductus est , vanos esse typos  
 „ jure statuimus , spiritualium quippe imagines  
 „ erant .*

D. Potestne ex vaticiniis Prophetarum evinci , Legem Veterem , quantum ad Sacrificia , Sacra , Sacraenta , Festa , & Observantias cærimoniales

cessasse in morte Christi , populumque Judaicum  
 defuisse esse populum Dei ?

M. Id eleganter ostendit Laelius lib. IV .  
*Institutionum Divinarum* cap. xx . ubi hæc habet :  
 „ Moyles & ipsi Prophetæ , Legem , quæ Iudeis  
 „ data erat , testamentum vocant , quia nisi te-  
 „ stator mortuus fuerit , nec confirmari testamen-  
 „ tum potest , nec fieri quid in eo scriptum sit ,  
 „ quia clausum & obsignatum est . Itaque nisi  
 „ Christus mortem suscepisset , aperiri testamen-  
 „ tum Dei non potuisset . Verum , Scriptura o-  
 „ mnis in duo Testamenta divisa est . Illud quod  
 adyentum Domini Passionemque antecessit , id  
 est , Lex & Prophetæ , Vetus dicitur . Ea ve-  
 ro , quæ post Resurrectionem Christi scripta  
 sunt , Novum Testamentum nominatur . Ju-  
 „ dæi Veteri utuntur , nos Novo , sed tamen  
 diversa non sunt , quia Novum Veteris adim-  
 pletio est , & in utroque idem testator est  
 Christus , qui pro nobis morte susceptra , nos  
 „ hæredes Regni æterni fecit , abdicato & ex-  
 hæredato populo Iudeorum , sicut Hieremias  
 „ propheta testatur , cum loquitur talia : Ec-  
 ce dies venit , dicit Dominus , & consum-  
 mabo domui Irael , & domui Juda testamen-  
 tum novum , non secundum testamentum , quod  
 disposui patribus eorum in die , qua apprehen-  
 di manum eorum , ut educerem illos de Ter-  
 ra Egypti , quia ipsi non perseverarunt in te-  
 stamento meo , & ego neglexi eos , dixit Do-  
 minus . Item alio loco similiter ait : Dereli-  
 „ qui domum meam , dimisi hæreditatem meam  
 „ in manu inimicorum ejus . . . . Facta est  
 „ mihi , inquit Christus , hæritas mea sicut  
 Leo , id est , preda & devoratio factus sum hæ-  
 redibus meis , qui me immolaverunt sicut pe-  
 cus . Dedit super me vocem suam , id est , sen-  
 tentiam adversus me mortis , crucisque dixerunt .  
 „ Nam quod superius ait , consummaturum se do-  
 mui Juda testamentum novum , ostendit ( seu  
 Christus ) Vetus illud Testamentum , quod per  
 Moysem est datum , non fuisse perfectum , id  
 autem , quod per Christum dari deberet , con-  
 summatum fore . Dominus autem Juda & I-  
 rael non utique Iudeos significat , quos abdi-  
 cavit , sed nos , qui ab eo convocati ex gen-  
 tibus , in illorum locum adoptione successi-  
 mus . . . . Cum igitur nos , antea tanquam cæ-  
 ci , & tanquam carcere fluitis inclusi , sedere-  
 mus in tenebris ignorantes Deum & veritatem ,  
 illuminati ab eo sumus , qui nos Testamento suo  
 adoptavit , & liberatos malis vinculis , atque  
 in lucem sapientie productos , in hæreditatem  
 Regni Cælestis adscivit . Ex quibus Laelius  
 verbis manifestum est , Deum voluisse , ut omnia ,  
 quæ instituerat in Veteri Lege præfigurantia Chri-  
 stum , in morte ejusdem Christi finem haberent ,  
 & ut Nova , seu Evangelica Lex , in locum Ve-  
 teris , seu Mosaicæ , Legis subrogaretur , & tan-  
 dem , exhaeredato contumaci Populo Judaico ,  
 novum populum , seu Christians , Lege sua ad-  
 paret , & in hæreditatem Regni Cælestis adscis-  
 ret . Ea de causa , Deus , qui Religionem Judaicam in  
 Veteri Lege redegerat ad viñimas , viñimas ad cer-  
 tum

tum modum, modum ad tempus, tempus ad locum, & locum ad unam Civitatem, seu Hierosolymam, & ad unum Templum, seu Hierosolymitanum, contraxerat, permisit, ut, non multo post mortem Jesu Christi, eadem Civitas, Templumque Hierosolymitanum ab Exercitu Romanorum funditus everterentur, & ut omnes Judæi per totum orbem dispergerentur, ubi fas non erat sacrificare, Hierosolymam vero illis adire non liceret, in qua sola licebat immolare. Hac, inquam, permisit Deus, ut omnes inteligerent, Religionem Judaicam, sitam potissimum in Sacrificio, Ritibus, Festis, Cæremoniis, aliisque id genus, quæ ad divinum cultum spectabant, quæque Judæi in solo Templo Hierosolymitano exercere ac celebrare poterant, destruncto semel Templo Hierosolymitano, exstincta fuisse, & omnia quæ in Veteri Lege ad præfigurandum Mysterium Redemptionis generis humani erant instituta, desistere in integrum in morte Jesu Christi, qui omnes figuras, quibus in Veteri Lege fuerat adumbratus, perfectissime, juxta Prophetarum Oracula, adimplevit. Quemadmodum enim, verba sunt S. Joannis Chrysostomi Oratione 1. adversus Judæos, Faber, iactis fundamentis, erectis parietibus, concamerata testudine, ipsaque concameratione in unum lapidem in medio positum connexa, si eum tollat, totam edificii compagem solverit: Similiter Deus, quem eam Civitatem, seu Hierosolymam, fecisset quasi nodum totius Religionis Judaicæ, ac mox hanc Civitatem subverterit, nonne pariter universum ejus Civitatis statum subverit? Jam vero, lubens regaverim Judæos, qua de causa, cum tantum temporis in Ægypto versati receperint statum suæ Civitatis, ac rursus reducti in Babylönum, redierint Hierosolymam; ac denique sub Antiocho, Rege Syriæ, tam multa passi mala, ad pristinum reversi sint statum, & denuo Sacrificia, Altare, Sancta Sanctorum, breviter, omnia cum pristina receperint dignitate, nunc nihil simile faciūt fuerit, cum tamen a devestatione Templi Hierosolymitani ad hæc usque tempora effluxerint mille & septingentis circiter anni? Nam semel & iterum, ac tertio sub Imperatoribus Adriano, Constantino, & Julianō conati sunt destrutum Templum Hierosolymitanum instaurare, sed conatus illorum semper interruptus est, primum quidem a militibus, rursus ab igne promicante e fundamentis, & illorum importunam pervicaciā coercente: Qua de causa, inquam, Judæi extra Hierosolymam agunt tanto tempore? Quorsum dirutum Templum manet adhuc solitudinis calamitas, & saepē conantibus Judæis instaurationem, conatus in vacuum cesserint? Non aliam tot malorum certe invenio ipse causam, præter istam, quam ipsa rerum veritas loquitur: Posteaquam Judæi per summam insaniam debacchati sunt in Christum, posteaquam in illum injecerunt manus, eisque pretiosum sanguinem effuderunt, propterea, perfidi Judæi a Deo rejecti & repulsi sunt, nec illa his relicta spes reædificandi Hierosolymam, Templum instaurandi, Legem observandi, Festa peragendi, Aenam Paschalem mactandi & comedendi, Sacerdotium, & Sacrificium unquam

amplius habendi, atque suis sedibus, patrioque Solo dejecti, per universum orbem dissipantur, omnibus nationibus exosi, innumeris malis obnoxii, & miseram servientes servitutem. Hæc est vera causa, cur in morte Christi Domini omnia, quæ Deus in Veteri Lege ad præfigurandum Christum venturum instituerat, finem acceperint, & Populus Judaicus desierit esse Populus Dei.

D. Deplorandam sane video cæcitatem Judæorum, qui, oftensa licet in morte Christi figuram Legis veritatem, adhuc tenent mordicus Sabatismos, Circumcisionem, delectum ciborum, victimas, lotiones, & alias hoc genus Legis figuræ, quas Christus Dominus, per illas designatus, per mortem suam fecit supervacaneas. Adhuc pendent miseri Judæi a Prophetarum promissis, cum is exhibitus sit, quem illi promiserunt, verum Messiam abnegant, & alium quendam plane imaginariū expectant, cum non sit alius præter Iesum Christum, ad cuius nomen aperiunt caput, inclinant cervices, flectunt genua summi orbis Monarchæ, reviviscent mortui, contremiscunt dæmones, torquentur & fugiunt noxi spiritus. O plusquam adamantinam pervicaciā Judaorum, qui in Christum, sibi a Prophetis, & a Lege præmissum, credere noluerunt! Sed o felicem fortē Gentium, quæ licet Prophetarum ac Legis promissa comperta non haberent, Evangelio tamen credentes, pronis auribus, demissisque animis auctorunt doctrinam Christi, & in Cruce illius gloriantes, absque Legis Mosaica onere, justitiam ac sanctimoniam sunt assecutæ! At dicas mihi, obfeso te, an Veteris Legis cæremonia ita in morte Christi desierint, ut si Christiani eas post passionem Christi observare voluissent, lethaliter peccassent?

M. Hoc dubium, quod proponis, dilucide post S. Augustinum explicat S. Thomas 1. 2. Quest. CIII. Art. 4. in Responce ad primam objectionem sibi propositam, ubi hæc habet: „Convenientius Augustinus distinxit tria tempora. „ Unum quidem ante Christi Passionem, in quo Legalia neque erant mortifera, neque mortua. „ Aliud autem post tempus Evangelii divulgati, „ in quo Legalia sunt mortua & mortifera. Terrium autem est tempus medium, scilicet a Passione Christi usque ad divulgationem Evangelii, in quo Legalia quidem fuerunt mortua, quia neque vim aliquam habebant, neque aliquis ea observare tenebatur; non tamen fuerunt mortifera, quia illi, qui ex Judæis converti erant ad Christum, poterant illa Legalia licite observare, dummodo non sic ponerent spem in eis, quod ea reputarent sibi necessaria ad salutem, quasi sine Legalibus fides Christi justificare non posset. His autem qui convertebantur ex Gentilitate ad Christum, non erat causa, ut ea observarent, & ideo Paulus circumcidit Timotheum, qui ex matre Judæa genitus erat. Titum autem, qui ex Gentilibus natus erat, circumcidere noluit. Ideo autem noluit Spiritus Sanctus, ut statim inhiberetur his, qui ex Judæis convertebantur, observatio Legionum, sicut his, qui ex Gentilibus convertebantur, inhibebatur Gentilitatis Ritus, ut

quædam differentia inter hos Ritus ostendetur. Nam Gentilitatis Ritus repudiabatur tanquam omnino illicitus, & a Deo semper prohibitus. Ritus autem Legis cessabat, tanquam impletus per Christi Passionem, ut pote a Deo in figuram Christi institutus. Ex qua S. Thomas doctrina manifestum est, Veteris Legis cærenicias medio illo tempore, quod fluxit a Passione Christi usque ad sufficientem Legis promulgationem, mortuas quidem fuisse, sed neicum mortiferas, adeoque illas sub hoc Evangelicæ Legis crepusculo potuisse absque crimine religiose observari, ut Synagoga cum honore sepeliretur. At post promulgationem Legis Evangelicæ docet Angelicus Doctor eodem in Articulo, Veteris Legis cærenicias mortiferas evasisse, adeo ut, si quis Christianus eas nunc observare vellet, mortali peccaret. Quamvis enim, inquit S. Thomas, sit eadem fides, quam habemus de Christo, & quam antiqui Patres habuerunt, tamen quia ipsi præcesserunt Christum, nos autem sequimur; eadem fides diversis verbis significatur a nobis, & ab eis. Ab eis dicebatur: Ecce Virgo concipiet & pariet filium, quæ verba sunt futuri temporis. Nos autem idem repræsentamus per verba præteriti temporis, dicentes, quod concepit & peperit. Et similiter cærenicias Veteris Legis significabant Christum, ut nasciturum & passurum. Nostra autem Sacraenta significant ipsum ut natum & passum. Sicut igitur peccaret mortaliter, qui nunc suam fidem protestando, diceret, Christum nasciturum, quod antiqui pie & veraciter dicebant: Ita etiam peccaret mortaliter, si quis nunc cærenicias observaret, quas antiqui pie & fideliter observabant. Et hoc est, quod Augustinus dicit contra Faustum (*Hæreticum Manicheum*) jam non promittitur nasciturus, passurus, & resurrecturus, quod illa Sacraenta quodammodo personabant, sed annunciatum, quod natus fit, passus fit, resurrectum, quod hæc Sacraenta, quæ a Christianis aguntur, jam personant. Hanc doctrinam hauit Angelicus Præceptor ex S. Augustino, qui Epistola 19. ait, Veteris Legis cærenicias, post promulgationem Legis Evangelicæ ita mortiferas evasisse, ut si quis eas nunc observaret, Hæreses jure optimo infimularetur, & violator haberetur sepulchri, quo multis abhinc sæculis condita est Synagoga: Proinde, verba sunt S. Augustini, nunc quisquis Christianorum, quamvis sit ex Iudeis, similiter ea, seu Legalia, celebrare voluerit, sopsitos cineres eruens, non erit pius deductor, vel bajulus corporis, sed impius sepulture violator. Advertere tamen debes, Ecclesiam Græcam, Gallicanam, & Germanicam observasse per plura sæcula præceptum, quod Apostoli, in Concilio Hierosolymitano congregati, considerunt: *Vixum est Spiritui Sancto & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hec necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulachrorum, & sanguine, & suffocatio, & fornicatione, a quibus custodientes vos, bene agatis.* Act. Apost. cap. xv. v. 28. & 29. Hoc, inquam, præceptum, quod in nascentis Ec-

Ecclesiæ crepundiis ad pacem & concordiam Iudeos inter & Gentiles, ad Christianam Religionem conversos, conciliandam sanxerunt Apostoli, quodque subinde temporaneum dumtaxat esse debebat, quedam Ecclesiæ, seu Græca, Gallicana, & Germanica per plura sæcula observarunt. Græci siquidem in Synodo Trullana celebrata anno 692. Can. 66. prohibent, ne quis animalium sanguinem quovis modo comedere aggrediatur, & si sit Clericus deponatur; sin autem Laicus, segregetur. Concilium etiam Aurelianense, habitum in Galliis ann. 553. Can. 20. indicit abstinentiam a suffocatis. Idem in Ecclesia Germanica constitutum est in Concilio Wormatiensi Can. 64. Verum, istæ Ecclesiæ laudatis Canonibus indixerunt abstinentiam a sanguine & suffocato, non quod hanc Legem, ab Apostolis conditam, adhuc obligare autumarent, sed quod judicarent, conveniens esse, ut hanc disciplinam, seu consuetudinem, a Majoribus acceptam, maxima Religione servarent, quamvis aliunde elsum sanguinis & suffocati absolute illicitum esse non existimarent, nec damnarent alias Ecclesiæ, in quibus contraria videbat consuetudo, sicut recte explicat Humbertus, Cardinalis, & Sylvæ candidæ Episcopus, in *Diologo contra calumnias Grecorum*.

D. Eo precepto, quod Apostoli in Concilio Hierosolymitano considerunt, abstinentia a sanguine animalium, a suffocato, & ab immolatis simulachrorum perinde indicatur & decernitur ac abstinentia a fornicatione. Præcepti autem de abstinentia a fornicatione incumbit omnibus Christianis indispensabilis, & perpetua observandi obligatio, quidni igitur præceptum de abstinentia a sanguine animalium, a suffocato, & ab immolatis simulachrorum perpetuo observare obstringentur Christiani?

M. Hoc Apostolorum præcepto abstinentia a sanguine animalium, a suffocato, & ab immolatis simulachrorum perinde indicatur ac abstinentia a fornicatione, sed non eodem tenore. Nam abstinentia a fornicatione indicatur ac præcipitur, quia fornicatio per se mala est, & quia Gentiles non reputabant eam esse peccatum: unde non mirum, quod ad præceptum de abstinentia a fornicatione jugiter observandum adstringantur Christiani. Sed abstinentiam a sanguine animalium, a suffocato, & a cibis, qui Idolis erant immolati, imperarunt Apostoli, non quod putarent esum sanguinis animalium &c. esse per se malum & illicitum, aut quod judicarent, hanc ab esu sanguinis animalium abstinentiam esse præscribendam ad obserandas cærenicias legales, sed eo dumtaxat fine ejusmodi abstinentiam ad tempus præceperunt, ut semota dissensionis materia, pax & concordia Iudeos inter & Gentiles, ad Religionem Christianam conversos, sarta tecta conservari posset: *Iudei enim* ( inquit S. Thomas 1. 2. Quæst. CIII. Art. IV. in response ad tertiam objectionem ) propter antiquam consuetudinem sanguis, & suffocatum erant abominabilia. *Comectio autem immolatorum simulacris poterat in Iudeis generare circa Gentiles suspicionem redditus ad Idolatriam, & ideo ista fuerunt pro-*

prohibita pro tempore illo, in quo de novo oportebat convenire in unum Gentiles & Judeos. Procedente autem tempore, cessante causa, cessat effectus, manifesta Evangelice Doctrina veritatem, in qua Dominus docet, quod nihil, quod per os intrat, coinqnat hominem, ut dicitur Matthaei cap. 15. Et quod nihil est rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur, ut dicitur cap. 4. Epist. 1. ad Timotheum. Fornicatio autem prohibetur specialiter, quia Gentiles non reputabant eam esse peccatum.

D. Quid sibi vult Christus Dominus, dum Matthaei cap. 15. v. 11. ait: Non quod intrat in os, coinqnat hominem? Quid vero Paulus, dum cap. 4. v. 4. Epist. 1. ad Timotheum, dicit: Nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur?

M. His verbis: Non quod intrat in os, coinqnat hominem, Christus Dominus redarguit Pharisaeos, qui non solum abstinebant a quibusdam cibis, quasi fuissent natura sua immundi, verum etiam ut viderentur Legum non interpretes modo, sed etiam conditores, frivolis quibusdam observationiunculis simplicem plebem onerabant multis praceptiunculis, quod genus sunt ista: Ne quis cibum capiat manibus impuris. Manus autem appellabant impuras, quando erant illotæ, quasi manus cibum aut hominem contaminaret, aut quasi liquor aquæ fordes abstergeret animi. Item, ne quis a foro reversus, & in promiscua turba versatus, cibum capiat, nisi prius abluto corpore: perinde quasi contactus hominum inquinaret hominem; aut quasi purus sit, qui lotus sit. Rursum, ut lavarentur urei, pocula, eramenta, sellæ, reliquaque supellex, cuius erat usus quotidianus. Has itaque observationiunculas simplici plebi venditantes Pharisæi, adierunt Christum, eique dixerunt: Quare Discipuli tui transgredientur traditionem seniorum? non enim lavant manus suas cum panem manducant. Quibus ipse respondit: Hypocrite, bene prophetavit de vobis Isaia, dicens: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me. Sine autem causa colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum. His dictis, Christus velut avertitus a Pharisæis, iussit turbas proprii accedere, dicens: Audite & intelligite: Non quod intrat in os, coinqnat hominem, sed quod procedit ex ore, hoc coinqnat hominem. Quasi diceret Christus: Lex Evangelica, cuius conditor sum, non in ceremoniis legalibus, non in abstinentia a quibusdam cibis, quasi immundi essent, non in ipsis, quas Pharisæi invixerunt, observationiunculis sita est, sed in affectibus animi. Hanc igitur Legem celestem possea quam cœpissis profiteri, nihil vobis sit rei cum fucatis Pharisæis, qui abstinent a quibusdam cibis, tanquam immundis, quique præpostero judicio summanam pietatem collocant in externis ceremoniis & praceptiunculis, & ea que sunt animi negligunt. Cyathos horrent illatos, & animos impuros habent, manus & cutem subinde lavant, animum vero pauciunt omnibus vitiis inquinari. Hoc in sensu intellegenda sunt hæc Christi verba: Non quod intrat in os, coinqnat hominem. Liberavit nos quippe Christus Dominus per mortem suam ab observatione cæmoniarum Veteris Legis, & constitutiuncularum, quas Legi adjiciebant Pharisæi, &

quibus onerabant Populum Judaicum plus satis gravatum Legis Mosaica onere. Ab observatione cæmoniarum Veteris Legis, & ab abstinentia judaica quorundam ciborum, quasi impuri ac immundi essent, nos per mortem Christi fuisse liberatos, docet Apostolus Paulus cap. 4. v. 1. & seq. Epist. 1. ad Timotheum, ubi haec habet: Spiritus autem manifeste dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis demoniorum: in hypocrisi loquentium mendacium..... probibentium abstinen a cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & iis, qui cognoverunt veritatem; quia omnis creatura Dei bona est, & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Quibus verbis Apostolus Paulus aperte declarat, Fideles, redemptos sanguine Christi, revocare non debere Judaicum ciborum delectum, quasi cibus ipse quidquam habeat impuritatis, cum omne ciborum genus Deus in hoc paraverit, ut his ad corporis necessitatem, vireque farciendas moderate utatur, pro sua benignitate gratias illi agentes, quicunque pro Mosaica Lege Evangelicam Fidem fumus amplexi, quique, discussis Judaicarum cæmoniarum nebulis, ad lucem veritatis adducti, cognovimus, quidquid ab optimo Deo conditum est, id natura sua bonum esse, si quis, ut oportet, & ad quod conditum est, utatur; nec ullum esse cibi genus abominandum, aut rejiciendum, quod velut a benigno Deo datum percipitur cum gratiarum actione. Nihil enim in rebus a Deo conditis impurum est, aut immundum; si purus ac mundus sit utentis animus. Eamdem doctrinam Fidelibus inculcat idem Apostolus cap. 2. Epistolæ ad Colossenses, dicens: Nemo ergo vos judicet in cibo, aut potu, aut in parte diei festi, aut neomenia, aut Sabbatorum, quæ sunt umbra futurorum, Corpus autem Christi. Ab hac ergo Judaicarum cæmoniarum observatione ideo Christianos Apostolus Paulus liberos esse pronuntiat, quia haec fuerunt umbras, quæ portendebant olim ac delineabant ea, quæ postea essent vere exhibenda a Christo. Cum igitur Christiani corpus ipsum teneant, palamque ipsis illuxerit veritas, non debent amplius consecrari umbras, sed oportet, ut Christo capiti, in Cælis agenti, charitatis vinculo adhaerentes, non curent nisi cælestia, rectaque tendant ad præmium immortalitatis.

D. Si, juxta Christi oraculum: Non quod intrat in os, coinqnat hominem; si juxta Apostolum Paulum: Omnis creatura Dei bona est, & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur; si denique Christus Dominus, ut mox dixisti, per mortem suam liberavit nos ab observatione cæmoniarum Veteris Legis, quas inter erat delectus ciborum, seu abstinentia a quibusdam cibis, tanquam immundis, ut quid, quæso, Ecclesia certis anni temporibus, & potissimum in Quadragesima, Judaicum istum revocat ciborum delectum, eiisque carnium interdictum Fidelibus, quos tamen Christus per mortem suam omnibus cibis indiscriminatum utendi plena libertate donavit?

M. Ecclesia præcipit quidem certis anni diebus, ut Fideles, dum jejunant, abstineant a carni-

bus, & ab aliis quibusdam eduliis, non quod censent carnes esse ex natura sua malas & immunadas, aut quod velit antiquatum per mortem Christi Judaicum ciborum delectum revocare, absit: sed quod judicet Ecclesia, id genus abstinentiae multum prodest saluti Fidelium, qui hoc paecto domant passiones suas, fraternum perducent cupiditatem injiciunt, & carnem suam castigant. Ceterum, Ecclesia Catholica damnat Hereticos Marcionitas, Encratitas, & Manicheos, qui quedam ciborum genera execrabantur, quod a Deo malo condita esse pertenderent. Improbat etiam Hereticos Montanistas, qui jejunia, seu Quadragesimas multiplicabant, quae valetudinem summum in discribent poterant adducere; vultque Ecclesia, ut Fideles per abstinentiam a carnibus, quam eis certis anni diebus indicit, corpus suum affligant, & macerent, sed non atterant, & exhaustant, vult, ut carnem suam in ordinem redigant, non immode excrucient, cupiditatem cohibeant, valetudinem autem non evertant. Denique, Ecclesia, dum statis anni diebus præcipit abstinentiam a carnibus, & a quibusdam aliis eduliis, non revocat Judaicum ciborum delectum, sed potius illos peccati reos esse declarat, qui Judaico more, a quibusdam cibis abstinerent, quod putarent illos esse immundos. Judæorum enim ista vox est, non Christianorum, *hoc cibo, ut pote immundo, ne vescitor, hoc corpus, prop' immunditatem, ne contingit, hac ueste, quæ immunda est, ne uitior, hac die ne illud, aut illud agito.* Quamvis igitur cibus aut potus, aut eorum sumptio, saeppe natura bona non sint aut mala, nec piis reddant, nec impios (quo in sensu Christus Dominus, dicit: *Non quod intrat in os, coquinat hominem*) abstinentia tamen ab illis, ad virtutes comparandas ex præcepto Ecclesiæ, aut juxta conditionem personarum ex voto aut devotione voluntarie assumpta, laudabilis est & meritoria, ac pietati deseruit, ad illam præparans, & magnum illi afferens incrementum: alioqui non toutes abstinentiam & sobrietatem commendaret Scriptura Sacra, nec Deum alloquens concineret Ecclesia: *Qui corporali jejunio vitia comprimit, mentem elevas, virtutem largiris & præmia.* Addo etiam, ciborum delectum inductum fuisse ab ipsissimis Apostolis, quippe qui, ut mox diceabamus, abstinentiam a suffocato & sanguine præcepérunt; ac subinde summa temeritatis esse negare, Ecclesiam ad utilitatem Fidelium super hujusmodi rebus Leges constitutere posse, cum jure naturali indicatum sit, ut inferiores superiorum Legibus dirigantur, & Christus districte præcipiat, ut obediamus Ecclesiæ: *Si quis Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus, Matthœi cap. 18.* Hac præmissa expositione, statim patescit mens Apostoli Pauli. Nam primo, dum cap. 4. v. 1. Epist. 1. ad Timoth. ait: *Omnis creatura Dei bona est, & nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur;* id Apostolus scribit contra nonnullos, quorum errorem postea fecuti sunt Heretici Encratitæ, Marcionitæ, & Manichei, qui abhorrebat a quibusdam cibis, quod dictarent, illos a malo Deo conditos esse. Hanc esse

germanam mentem Apostoli Pauli assertant sancti Patres, Hieronymus cap. 2. lib. 2. adversus Iovinianum, S. Chrysostomus Homil. 12. in Epist. 1. ad Timoth. Theodoretus in cap. 4. Epist. 1. ad Timoth. & S. Augustinus lib. 30. contra Faustum cap. 5. Præterea quando Apostolus Paulus cap. 2. Epist. ad Colossenses, ait: *Nemo vos judicet in cibo, aut potu, aut in parte diei Festi, aut Neomenie, aut Sabbatorum, que sunt umbra futurorum &c.* Hec scribit Apostolus contra quoddam pseudop Apostolos, qui abrogatas per mortem Christi Legis Veteris cærementias revocare totis viribus satagabant, & Fideles inducebant, ut eas, velut ad salutem necessarias, observarent, eademque opera abstinerent a quibusdam cibis, tanquam immundis. Denique, cum in exordio Ecclesiæ nullo Fideles obstringerentur præcepto abstinendi a cibis, qui erant immolati Idolis; ideo Apostolus cap. 10. Epist. 1. ad Corinth. v. 25. & seq. ait: „*Omne quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam . . . . Si quis vocat vos infideli, & vultis ire; omnime, quod vobis apponitur, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Id est, nihil interrogantes, an immolatum sit, an secus? idque propter conscientiam. Vitandum enim est offendiculum, si incidat, non accersendum. Hinc immediate subdit Apostolus: Si quis autem dixerit: Hoc immolatum est Idolis: nolite manducare, propter illum, qui indicavit, & propter conscientiam. Et Epist. ad Romanos capit. 14. v. 21. ait idem Apostolus: „Bonum est non manducare carnem, & non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur, aut infirmatur. Si ergo Apostolus Paulus vetat Fidelibus, ne carnes immolatitias edant, vel vinum bibant, quando potest inde oriri scandalum; quanto magis nunc Fideles servare debent abstinentiam a carnibus, aliisque eduliis, quam certis anni temporibus ad eorum utilitatem præscribit Ecclesia, quæ habet a Deo auctoritatem condendi ejusmodi Leges, quibus obediare debemus, quasque citra scandalum, & ejusdem Ecclesiæ auctoritatis contemptum violare non possumus: *Odedite Præpositis vestris, & subiacete eis,* inquit idem Apostolus cap. 13. v. 17. Epist. ad Hebreos. Quicunque igitur assenserunt, nullum certum cibi genus Christianis esse præscribendam, sed unicuique integrum & liberum esse debere ut his vescatur cibis, quos existimat conducere suæ valetudini, hi, inquam, non solum disciplinam Ecclesiasticam enervant, & adversant doctrinæ Apostoli Pauli, jubentis, ut inferiores præstent superioribus debitam obedientiam, verum etiam, Ecclesiæ Catholicæ, quæ hujusmodi escarum delectum certis anni diebus a Fidelibus observandum religiose & prudenter constituit, contumeliam irrogant, & Hereticorum Aerii, Joviniani, Waldensium, Wiclesi, Lutheri, Calvinii, aliorumque ejusdem furoris heterodoxorum damnatae doctrinæ consentiunt (a). „(a) Abstinentiam a carnibus præcipit Ecclesia, non quidem judicans malas esse carnes, sed*

„ sed spiritu jejunii . Cum vero jejunia indicens „ eo tendat , ut maceratum abstinentia corpus „ contra spiritum minus repugnet , neque alias „ potuerit omnino cibus interdicci , id sibi saltem „ curandum fuisse intellexit , ut in cibis defectus „ haberetur , & ab iis saltem abstiperetur , qui ma- „ gis usui sunt ad crapulam .

D. Hoc unum circa observantiam ceremoniarum Veteris Legis post Passionem Christi Domini superest tibi proponendum dubium . Dixisti quippe superius , ceremonias Veteris Legis statim post Passionem Christi fuisse quidem mortuas , id est , abrogatas , sed necdum mortiferas , quia hi , qui ex Judæis ad Religionem Christianam erant conversi , licite , & inculpata conscientia ejusmodi ceremonias observarunt usque ad sufficientem Legis Evangelicæ promulgationem . At , contrarium sentire mihi videtur Apostolus Paulus , cuius Epistolam ad Galatas nuperrime legebam . Ait namque *Paulus* cap. 2. v. 11. & seq. hujus Epist. se in faciem restitisse Petro , quod ceremonias Veteris Legis observaret : *Cum autem* , inquit , *venisset Cephas Antiochiam , in faciem ei restiti , quia reprehensibilis erat . Priors enim quam venirent quidam a Jacobo , cum gentibus edebat , cum autem venissent subtradiebat , & segregabat se , timens eos , qui ex circumcisione erant . Porro , observantiam ceremoniarum Veteris Legis Apostolus Paulus* virtutem vertere hand potuisset *S. Petro* , Principi Apostolorum , si tum temporis adhuc licita fuisset , & permissa arbitrio illorum , qui , relictio Judaismo , nomen dabant Christianæ Religioni .

M. Non reprehendit Apostolus *Paulus* *S. Petrum* , quod observaret ceremonias Legis , cum ipsem *Paulus* eas observaret ; circumcidit enim Discipulum suum *Timotheum* , sicut resertur cap. 16. v. 3. Act. Apost. Et secundum Legem Moysaicam , purificatus , intravit in templum , annuntians expletione dierum purificationis , ut legitur cap. 21. v. 26. ejusdem libri act. Apostolorum . Non , inquam , Apostolus *Paulus* , reprehendit *S. Petrum* , quod Veteris Legis ceremonias observaret , sed quod *S. Petrus* , data opera , se a gentibus segregando , & , ut placaret Judæis , circa Legalium observantiam adhibendo diligentiam nimiam , intempestivo suo exemplo non solum dabat gentibus , ad Religionem Christianam conversis , scandalum , sed etiam eis occasionem præbebat existimandi , observantiam ceremoniarum Veteris Legis esse necessariam ad salutem aeternam consequendam . Quia de causa *Paulus* dixit *Cepha coram omnibus* : *Si tu , cum Judeus sis , gentiliter vivis & non judaice , quomodo Gentes cogis judaizare ?* In hoc peccasse *S. Petrus* docet *S. Thomas* 1. 2. Quæst. 103. Art. 4. in responsione ad secundam sibi propositam objectionem . Quanvis autem error *S. Petri* , non fuerit error doctrinae , sed tantum conversationis , vere tamen fuit reprehensus a *S. Paulo* , sicut post *S. Augustinum* asserit ibidem Angelicus Doctor , non vero tantum reprehensus simulatorie sicut olim visum est *S. Hieronymo* , qui super hac re literariam cum *S. Augustino* habuit concertationem ? sed postea argumentis illius Aquilini Doctoris victus , in

eius descendit sententiam . Observantia itaque ceremoniarum Veteris Legis a tempore Passionis Christi usque ad sufficientem Legis Evangelicæ promulgationem , licita fuit , ea tamen Lege , ut omnes firmiter crederent , ejusmodi observantiam non esse necessariam ad salutem aeternam adipiscendam , & in his ceremoniis legalibus salutis spem non esse reponendam . *Adventientibus enim rebus* , quarum erant umbra illæ observations , id actum est , ut ostenderetur in ipsis umbris non esse spem reponendam , sed in ipsis rebus , quas illæ umbra significabam esse venturas , id est , Christum & Ecclesiam . Et propterea , illa jam omnia inania erant . Nec tamen ea , tanquam noxia , removenda , sed , tanquam superflua , contemnda Apostolus præcepit : *ut si quis Judeus Christo credidisset , propter offenditionem suorum non prohiberetur in ipsis superfluis remanere , nec tamen in eis salutem suam constitutam putaret . Non enim signa illa , sed ea , que his significantur , in salutem introducunt . Verba sunt S. Augustini cap. 4. lib. 14. contra Faustum , Machinæum .*

D. Præcepta judicialia , seu forensia , Veteris Legis , fueruntne in morte Christi abrogata perinde ac præcepta ceremonialia ejusdem Legis , ita ut peccarent nunc mortaliter Principes , qui juberent , ut ejusmodi præcepta judicialia in suis Diuinationibus observarentur ?

M. Fuerunt quidem præcepta judicialia , seu forensia Veteris Legis in morte Christi abrogata , sicut præcepta ceremonialia ejusdem Legis , cum hoc tamen discrimine , quod præcepta ceremonialia Veteris Legis , non solum in Passione Christi Domini mortua fuerint , seu vim obligandi non amplius habuerint , verum etiam post Legis Evangelicæ promulgationem mortifera evaserint , ac lethaliiter peccarent nunc qui ea observare vellent . At , præcepta judicialia Veteris Legis sunt quidem nunc mortua , id est , non habent vim obligandi , sed non sunt mortifera , „ quia ( inquit *S. Thomas* „ 1. 2. Quæst. 104. art. 3. ) si quis Princeps ordinaret in Regno suo , illa præcepta judicialia observari , non peccaret , nisi forte hoc modo observarentur , vel observari mandarentur , tanquam habentia vim obligandi ex Veteris Legis institutione : talis enim intentio observandi esset mortifera . Rationem hujus discriminis perdonat *S. Thomas* ibidem assignat , quia , inquit , præcepta ceremonialia principaliter in Veteri Lege instituta sunt ad figurandum Christi mysteria , ut futura ; & ideo ipsa eorum obserratio præjudicat Fidei veritati , secundum quam confitemur illa mysteria jam esse completa . Præcepta autem judicialia non sunt instituta ad figurandum , sed ad disponendum statum illius populi ( seu Judaici ) qui ordinabatur ad Christum , & ideo , mutato statu illius populi , Christo jam veniente , præcepta illa judicialia vim obligandi amiserunt . Lex enim fuit pædagogus ducens ad Christum , sicut ait Apostolus cap. 3. Epist. ad Galatas . Quia tamen hujusmodi præcepta judicialia non ordinantur ad figurandum , sed ad aliquid fiendum , ipsa eorum obseratio absolute non præjudicat Fidei veritati :

" ti: sed intentio observandi tanquam ex obligatione Legis præjudicat veritati Fidei, quia per hoc haberetur, quod status prioris populi (ieu Judaici) adhuc duraret, & quod Christus nondum venisset.

D. Hactenus de Lege Mosaica tam secundum se spectata, quam secundum ea, quæ complebitur, videlicet precepta moralia, cæteromialia, & judicialia; Sacra, Sacrificia, Sacramenta, Ritus, Festa, & alia id genus, copiose satis disseverimus. Nunc, si placet, veniamus ad quædam Facta historica, quorum accurata notitia haud parum lucis afferre poterit sacræ Historiæ, quam in Pentateuco descripsit *Moses*. In primis, me mini, te in superiori nostro Colloquio probasse contra *Joannem Spencerum*, Tabernaculum, quod Deus, ad specialem sui cultum, *Mosè* extruendum jussit, factum non esse ad formam Tabernaculi Idoli *Moloch*. Sed quinam esset iste *Moloch*, & quem cultum ei exhiberent Gentes, Idolatriæ tenebris immersæ? rogo te, ut in præsentia breviter exponas.

M. Sæpius in nostris Colloquis de cultu, qui Deo debetur, differendo, monui te, summam ab exordio Mundi, tam apud Patriarchas ante Diluvium, quam apud Patriarchas post Diluvium fuisse Sacrificiorum dignitatem atque auctoritatem; eo præsertim nomine, quod a Deo eorum usus esset præceptus, non tantum ut homines inde testarentur, se Cæli ac Terræ conditorem pro vero Deo agnoscere, eumque colere; sed ut esset etiam publica professio grati affectus Deo debiti pro beneficiis acceptis, atque denique, ut essent typi Sacrificii Christi, cuius merito & efficacia vere & reapse expianda erant peccata nostra, sedanda ira Dei, subindeque impetranda peccatorum remissio. At, quemadmodum nihil tam sanctum est, tamque religiosum, quod ad nefandos, & prophanos usus interdum a male feriatis hominibus non trahatur; ita idem in cultu & in Sacrificiis etiam obtigisse narrat Historia sacra. Atque, ut ceteros taceam abusus, sufficit nunc ex multis unum adduxisse Sacrificium, quod Populi Ammonitæ, & quidam Israelitæ, in Idololatriam prolapsi, Idolo *Moloch* offerebant, liberos suos scythica plusquam crudelitate comburendo. Porro, quis fuerit iste *Moloch*? non convenit inter Scriptores. Alii putant fuisse Mercurium, alii *Priapum*, alii *Jovem*, alii *Saturnum*. De forma etiam Idoli *Moloch* non consentunt itidem Auctores. *Joannes Lorinus* putat, Idolum *Moloch* fuisse hominis instar extensis manibus cupreum & concavum, in cuius concavitate accendebatur ignis, quoisque esset quasi ignitum. Alii Idolum *Moloch* fuisse æneum ex slimant, capite vitulino, reliquo corpore hominis forma, Regis insignibus, ac regio throno insidens, manus protendens, quibus pueros sibi oblatos exciperet, pyra intus accensa. Hoc autem nefandum Idolum colebant Ammonitæ, offerendo illi in Sacrificium pueros suos, eosque cremando. Sed, ne inter immolandum, puerorum, qui comburebantur, ejulatus commoverent parentum viscera, atque ut oblatio dæmoni gravior esset, impii Sacerdotes, aliquique hujus Idoli Ministri, quamdiu Sacrificium durabat, rauco tubarum clangore, & in-

defeso tympanorum strepita undique aera replebant. Denique, post absolutum abominabile sacrificium, cultores hujus Idoli sub arborum opacitate scortabantur. *Molochi* siquidem Templum luco cingebatur. Hoc execrandum Sacrificium, quod Idolo *Moloch* offerebant gentes, totumque illum infamem cultum populo Israelitico diffidet inhibuit Deus c. 18. v. 21. libri Levitici, dicens: *De semine tuo non dabis, ut consecretur Idolo Moloch, nec pollues nomen Dei tui.* Et cap. 20. v. 2. ejusdem libri: *Hec loquere filii Israel, & de advenis, qui habitant in Iſrael, si quis dederit de semine suo Idolo Moloch, morte moriatut, populus terra lapidabit eum.* Quam turpia, omniumque execratione digna essent ejusmodi Sacrificia, quibus Deis Diis suis humanas hostias immolabant, eleganter *Lactantius* cap. 21. lib. 1. *Divin. Institut.* defcribit his verbis: *Nam de infantibus, qui Saturno immolabantur propterod ium, quid dicam, non invenio. Tam barbaros, tam inmares fuisse homines, ut parricidium suum, id est, tetrum atque execrabilis humano generi facinus, sacrificium vocarent: cum teneras atque innocentes animas, quæ maxime est aras parentibus dulcior, sine ullo respectu pietatis extinguarent, immanitatemque omnium bestiarum, que tam fœtus suos amant, feritate superarent. O delectiam insanabilem!* Quid illis isti Dii amplius facere possent, si essent iratissimi, quam faciunt propitiū? Cum suos cultores parricidiis inquinant, orbitibus maculant, humanis sensibus spoliant? Quid potest esse his hominibus sanctum? aut quid in prophanicis locis facient, qui inter aras Deorum summa sclera committunt? *Pescennius Festus* in libris Historiarum per Satyram refert, Carthaginenses Saturno humanas hostias solitos immolare, & cum vieti essent ab Agathocle, Rege Siculorum, iratum sibi Deum putavisse, itaque, ut diligenter piaculum solverent, ducentos nobilium filios immolasse.

D. Ex hoc turpissimo, & omni dedecore infami cultu, quem Idolo *Moloch* olim Gentes exhibebant, facile intelligo, quam insulse *Joannes Spencerus* dixerit, Deum, ut in Populo Hebreo cultum sibi speciatim consecratum stabiliret, atque propagaret, jussisse *Mosè*, ut Tabernaculum fabricaret juxta formam Tabernaculi *Moloch*. Quid autem stultius dici aut excogitari possit, certe non video. *Quæ enim* ( ut ait Apostolus *Paulus Epist. 2. ad Corinthios* cap. 6. v. 14. & seq. ) *participatio iustitiae cum iniquitate?* aut *qua societas lucis ad tenebras?* *Quæ autem convenit Dei ad Belial?* aut *qua pars fidelis cum infideli?* *Qui autem consensus Templo Dei cum Idolis?* Facescas itaque *Spencerus*, qui vana commenta, & a sæculis inaudita paradoxa in libris, quos edidit *De Ritualibus Judeorum Legibus* effutire non erubuit. Hunc temerarium Scriptorem odi & execror. Sed ecce aliud tibi proponendum occurrit Dubium circa fabricam Tabernaculi, in quo Deus a Populo Hebreo colivolt. Legeram quippe paucis abhinc diebus in l. *Exod. c. 38. v. 8.* *Mosè* fecisse labrum æneum cum basi sua de speculis mulierum, que excubabant in ostio Tabernaculi, cumque non satis intelligerem, ut quid istæ mulieres excubarent in ostio Tabernaculi, & quo officio ibi fungerentur? Con-

sului eximium quemdam Doctorem, qui hunc mihi exemit scripulum, dicens, illas mulieres, quas Scriptura dici excubasse in ostio Tabernaculi, fuisse Deo dicatas, virginitatis voto obstrictas, & in Cellis, juxta Tabernaculum extructis, habitantes, ut in eodem Tabernaculo ministrarent. Utrum autem placeat tibi haec Doctoris istius explanatio, velim ut libere dicas.

M. Quominus hanc Doctoris istius explicacionem meo approbem calculo, duo præsertim obstant momenta, quæ breviter attingam. Et primo quidem, haec Doctoris istius explicatio supponit in Veteri Lege fuisse feminas, quæ, voto virginitatis nuncupato, erant Deo specialiter consecrata, quod tamen adversatur doctrinæ sanctorum Patrum, & Scriptorum Ecclesiasticorum, præsertim *Origenis* in caput 13. *Matthei*, *S. Ambroxi* lib. de *Institut. Virginis* cap. 5. *S. Hieronymi* Epist. 22. veteris Editionis, qua est ad *Eustochium* cap. 7. *S. Augustini* Tractatu 10. in *Joannem*, & *S. Bernardi* Homil. 3. super *Missus* ep. Hi, inquam, sancti Patres Primitias virginitatis adscribunt *Mariæ*, matri Christi Domini. Non quod putent sancti illi Doctores, nullas fuisse in Veteri Testamento foeminas, quæ ante *Mariam*, *Deiparam*, virginitatem coluerint, cum potius certum sit, plures in Veteri Testamento extitisse foeminas, quæ, studio temperantia, virginitatem servaverint; sed quod velint sancti illi Patres, nullum hominem, nullamve foeminam in Veteri Testamento ante *Mariam*, Genitricem Dei, virginitatem, voti Deo nuncupati Religionem, coluisse, hancque prærogativam soli *Mariæ* Virgini eximiā fuisse. Qua de re legeis Eminentissimum nostrum Cardinalem *Raymundum Capisuchi*, qui in suis Controversiis, Romæ typis excusis, perdoce in Controversia decima, parag. 2. probat ex *S. Thoma*, & ex communi Theologorum sententia neminem in Veteri Lege seu *Mosaica*, virginitatem servandi voto fuisse obstrictum, & in Nova dumtaxat, seu *Evangelica Lege*, nuncupationem voti Deo factam de servanda virginitate originem habuisse. Adduci itaque haud possim ut credam, mulieres illas, quas Scriptura Sacra ait, in ostio Tabernaculi excubasse, fuisse Deo, per religionem voti de perpetuo servanda virginitate consecratas ac dedicatas. Præterea, Doctor ille, quem consulisti, supponit, mulieres illas, quas Scriptura dicit, in ostio Tabernaculi excubasse, continuam illic fixisse sedem, perpetuam mansionem habuisse, atque tanquam custodes continuas illic excubias ac vigilias egisse. Id autem negant perdocti Catholicæ Scriptores, afferentes mulieres illas non perpetuo mansisse in ostio Tabernaculi, sed illic dumtaxat ad orandum accessisse, & in fundenda oratione attentas ac vigiles fuisse; non secus ac de *Anna*, *Photissa*, filia *Phanuelis*, dicitur apud *S. Lucam* cap. 2. v. 37. Non discedebat de Templo, jejuniis & obsecrationibus serviens die ac nocte, quia *Anna* Templum frequentabat, & in eo precibus & orationibus vacans, perdurabat, non quod in Templo habitatet. Ita interpretantur *Toletus*, *Maldonatus*, & *Cornelius a Lapide*. Sic non dispari ratio-

ne Scriptura Sacra ait, mulieres in ostio Tabernaculi excubasse, quod quotidianam illarum mulierum in Tabernaculo frequentando assiduitatem commendare velit, non quod ista mulieres continuam in ostio Tabernaculi mansionem facerent. Huic interpretationi favet Chaldaica Paraphrasis in hunc locum jam citatum libri Exodi: *Fecit*, inquit, *labrum ex ære*, & basim ejus ex ære de speculis mulierum, que veniebant ut orarent in ostio Tabernaculi fæderis. Doctissimus etiam Scripturæ Sacrae Interpres *Jacobus Bonfrerius* idem observat in caput 38. libri Exodi: *Nota*, inquit, mulieres excubantes ad ostium Tabernaculi, dici mulieres devotas, quæ frequenter veniebant ad Tabernaculum, Deum adorature, & exorature. (a)

(a) Numquid forte mulieres istæ ad fores templi excubantes munus illud gerebant, quod dein obierunt *Otiosi Synagogæ*? Genus id erat hominum delectorum, ut semper Synagogæ affisteret, nec sine illis unquam Synagogæ habebatur; res Synagogæ curabant.

D. Deum, post erectionem Tabernaculi, ad promovendum cultum, quem in eo peragendum instituerat, iussisse *Mosis*, ut *Aaronem* in Summum Pontificem consecraret, ejusque filios in Sacerdotes ordinaret, iam probe scio, sed quænam essent vestes Summo Sacerdoti seu Pontifici propriæ, quænam vero vestes Sacerdotibus omnibus communes, scire vehementer desidero.

M. Ornatum vestium in Summo Pontifice apud Hebreos, & in Sacerdotibus, eorumque specialem consecrationem ideo præcepit Deus, ut maiorem populi reverentiam cultus sui Ministris conciliaret, sicut optime observat *S. Thomas* 1. 2. Quest. CII. Art. V. Octo autem ornamenta habebat Summus Pontifex, quæ ibidem Angelicus Doctor isto ordine perceriset. Primo enim, inquit, habebat vestem lineam, quam *Bysinnam Josephus* Hebreus appellat. Secundo, habebat tunicam *hyacinthinam*, in cuius extremitate versus pedes ponebantur per circuitum tintinnabula quedam, & mala punica, facta ex *hyacinthro*, & *purpura*, cocoque bis tincto. Tertio, habebat superbumerale, Hebreis *Ephod* dictum, quod tegebatur humeros, & ad interiorem partem usque ad cingulum, quod erat ex auro, & *hyacinthro*, & *purpura*, cocoque bis tincto, & *byssō* retorta, & super humeros habebat duos onychinos, in quibus erant sculpta nomina filiorum *Israel*. Quartum erat *Rationale*, ex eadem materia factum, quod erat quadratum, & ponebatur in pectore, & coniungebatur superbumerale. Et in hoc Rationali erant duodecim lapides preiosi, distincti per quatuor ordines, in quibus etiam sculpta erant nomina filiorum *Israel*, quasi ad designandum, quod ferret onus totius populi per hoc, quod habebat nomina eorum in humeris, & quod fugiter debebat de eorum salute cogitare per hoc, quod portabat eos in pectore, quasi in corde habens. In quo etiam Rationali mandavit Dominus ponи DOCTRINAM, & VERITATEM (juxta Editionem Vulgatam) seu URIM & THUMMIM (sicut habet Textus Hebreus) quia quedam pertinentia ad veritatem iustitiae, & doctrinæ scribebantur in illo Rationali. Iudei tandem fabulantur, quod in Rationali erat lapis, qui secund-

Secundum diversa, que debebant accidere filii Israel, & hoc vocant VERITATEM, & DOCTRINAM, Hebraice, URIM, & THUMMIM. Quintum erat Baltheus, id est, cingulus quidam factus ex predictis quatuor coloribus. Sextum erat Thiara, id est, Mitra quedam de byss. Septimum autem, erat lamina aurea pendens in fronte ejus, in qua erat scriptum nomen Domini. Octavum autem, erant femoralia linea, ut operarent carnem turpitudinis sue, quando accederent ad Sanctuarium, vel ad Altare. Haec erant vestes, quibus ornabatur Summus Sacerdos, seu Pontifex, ex quibus, ut ibidem advertit Doctor Angelicus, minores Sacerdotes habebant quatuor, scilicet tunicam lineam, femoralia, baltheum, & thiaram. Honori Sacerdotum confuluit itidem Deus precipiendo primo, ut non sparsim ex quolibet genere ad Dei ministerium applicarentur, sed ex certa prosapia, seu e Tribu Levitica, secundum generis successionem essent oriundi, ut ex hoc clariores & nobiliores haberentur. Secundo, jubendo ad removendum contemptum Ministrorum, ut non haberent maculam, vel defectum corporalem, quia hujusmodi homines his vitiis contaminati, solent apud homines in contemptu haberi. Macula autem, vel defectus corporales, a quibus Sacerdotes debebant esse immunes, significant diversa vitia & peccata, quibus debent carere, inquit S. Thomas 1. 2. Quæst. CII. Art. V. in Ref. ad quartam sibi propositam objectionem. Prohibetur enim cap. 21. v. 16. & seq. lib. Levitici, ne ad Sacerdotium promoveatur caecus, id est, ut in sensu figurato explicat sanctus ille Doctor, ne sit ignorans: ne sit claudus, id est instabilis, & ad diversa se inclinans: ne sit parvo, vel grandi, vel torto naso, id est, ne per defectum discretionis, vel in plus, vel in minus excedat, aut etiam aliqua prava exerceat. Per nasum enim discretionis designatur, quia est discretivus odoris. Ne sit trasto pede, vel manu, ne amittat virtutem bene operandi, vel procedendi in virtute. Repudiabatur etiam, si habebat gibbum vel ante, vel retro, per quem significatur superflius amor terrenorum. Si est lippus, id est, si per carnalem affectum ejus ingenium obscuratur, contingit enim lippitudo ex fluxu humoris. Repudiabatur etiam, si habebat jugem scabiem, id est, petulantiam carnis; & si habuerit impetiginem, quæ sine dolore corpus occupat, & membrorum decorem fœdat, per quam avaritia designatur. Et etiam si sit berniosus, vel ponderosus, qui scilicet gestat pondus turpitudinis in corde, licet non exerceat in opere. Haec sunt maculae, & defectus corporales, a quibus Sacerdotes Veteris Legis immunes esse debebant, & quibus significabantur vitia & peccata, a quibus pariter eos omnino alienos esse oportebat. Jam vero, quid vestes, & ornamenta sacerdotalia mystice significarent, pulchre in eodem loco explicat S. Thomas: „Per ornamenta, inquit, designantur virtutes Ministrorum Dei. Sunt autem quatuor, quæ sunt necessariae omnibus ministris, scilicet castitas, quæ significatur per femoralia. Puritas vero vitæ, quæ significatur per lineam tunicam. Moderatio discretionis, quæ significatur per cingulum. Et restitudo intentionis, quæ significatur per thiaram protegentem caput. Sed præ his

„Sacerdotes debent quatuor habere. Primo quidem, jugem Dei memoriam in contemplatione, & hoc significat lamina aurea, habens nomen Dei in fronte. Secundo, quod supportent infirmitates populi, quod significat superhumerale. Tertio, quod habeant populum in corde & visceribus per follicitudinem charitatis, quod significatur per Rationale. Quarto, quod habeant celestem conversationem per opera perfectionis, quod significatur per tunicam hyacinthinam: unde tunicae hyacinthine adjunguntur in extremitate tintinnabula aurea, per quæ significatur doctrina divinorum, quæ debet conjungi celesti conversationi Pontificis. Adjunguntur etiam mala punica, per quæ significatur unitas fidei, & concordia in bonis moribus, quia sic coniuncta debet esse ejus doctrina, ut per eam fidei & pacis unitas non rumpatur. Hacten S. Thomas, qui vestes sacerdotales accurate recenset, earumque mysticam significationem ita dilucide exponit, ut aliquid ejus verbis addidisse, decerpisse sit.

D. Expone, quæso, uberior, cur Deus voluerit, ut Summus Sacerdos, seu Pontifex, apud Hebraeos, gestaret in pectori suo id genus indumenti, quod Rationale appellabatur, & in quo Deus jussit, ut hæc duo verba inscriberentur, *Doctrina & veritas?*

M. Multis de causis voluit Deus, ut Summus Sacerdos, seu Pontifex, gestaret in pectori suo id genus indumenti, quod Rationale dicebatur, & in quo hæc duo verba erant inscripta, *Doctrina & veritas*, seu Hebraice *Urim & Thummim*. Primo, quia Deus per *Urim*, & *Thummim*, seu per has duas voces, *Doctrinam & veritatem*, scriptas *Rationali*, quo indutus erat Summus Sacerdos, personis publicis, de Ecclesiæ, vel Regni gravioribus negotiis, ipsum, velut Deum, ac Regem Israelis, consulentibus, ac interrogantibus, Majestatis suæ Placita declarabat, Oracula sua fundebat, & de futuris eventis, publicum bonum spectantibus, per Summum Sacerdotem certiores faciebat. Non quod iste duæ voces *Urim & Thummim*, seu *Doctrina*, & *Veritas*, quæ erant *Rationali* inscriptæ, essent divinum Oraculum, sed indices Oraculi: non instrumentum, sed causa dumtaxat moralis, & conditione fine quia non fiebat hoc genus divinæ revelationis. Secundo, Deus per *Urim & Thummim* sua fundendo Oracula, voluit cultui suo magis adstringere Israelitas, qui ad Oracula, Ariołosque Gentium, in vicinia habitantium, futura cognoscendi libidine excitati consergissent, subindeque ad eorum Ritus & Idola defecissent, si sua eis desuissent Oracula. Denique Deus hoc pacto voluit Summo Sacerdoti conciliare reverentiam, qui Oraculorum divinorum Nuncius esset, ac Interpres. Soli quippe Summo Sacerdoti, seu Pontifici, *Urim & Thummim*, Rationali indita, circumferre licet, sicut ex multis Hebraeorum Magistris probat *Buxtorfius* in *Historia Urim, & Thummim*. Ferenda porro non est temeritas *Joannis Spenceri*, qui ausus est asserere, *Urim* nihil aliud fusse, quam simulacrum parvulum ad humanam similitudinem formatum, nec multum discrepans ab illis simulacris satidicis, quæ olim Gentes *Theraphim* appellabant. Hinc concludit audacissimus ille *Scriptor*, quæd sicut

sicut mos iste simulacula illa fatidica, *Theraphim* dicta, in dubiis consulendi, longe lateque per Gentes invaluisse, Deum, hunc veterem Ritum a *Theraphim* petendi Oracula, in Pectorali *Urim* pene invariatum, Israelitis ex indulgentia concessisse, ne in Gentium semitas, moris illarum antiqui effreni desiderio præcipites agerentur. *Urim* igitur (juxta illum temerarium Scriptorem lib. 3. *De Legibus Ritualibus Hebreorum*, cap. 3. Dissertatione 7.) nihil aliud erat, quam parvum simulacrum ejusdem cum Gentium *Theraphim* munerus, & pene ejusdem figuræ, quod reconditum gestabat Summus Sacerdos intra concavas *Rationalis* plicaturas, quoque mediante, Deus aut Angelus, vocem Dei & nomen gerens, ad Summi Sacerdotis interrogata respondebat, eique quid agendum, quid non agendum, quid præsens, quid futurum esset, voce formata revelabat. At, hic in confutanda ista *Joannis Spenceri* nova opinione, futilibusque nixa conjecturis, diutius non immorabor, cum jam a viris eruditis, & Scripturae Sacrae Interpretibus fuerit jure optimo rejecta atque explosa. Obiter duntaxat dicam, tantum abesse, ut Deus in suo cultu approbaverit simulacula illa fatidica, dicta *Theraphim*, quæ in dubiis consulebant olim Gentes, quæque arte diabolica eis Responsa, seu falsa Oracula, dabant; ut potius ejusmodi fatidica Gentium simulacula, dicta *Theraphim*, districte prohibuerit, utsopus quæ essent mera Idololatria diabolica & superstitionis divinationis instrumenta, seu imaginationes quedam, factæ ad cognoscendum ex iis, per artem magicam, & invocationem Diaboli, ea, quæ erant iatura? Quomodo igitur credibile est, Deum, cuius consilium semper fuit Israelitas ab Idololatria & superstitionibus longe avocare, ita simulacula fatidica Gentium, dicta *Theraphim*, adoptare voluisse in faciatorem & augustinorem sui cultus partem? Israelitæ siquidem, ad Idololatriam & ad quodvis aliud superstitionis genus maxime proclives, ad *Theraphim* Gentium prophanarum consulenda, occasione data, facile admodum defecissent, præfertim, sicut pertendit *Spencerus*, si tanta inter illa Gentium *Theraphim* & sacrum *Urim* extisset affinitas, & insuper, sacrum *Urim* esset perinde ac Gentium *Theraphim* ejusdem muneras figuræ, sub diversi nominis larva simulacrum. Sed mittamus, si placet, istas delirantis animi præfigias.

D. De vestibus Summi Sacerdotis, seu Pontificis, aliorumque inferiorum Sacerdotum Veteris Legis plura scire non desidero, sed optarem dumtaxat, ut hic breviter exponeres Ritum, qui in illorum consecratione solebat observari.

M. Cum nullus, mea quidem sententia, majori claritate cum brevitate conjuncta, exposuerit Ritum, quo olim Summus Sacerdos, atque inferiores Veteris Legis Sacerdotes consecrabantur, quam *S. Thomas*, verba illius, quæ leguntur *I. 2. Quæst. CII. Art. V.* in *Responsione ad octavam* & nonam *objectiones* sibi propositas, hic exscribere non pigebit. „ Id totum ( inquit Angelicus ille „ Doctor ) quod circa eos, seu Sacerdotes, fiebat „ in eorum consecratione, vel institutione, ad hoc „ pertinebat, ut ostenderetur, eos habere quam-

„ dam prærogativam puritatis, veritatis, & dignitatis. Et ideo in institutione Ministrorum tria fiebant. Primo enim purificabantur. Secundo, ordinabantur. Tertio, applicabantur ad usum ministerii. Purificabantur quidem conmuniter omnes per ablutionem aquæ, & per quedam Sacrificia, specialiter autem Levitæ radebant omnes pilos carnis suæ, ut habetur Levitici cap. 8. Consecratio vero circa Pontifices & Sacerdotes hoc ordine fiebat. Primo enim, postquam abluti erant, inducebantur quibusdam vestimentis specialibus, pertinentibus ad designandam dignitatem ipsorum. Specialiter autem Pontifex oleo unctionis in capite ungebatur, ut designaretur, quod ab ipso diffundebatur potestas consecrandi ad alios, sicut oleum a capite derivatur ad inferiora, ut habetur in Psalmo 132. Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron. Levitæ vero non habebant aliam consecrationem, nisi quod offerebantur Domino a filiis Israel per manus Pontificis, qui orabat pro eis. Minorum vero Sacerdotum sole manus consecrabantur, quæ erant applicandas ad Sacrificia. Et de sanguine animalis immolati tingebar extremum auricula dextræ ipsorum, & polices pedis, aut manus dextræ, ut scilicet essent obedientes Legi Dei in oblatione Sacrificiorum, quod significabatur in intinctione auris dextræ, & quod essent solliciti & prompti in executione Sacrificiorum, quod significatur in intinctione pedis, & manus dextrae. Aspergebantur etiam ipsi, & vestimenta eorum sanguine animalis immolati in memoriam languinis Agni, per quem fuerunt liberati in Ægypto. Offerebantur autem in eorum consecratione hujusmodi Sacrificia; Vitulus pro peccato, in memoriam remissionis peccati Aaron circa conflationem Vituli; Aries in holocaustum, in memoriam oblationis Abrahæ, cuius obedientiam Pontifex imitari debebat; Aries etiam consecrationis, qui erat quasi hostia pacifica, in memoriam liberationis de Ægypto per sanguinem Agni; Canistrum autem panum, in memoriam mannae præstiti populo. Pertinebat autem ad applicationem ministerii, quod imponebantur super manus eorum adeps arietis, & torta panis unius, & armus dexter, ut ostenderetur, quod accipiebant posttestam hujusmodi offerendi Domino. Levitæ vero applicabantur ad ministerium, per hoc, quod intromittebantur in Tabernaculum fedris, quasi ad ministrandum circa vas Sanctorum. Figuralis vero horum ratio erat, quia illi, qui sunt consecrandi ad spirituale ministerium Christi, debent primo purificari per aquam Baptismi, & lachrymarum in fide Passionis Christi, quod est expiativum & purgativum Sacrificium. Et debent radere omnes pilos carnis, id est, omnes pravas cogitationes, debent etiam ornari virtutibus, & consecrari oleo Spiritus Sancti, & aspersione Sanguinis Christi, & sic debent esse intenti ad exercenda spiritualia ministeria. Hactenus *S. Tom. quo*

quo nullus inter Theologos doctius & accuratius de Veteri Lege scriptis.

D. In consecratione Sacerdotum fulle in Sacrificium Deo oblatum *Vitulum pro peccato in memoriam remissionis peccati Aaron*, circa conflationem *Vituli*, docet S. Thomas, loco mox a te latando. Sed nunc a te scire velim, cur peccaverit *Aaron*, dum obsecutus Populi Israëlitici desideriis, *Vitulum aureum* conflavit, & publice collendum proposuit? Ecur vero non peccaverit *Moses*, qui, ad medendum morsibus Serpentum ignitorum, palam erexit Serpentem æneum, quem, dum Israëlite, horum Serpentum morsibus percussi, adspiciebant, sanabantur?

M. Ideo peccavit *Aaron*, quia ad Ægyptiacæ superstitionis imitationem *Vitulum aureum* conflavit, Judæosque ad hoc Idolum Ægyptiaco Ritu colendum induxit. Certum namque est primo, Brutorum, & quidem Boum, cultum apud Ægyptios antiquissimum esse, & ante egressionem Israëlitarum ex Ægypto invaluisse. Præterea, certum etiam est, Judæos plerosque tempore servitutis Ægyptiacæ, superstitionem Ægyptiorum imbibisse, & eorum Diis servisse, subindeque illos tumultantes in Deserto postulassem ab *Aarone*, ut ad Ægyptiacæ superstitionis imitationem conflaret *Vitulum aureum*, quem ipsi Ægyptiaco Ritu colere possent. Hoc fuisse Judæorum propositum, luculentiter testatur S. Stephanus Act. Apost. c. 7. v. 39. & seq. dicens de Judeis: *Aversi sunt cordibus suis in Ægyptum*, dices ad *Aaron*: *Fac nobis Deos, qui præcedant nos.... Et Vitulum fecerunt in diebus illis, & obulerunt hostiam simulachro, & latabantur in operibus manuum suarum.* Hujus etiam *Vituli aurei*, ab *Aarone* conflati, cultum ex superstitione Ægyptiacæ arcessunt *Philo*, *Judeus*, l. 3. de Vita *Mosis*, & *Lactantius* l. 4. Instit. Divin. cap. 18. Ad prophanos, inquit, *Ægyptiorum Ritus animos transtulerunt* (*Judæi*); *cum enim Moses, Dueorum, ascendisset in montem, atque ibi quadraginta diebus moraretur, aureum caput Bovis*, quem vocant *Apim*, *quod eos signo præcederet, figurarunt*. Idem constanter docent omnes sancti Patres, cum *Græci*, tum *Latini*, & *Scripturæ Sacrae* interpres. Quo fit, ut *Aaron* nullo pacto excusari posset. Sciebat enim *Aaron* Deum, Exodi c. 20. v. 4. & seq. omne sculptile, omne Idolum, omnemque similitudinem creaturarum ad cultum fieri vetuisse. Et tamen infantienti Populo Israelitico, quem ab Idolatria totis viribus avertere, etiam cum vita sua periculo & dispendio, tenebatur, non solum non restitit, sed per fununam ignaviam morem gessit, cum Deos, qui ipsum præcederent, postulanti, ex inauribus mulierum aureis fecit *Vitulum* conflatiem. Duo autem mala in hujus *Vituli aurei* fusione fecit *Aaron*. Primo, ut Israëlite, ad Idolatriam proclives, nefandum scelus, quod animo tantum conceperant, re ipsa perpetrarent, seque Idolatriæ fôrdibus conspurcarent. Secundo, ut quod privato errore facturi videbantur Israëlite, publica auctoritate exequerentur. Hinc *Moses* Exodi c. 32. v. 21. & seq. increpuit fratrem suum *Aarone*, dixique ei: *Quid tibi fecit hic Populus, ut induceres super eum peccatum maximum?* Nec solum

*Moses* fratrem suum *Aaronem* incusavit, sed etiam ei Deus vehementer iratus est, ob conflatum *Vitulum aureum*, eumque Dominus perdidisset, nisi supplex *Moses* pro illo rogasset, & veniam ei a Deo impetrasset, ut testatur ipsemet sanctus Legislator Deuteronomii c. 9. v. 20. *Adversus Aaron quaque vehementer iratus* (Deus) voluit eum conteneret, & pro illo similiter deprecatus sum. Hoc pessimum Aaronis exemplum, ut obiter dicam, imitantur illi Sacerdotes, qui Dei causam prodant, ejusque honorem & gloriam quieti sua fortunæ, aut vita postponunt, effrenatis hominum cupiditatibus laxam docendo moralem doctrinam, turpiter obsequuntur, ab occasionibus peccati illos non abstrahunt, malas conuentudines & scandala, tanquam canes muti non valentes latrare, patiuntur: pravis populi studiis ignave consentiunt; indulgent, favent, eaque vel exemplo suo, vel assentatione juvent, quemadmodum *Aaron*, qui summo Sacerdotio fungebatur, Israëlitici Populi sacrilegis desideriis annuit confando *Vitulum aureum*, qui divinos honores exhiberet, aram erigendo, solemnitatem indicendo. Sed, inquis, si peccavit *Aaron* confando *Vitulum aureum*, cur *Moses*, ejus frater, non peccavit, dum se pentem æneum erexit? Hujus discriminis *Mosèm* inter & *Aaronom* multiplex afferri potest ratio. Primo, quia *Moses*, jubente Deo, serpentem æneum erexit, & Israëlitis propositum, ut hi, qui a serpentibus aduentibus isti fuerant, in eum adspicentes sanarentur: *Fac, inquit Deus Moses, serpentem æneum, & pone eum, pro signo, qui percussus aspercerit eum, vivet.* Fecit ergo *Moses* serpentem æneum, & posuit eum pro signo, quem cum percussi aspicerebant, sanabantur. Secundo, quia Deus voluit, ut serpens ille æneus, a Moyse erectus, signum esset, seu typus Iesu Christi crucifixi, homines oculis fidei ipsum Crucis affixum adspicentes, a lethiferis serpentis antiqui, seu Diaboli, morsibus sanantis. Hinc Christus Dominus, qui, sicut Superius commonistravimus, omnes Veteris Legis figuræ adimplevit, æneo serpenti, ad sanandos ignitorum serpentum morsus proposito a Moyse in solitudine, se confert, cap. 3. v. 14. *Joannis*, dicens: *Et sic Moses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam eternam.* Denique, sancti Patres, *Chrysostomus* Homilia 26. in *Joannem*, S. Augustinus l. 1. De Peccatorum Meritis & Remissione c. 8. S. *Cyrillus Alexandrinus* lib. 1. Commentariorum in Evangelium, *Theodoreetus* Quæstiōne 38. in Numeros, & alii, docent, serpentem æneum, quem *Moses* erexit in deserto, fuisse a Deo institutum tanquam signum & typum Iesu Christi, ejusque Passonis. Non itaque peccavit *Moses*, dum, jubente Deo, serpentem æneum erexit, ut hi, qui ignitorum serpentum morsibus isti erant, eum adspicentes, sanarentur. Non me later, *Joannem Marshamum* in suo *Canone Chronico* auctum esse afferre, serpentem æneum, ad inflar Ægyptiacarum præfigiarum, a Moyse fusum ac formatum esse, & perticæ impositum in deserto publice erectum, velut Amuleum quoddam, & *Talismanum*, ut hoc pacto, seu per incantationem quam-

quamdam, vel vim magicam, venenum extinxeret, & mortus serpentum arte levaret. Verum, facile confutatur hic Marshami error, primo, quia Deus, ut jam diximus, jussit Moysi ut serpentem aeneum erigeret. Quis autem credit, Deum, qui incantationis magicæ, & præstigiarum omne genus districte prohibet & damnat, præcepisse Moysi, ut serpente aeneum erigeret, perticæque impositum proponeret Israelitis, tanquam Amuletum, & Talismanum, quo illi, qui serpentum adurentium moribus id est erant, ad aspectum illius serpentis aenei per incantationem quamdam, vel vim-magicalm fanarentur? Præterea, fatentur omnes viri periti, figuræ illas, a Chaldæis, Persis, & Ægyptiis celebratas, quæ arabice dicuntur *Talismanes*, id est, imagines, seu signa, aut sigilla, quibus ære, vel quovis metallo incisis, aut insculptis, & aliquod astrum, aut constellationem, vel aves, vel serpentes, immo quorundam Imperatorum imagines a natura pictas referentibus, miros quidem, sed falsos & plane ridiculos effectus tribuunt, cuiusmodi sunt *Morborum depulso*, *immunitas a vulneribus* &c. Fatentur, inquam, omnes viri periti, ejusmodi figuræ inanes proflus esse, omnique fanandi morbos virtute carere. Quapropter, vis illa fanandi, quam serpens aeneus, a *Moysi* erexit, habuit, ut legitur cap. 21. v. 9. lib. *Numerorum*, speciali Dei beneficio ei indita fuit, non secus ac *muribus* & *anis aureis* Deus singularem vim concessit fanandi plagas, quas Arca fœderis Philistæis intulerat, sicut legitur lib. 1. Regum cap. 6. v. 5. Sed hæc, & similia, quæ miraculosa sunt, in consequentiā trahi non debent, nec occasionem præbere quibusdam, qui Amuletis, variisque Talismanum speciebus inesse virtutem morbos fanandi sibi fallo persuadentes, superstitiosa credulitate deluduntur. His plura non addam, & præsenti Colloquio nostro finem imponam egregio typo, quem *Aaron*, frater *Moysis*, gesxit Christi Domini. At enim, quemadmodum *Aaron* fuit Veteris Legis Pontifex, ita Christus Novæ Legis Pontifex est, sicut late sermone ostendit Apostolus *Paulus* in Epistola ad Hebræos. *Aaron* unctus est oleo ex baccis arborum expresso; Jesus Christus oleo latitiae. Dixit Dominus ad *Moysen* cap. 7. v. 1. libri Exodi: *Ecco constitui te Deum Pharaonis, & Aaron, frater tuus, erit propheta tuus: De Christo Iesu dixit Moyses* cap. 18. v. 15. lib. Deuteronomii: *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies.* Semel in anno Sancta Sanctorum *Aaron* introbat solus, non sine Jæguine, quem offerebat pro sua & populi ignorantia, sicut ait Apostolus *Paulus* cap. 9. v. 7. Epistole ad Hebræos. Christus Iesu per proprium sanguinem introivit semel in Sancta, eterna redēptione inventa, ut ait idem Apostolus cap. 9. v. 12. ejusdem Epistole. De *Aarone* sic Deus Exodi cap. 28. v. 38. alloquitur *Moysen*: *Portabitque Aaron iniqüitates eorum, quæ obtulerunt, & sanctificaverunt filii Israhel: De Christo Iesu sic Isaia cap. 53. v. 4. & seq. prædixit: Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit, & nos*

*putavimus eum quasi leprosum, & percussum a Deo, & humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniqüitas nostras, attritus est propter scelera nostra, disciplina pacis super eum, & livore ejus sanatis sumus. Deum inter & homines sequester fuit Aaron: Unus mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, sicut ait Apostolus 1. ad Timoth. c. 2. v. 5. Deum *Aaron* resperso sanguine Testamenti Veteris, quod mandaverat ad Israelitas Deus, facinoris hominibus reddebat propitium, sicut ait Apostolus Epist. ad Hebræos cap. 9. v. 20. Jesus Christus Novi Testamenti mediator est, ut morte intercedente, in redēptionem earum prævaricationum, quæ erant sub priori Testamento, re-promissionem accipiant, qui vocati sunt æternæ hereditatis, sicut ait idem Apostolus cap. 9. v. 15. Epist. ad Hebræos. In seditione *Core*, *Dathanas*, & *Abironis*, cum grassaretur incendium, & noxios facer ignis corriperet, *Aaron*, stans inter mortuos & viventes, pro populo deprecatus est, & plaga cessavit, sicut legitur capit. 16. v. 48. 1. Numerorum: Sæviente peccatorum lue, & de-pacente genit humanum, in tutum subduxit nos Christus Dominus, & periculo incurrandæ mortis æternæ exemit. Hinc Apostolus *Paulus* cap. 7. v. 25. Epist. ad Hebræos ait, Christum Dominum non tantum ad vivos ac viucturos, sed etiam ad defunctos voluisse mortis suæ beneficium pertinere, eumque Veteris Testamenti promissiones beneficiis Novi Testamenti cumulatissime perfolvise. Sed nolo te diutius detinere. Agnoſco enim ex frequentibus oscitationibus tuis imminere jam horam prandii, subindeque Colloquio nostro finem esse imponendum.*

## C O L L O Q U I U M III.

In quo Gesta Josue, in regimine Reipublicæ Hebreorum Successoris Moysis, necnon Judicum & Regum, qui Hebreis præfuerunt usque ad quartum annum Regni Salomonis, quo iacta sunt Templi Hierosolymitani fundamenta, describuntur, ibidemque accurata traditur series annorum, qui in quarta Mundi Ætate, hoc est, ab exitu Populi Israelitici ex Ægypto usque ad quartum Regni Salomonis annum effluxerunt.

DISCIP. R ES, quas *Josue*, ex Tribu Ephraim, successor *Moysis*, præclare gesxit, quasque a *Sulpicio Severo* lib. 1. *Historia Sacra* cap. 22. (juxta editionem *Joannis Vorstii*) eleganter descriptas, nuperime legi, primum hic referam. Dein, non nullas circa quedam *Josue* Gesta proponam difficultates, quas dilucidandi onus tibi incumbet. „ *Moysè mortuo* (inquit *Sulpicius Severus*) summa rerum penes Iesum, *Iesu Josue*, Nave illum, erat. Etenim illum *Moyses* successorem constituerat, virum virtutibus suis simillimum. „ Principio autem suscepit Imperii, dimisssis per castra nunciis populum certiorem facit, frumentum uti pararent, triduoque proximo iter pro-

„ nun-

nunciat. Sed Jordanis, flumen validissimum, transitum prohibebat, quia neque navium copia pro tempore erat, neque vadari fluvius poterat, qui tum pleno alveo ferebatur. Igitur Arcam præferri a Sacerdotibus, eosdemque ad verio flumine confistere jubet. Quo facto, incisus Jordanis traditur: ita per siccum copias traductæ. Erat in his locis oppidum nomine Jericho, muris validissimis munitum, neque expugnationi, neque obsidioni facile. Sed Iesus (*seu Josue*) Domino fretus, non armis, aut viribus urbem aggressus, ferri Arcam Dei circa muros jubet, sacerdotesque præire Arcam, & tuba canere. Sed cum Arca septies circumlata esset, muri ac turris conciderunt, directum oppidum atque incensum. Inde adverfus *Hac ductus exercitus*, locatisque a tergo urbis insidiis, Iesus (*seu Josue*) metum simulans terga hosti dedit. Quo viro, qui in oppido erant, patentibus portis instare. Ita hi, qui in insidiis fuerant, vacuam urbem cepere, cæsiique omnes, absque ullius effugio, Rex caput summoque supplicio affectus. Quod ubi vicinarum Gentium Regibus compertum est, in bellum conspirant Hebraeos armis depellere. Verum, Gabaonitæ, gens valida, ex urbe opulenta, ultro se Hebrais dederunt, jussa facturos pollicentes, receptique in fidem, ut ligna & aquam conveherent, imperatum. Sed Regibus proximarum urbium deditio eorum iras conciverat. Itaque admotis copiis, oppidum eorum, Gabaon nomine, obsidione circumfistunt. Igitur Oppidani, arctis rebus suis, nuncios ad Jefsum (*seu Josue*) mitunt, obfessis uti succurrat. Ita ille, maturato itinere, inopinantis supervenit, cæsaque multa hostium millia. Cum dies cædentes deficeret, noxque viæ futura præsidio videtur, merito Fidei Dux Hebraeus noctem avertit, dies perseveravit. Ita nullum hostibus effugium fuit. Quinque Reges capti interficti sunt. Eodem impetu vicinæ quoque urbes imperio adiectæ, Regesque perempti. Verum, quia omnia hæc in ordinem prosequi non fuit consilium, dum brevitatè fuldemus, id modo annotandum curavimus. Vixinti & novem Regna Imperio Hebraorum subiecta, quorum terra per undecim Tribus virtim distributa est. Levitis enim in Sacerdotium assumptis nulla portio data, quo liberius servirent Deo..... Igitur, diviso per Tribus capitivo Solo, pace summa Hebrei perfruebantur, finitimis bello territis, tot victoriis nobiles nemine audente tentare. Eodem tractu Iesus (*seu Josue*) mortuus est anno atatus decimo & centesimo. In hac compendiosa Sulpicii Severi de Gestis *Josue* historica narratione primum quod sepe offert, discutiendum Dubium istud est: cur *Josue*, postquam in terram promissam fuisset ingressus, Gabaonitæ, qui erant incolæ civitatum Chananearum, ultro se dedentibus, perecerit, sed cum illis iniverit, eisque securitatem juraverit, contra Præceptum Domini, qui, sicut legitur cap. 20. lib. Deuteronomii, districte Israelitis præceperat, ut incolas omnes ci-

vitatum Chananaeorum delerent, occiderent, ac penitus extirparent, pacemque dumtaxat alienigenis concederent, sub conditione deditonis & tributi? Hoc itaque primum, quæso te, Dubium dissolve.

M. Clementiam, qua *Josue*, Dux Populi Israëlitici, erga Gabaonitas, Chananaeidis incolas, usus est, omni culpa vacare, manifesto evincitur ex Historia sacra descripta cap. 9. lib. *Josue*. Cum enim Terra promissa Reges universi, Gentesque Hethai, Amorhæi, Chananaei, Pherezei, Hebrewæ, & Jebusæi, contra *Josue*, & Israëlitæ uno animo, eademque fententia arma ad patriæ libertatis, avitæque superstitionis defensionem sumpfserint, Gabaonitæ, abjecto belli consilio, ut pote qui repellendis Israëlitarum viribus impares se judicabant, de deditione statim cogitarunt. Sed, ut foedus cum Israëlitis facilius percutere possent, & salvam vitam reciperent, data opera finixerunt, se non esse Chananaeidis incolas, sed exteros, & e regione longinquæ venisse. Hanc Gabaonitarum fraudem nec *Josue*, nec Primores Israëlitarum subodorati, cum ipsis, inconsulto Domino, foedus iniverunt, illisque securitatem jurerunt. Ast, paulo post animadversa fraude, salvos quidem Gabaonitas esse jusserunt propter religionem juramenti, illos tamen perpetuo famulatio in poenam fraudis addixerunt. Poterant quidem, fateor, *Josue*, & Israëlitarum Principes juratam Gabaonitis securitatem non præstare, quia iusjurandum fraude elicimus, ut fatentur omnes Theologi, non obligat; nihilosecius *Josue*, & Israëlitarum Principes juratam Gabaonitis securitatem pie & laudabiliter præstérunt, clementiaque erga illos utendum merito censuerunt, primo, quia sibi integrum non existimarent, sedius juramento firmatum violare, quamvis dolo elicimus esset. Hinc, cum Israëlitæ, sicut legitur cap. 9. v. 17. & 18. lib. *Josue* murmurarent contra principes, responderunt eis Principes: *Juravimus illis*, id est Gabaonitis, *in nomine Domini Dei Israel*, & idecirco non possumus eos contingere, sed hoc faciemus eis: reserverunt quidem ut vivant, ne contra nos ira Domini concitetur, si pejeraverimus: sed sic vivant, ut in usus universæ multiitudinis ligna cædant, aquasque comportent. Secundo, aliquam clementiam Gabaonitæ merebantur, ut pote qui, dum omnes Reges & Populi Chananaea regionis armata manu, & conglomerato agmine contra Israëlitas vexillum erigerent, noluerint contra ipsos pugnare, sed potius, ut inquit S. Ambrosius cap. 10. lib. 3. *De Officiis*: *Cum exisset fama per populos, siccatum esse mare in Hebreorum transitu, fluxisse aquam de petra, de Cœlo diurnam ministrari alimoniam tot populi millibus abundantem, corruisse muros Jericho, sacro tubarum sono ictos, & ululatu plebis arietatos, Gethæorum quoque Regem vitulum & suspensum in ligno usque ad vesperam*. Hæc, inquam, stupenda prodigia, qua Deus in Israëlitis operatus est, postquam increbrescente eorum ubique fama, audivissent Gabaonitæ, venerunt supplices ad Israëlitas, quorum validam manum metuebant, & facies eis submittentes, ultronea deditione, se illorum arbitrii.

arbitrio permisérunt, ac tandem pacem, juramento firmatam, cum *Josue*, ceterisque Israelitarum Principibus p̄pigerunt. Id autem factum est absque ulla transgressione hujus Mandati, quod Deus Israelitis dederat de Chananaeis omnibus ad internectionem cædendis. Hoc siquidem Dei Mandatum aequitatem quadam *Josue*, & alii Israelitarum Principes interpretati sunt, videlicet de his Chananeis, qui Civitates suas ab Israelitis expugnari sinerent, & belli impetum contra eos sufficerent, non vero de illis Chananeis, qui pacem regarent, qui Israelitarum clementiam implorarent, qui spontanea deditione, immo, & Judaica Religionis amplexu, aut certe Idolatriæ abdicatione, & unius veri Dei cultu, secundum Noachidarum Ritus ac Leges, oblationem suarum urbium, & impendentem Israelitarum imperium prudenter anteverterent. Qua de re, ne plura dicam, confuse, si tibi per otium liceat, doctissimum *Andream Massium* in caput 9. lib. *Josue*.

D. Sed dicas, quæso, quid sibi velit *Sulpicius Severus*, dum ait, *Josue*, Duxem Hebraeum, in expugnandis Gabaonitarum hostibus, merito Fidei noctem avertisse, & diem perseverasse? Vultne ille Scriptor, Solem & Lunam in prælio, quod *Josue*, cum Gabaonitarum hostibus commisit, re ipsa stetisse? aut potius, Solem retardasse dumtaxat cursum suum? aut novum corpus, vicarium Solis, Deum supra horizontem creasse, quod, post illius occasum, orbem illustraret? aut denique, loquitur *Sulpicius Severus* more poetico, ita at innuere velit, *Josue*, eo in prælio, quod cum Gabaonitarum hostibus conseruit, tot res, & precipue maximam hostium stragem, tanta celeritate confecisse, ut ad diem facta videtur accessio? Quid de hoc Facto Historico sentire ipse debeam, obsecro te, ut breviter ostendas.

M. Circa istud Factum Historicum *Josue* idem plane sentit *Sulpicius Severus*, quod sancti Patres communī calculo, & consensione tradiderint, videlicet *S. Justinus*, Martyr, in *Dialogo* cum *Tryphon*, *Judeo*, *Tertullianus* lib. *De Jejunis* cap. 10. *S. Joannes Chrysostomus* Homilia 27. in *Epistolam ad Hebreos*, *S. Hieronymus* lib. 2. contra *Jovinianum*, *S. Augustinus* lib. 21. *De Civit. Dei*, cap. 8. & *Theodoreetus* Quæst. 14. in *Josue*. Hi autem sancti Patres diserte docent, quod cum *Josue* latentes suppetias Gabaonitis, exercitu prope re ducto, venisset, & multa hostium millia occidisset; prævidens tamen noctem præsidio vieti fore, fufis ad Deum precibus, & incredibili fiducia animatus, Soli, jam ad occasum vergenti, imperavit ut staret, ejusque imperiali verbo, Deo volente, Sol obediens, in medio Cæli stetit immotus unius diei spatio. Hujus Facti Historici veritatem hauserunt sancti Patres ex Scriptura Sacra, qua cap. 10. lib. *Josue* vers. 12. 13. & 14. hac habet: „Tunc locutus est Jofue Domino in die, qua tradidit Amorrhaeum in conspectu filiorum Israel, dixitque coram eis: Sol contra Gabaon ne movearis, & Luna contra Vallem Ajalon. Seteruntque Sol & Luna, donec ulticetur se gens de inimicis suis. Nonne

scriptum est hoc in libro Justorum? Stetit itaque Sol in medio Cæli, & non festinavit oscumbere spatio unius diei. Non fuit antea nec postea tam longa dies, obidente Domino, vocati hominis, & pugnante pro Israel. „Quibus verbis manifestum est, Solem ad vocem *Josue* re ipsa inaudito miraculo stetisse. Quod confirmant Prophetæ *Habacuc* cap. 3. dicens: Sol & Luna stetunt in habitaculo suo; & *Iesus Strach*, auctor Libri Sacri Ecclesiastici cap. 46. v. 5. ubi ait: An non in iracundia ejus impeccatus est Sol, & una dies facta est quasi duo? Hoc miraculum de statione Solis magis est, inquit *S. Joannes Chrysostomus* Homil. 27. in Epistolam ad Hebreos, quam que facta sunt a Moysi. Non sunt enim paria imperare Mari, & nisi que sunt in Cælo. Nam illud quoque est magnum, & valde magnum, sed non par. Illa, igitur statio Solis proprie accipienda est, & miraculo tribenda.

D. Liber ille, quod inscribitur nomine *Josue*, & in quo describitur Historia de statione Solis, estne germanus *Josue* fœtus, aut potius nomine *Josue* ideo insignitus, quod de illius imperio, & de rebus ab eo præclare gestis agat?

M. Sunt quidam Critici, qui pertendunt, librum, qui nomine *Josue* inscribitur, assiri ac vindicari non debere *Josue*, tanquam vero ac legitimo parenti; idque quatuor potissimum momentis probare nituntur. Primo, quia cap. 10. hujus libri *Josue* citatur *Liber Justorum*, cuius auctorem recentiorem esse dicunt ipso *Josue*, aut saltem ei coævum, cum in eo meminerit pugnare Gabaonitarum, & stationis Solis. Secundo, ajunt, sapiens in hoc libro *Josue* occurtere hanc temporis notationem: *Hoc*, & illud ad præsentem usque diem durat; quod sane a *Josue* dictum esse non potuit, cum in diebus *Josue* haec Facta & monumenta historica, quæ in eo libro referuntur, contingunt; sed potius dictum esse videretur ab aliquo Scriptore, *Josue* recentiore, qui in his, quæ post obitum *Josue* jam vetustate oblitterata exoleverant, fidem sibi conciliare volebat ex his monumentis, quæ sua aetate adhuc residua erant. Tertio, cap. 19. libri *Josue* fit mentio terra *Chabul*, cui hoc nomen impositum est ab *Hiramo*, Rege Tyti, qui a Rege *Salomon* ea donatus fuerat. Quod palam evincit, inquit illi Critici, hunc librum scriptum fuisse ab aliquo Auctore, recentiore *Josue*. Denique, capite ultimo libri, qui præfert nomen *Josue*, describitur mors *Josue*, & res, post ejus obitum gestæ, narrantur, quæ certe a *Josue* literis mandari haud potuerunt. Verum, quatuor haec momenta tanti non sunt, ut nos a communī sententia de Auctore libri *Josue* desciscere cogant. Ad duo quippe priora diluenda sufficit observare, *Josuem* in summa senectute hunc librum exarasse, subindeque mirum non esse, si mentionem faciat *Libri Justorum*, qui nihil aliud erat, quam Carmen Epicaricum, quod statim post reportatam de hostibus Gabaonitarum insignem victoriā editum est, & inter Hebreos divulgatum. Eadem de causa, *Josue* uti potuit hac notatione temporis: usque ad præsentem diem, cum hunc librum in aetate jam proiecta scriperit; perinde ac *S. Evan-*

geliſta *Mattheus* eadem temporis notatione utitur, cap. 27. dicens: *Propter hoc vocatus est ager Haceldama, hoc est, ager sanguinis usque in hodiernum diem.* Ad tertium momentum dico cum Illustrissimo *Daniele Huetio*, Abrincens Episcopo, non eandem esse utramque terram *Chabul*. Altera siquidem est terra *Chabul*, quæ est Regiuncula, viginti constans oppidis, quam *Salomon* (sicut legitur lib. 3. Regum capit. 9. v. 12.) dedit *Hiramo*, Regi Tyri, & illius urbis *Chabul* mentionem non fecit *Josue*. Altera est terra *Chabul*, ceu *vicus*, ita dictus in confiniis Ptolomaidis, utraque in Tribu *Ajer*; & hec illa terra *Chabul*, cuius procul omni dubio a *Josue* fit mentione. Ad ultimum momentum respondeo, *Esdra*, qui, post laxatam captivitatem Babyloniam, facros libros hinc inde summa cura colligit, purgavit, castigavit, inseruisse hujus libri capiti postremo, quod est vigesimum quartum, mortem *Josue*, qui victoriis & meritis conspicuus obiit. (a) Censo etiam cum jam laudato Abrincensi Episcopo in sua *Demonstratio Evangelica*, ab eodem *Esdra* adjectam item fuisse capiti decimo nono libri *Josue* narrationem Expeditionis Danitarum contra civitatem *Lesen*, que post *Josue* excessum contigit, eo videlicet tempore, quo Israelitarum Rempublicam nemo gubernabat. Probabilius itaque est a *Josue*, in regime Populi Israelitici successore *Moyis*, esse scriptum hunc librum, qui ejus nomine insigtitur, idque non obscure innuere videtur Scriptura Sacra his verbis, quæ leguntur capite ultimo hujus libri: *Scripsit Josue omnia verba hec in volumine Legis Domini*. Omnia autem, quæ in hoc libro scripsit *Josue*, ad sequentia capita revocantur. Primo, reserat missiōnem Exploratorum ad urbem *Jericho*, transiit Jordanis, per quem miraculose fucatum, Israelitæ, Duce *Josue*, & præente Arca foederis transierant. Secundo, describit *Josue* varios in Terræ promissæ acquisitione conflictus, videlicet in oppugnatione urbis *Jericho*, in expugnatione urbis *Hai*, in debellatione quinque & deinde multorum Regum, qui citra & ultra Jordanem a *Josue* percussi ac devicti numerantur triginta & unus, ita ut *Josue* universas fere totius Chananitidis civitates uno quasi impetu expugnaverit, & omnes hujus Terræ incolas suo subjugaverit Imperio. Tertio, narrat *Josue* Terræ promissæ acquisitione divisionem per Tribus assi-  
gnando videlicet singulis Tribibus partes determinatas, separando civitates pro fugitivis, & quadraginta octo civitates atque suburbana Levitis concedendo. Denique, *Josue*, cum jam senex esset, seque vita gloriose cursum complevisse cognosceret, Israelitas in Sichen convocatos adhortatus est, ut constanter perseverarent in observatione præceptorum Dei, ut caverent societatem cum Gentibus. Eis ob oculos posuit innumera beneficia, quæ Deus eis exhibuerat: foedus Populi Israelitici cum Domino renovavit, hisque gestis, viam universæ carnis ingressus est, cuius magnificum elogium texit. facer Scriptor Libri Ecclesiastici c. 46. Ipse vero tria dumtaxat observa-

tione digna hic referam, quibus *Josue* virtus hand parum commendari potest. Primo, *Josue* in Terra Chananæ occupatione urbem *Jericho* non solum expugnavit, sed jubente Deo, intermissione delevit, sola scemina *Rahab* cum suis servata, eo nomine, quod Exploratores Hebraeos, quos ad urbem *Jericho* præmisserat *Josue*, benigne, & officiose suscepserat. Ceterum, omnia illius urbis *Jericho* editicia, cum incolis, & universa supellectili in cineras redigi jussit *Josue*, exceptis auro, argento, vasis æneis, ac ferro, quæ in ararium Domini intauit. Quam *Josue*, in Terra Chananæ occupatione, bellicam agendi rationem absit ut quisquam immanitatis infimulet, cum in ipsis cedibus, atque incendis patrandis, *Josue* Dei voluntati morem gererit, ejusque justitia administer fuerit. Deum vero nem̄, præter Hæreticos Marcionitas, Manichæos, aliaque id genus pestes, injustitiae in his inferendis suppliciis arguere potest, cum Chananæi suis sceleribus graviores sibi accersivissent penas. Quin immo (sicut memini, me in nostris superioribus Colloquiis iam observalle) Dei patientia in puniendis Chananæis maxime eluxit, quippe qui jam fupta quadragesitos annos frustra distulerat hæc Chananæorum supplicia melioris vitæ expectatione, cum tamen illi interea, voci Dei, ad pœnitentiam, melioremque frugem eos invitantis, plane obsurdulentes, contra Dei misericordiam ac lenitatem, obfirmatis in malitia animis, decertarent. Quo in sensu intelligenda sunt hæc verba, quæ Dominus c. 15. v. 16. lib. *Genesis* Abrabamo de ejus posteris dicit: *Generatione autem quarta revertentur huc: ne dum eam complete sunt iniquitates Amorrorerum usque ad praesens tempus.* Secundo, *Josue* in obdizione urbis *Hai*, cum vidisset, Israelitas, quos ad hanc urbem expugnandam miserat, infelici marte pugnasse, eosque ab hostibus fusos, atque in fugam compulso, consuluit Dominum, quo respondente, intellexit, Deum ob unius gregarii militis crimen, iram suam in totum Populum Israeliticum effusisse. *Abban* siquidem filius *Charmi*, de Tribu Juda, pallium coccineum, ducentos argenti sculos, regulamque, seu laminam auream quinquaginta scolorum, de prada urbis *Jerichuntinæ*, Deo consecrata, clam subduxerat, eoque furto iram Dei in totum populum provocaverat. Quocirca, *Josue*, jubente Deo, *Abban*, sacrilegi furti reum, ad vallem *Achor* eductum, lapidibus a populo obrui imperavit, & cum sarcorum spoliorum parte, supellectili probris omni liberis ejus, ac pecudibus, ipsoque tentorio ultricibus flammis addici, ut hoc supplicio sanctiretur disciplina, populus Israeliticus cum Deo reconciliaretur, & omnis deinceps militibus ad sacrilega furta aditus præcluderetur. Denique, typus, quem *Josue* gesit, Christi Domini, ejus dignitatem & excellentiam maxime commendat: *Josue* (inquit S. Hieronymus in Epistola ad Paulinum) typum Domini non solum gestis, verum etiam nomine praesert. Transit Jordanem, hostium regna subvertit, dividit terram victori populo, & per singulas urbes, viculos, montes, fluminas, torrentes, atque confinia, Ecclesia, celestisque Hierusalem spiritualia Regna describit. *Josue*, de-

sancto Moysè, populum Israeliticum introduxit in Terram promissam: Jesus Christus, finita Legge Mosaica, apparens, populo pio Regnum Cælorum aperuit, & quam per Legem Moysis obtinere homo non poterat, beneficio Jesu Christi promissam Terram, cælestem nempe patriam, asequitur. Chanaanitidis Terræ, Jordane trajecto, compotes Hebraeos fecit Josue: in Patriam cælestem ablutos nos Baptismi aquis inducit Jesus Christus. Duodecim lapides de Jordanis alveo sublatos ad posteritatis memoriam in castris statui jussit Josue, atque alios item duodecim in ipso Jordanis alveo: Jesus Christus duodecim elegit Apostolos, quorum Principi, seu Petro, nomen a Perra derivatum imposuit. Josue impiarum Gentium debellator fuit: Jesus Christus triumphator Dæmonum. Josue secunda circumcisioñis Hebreis, antequam ingredenterur in Terram promissam, administrator fuit: In Jesu Christo (sicut ait Apostolus ad Colos. cap. 2. & ad Romanos cap. 2.) circumcisi sumus circumcisione non manu facta, in expoliatione corporis carnis, sed circumcisione cordis, in spiritu, non litera. Ex quo patet, Josuem, rebus a se præclare gessis maximi in Republica Hebræorum Principis nomen jure optimo obtinuisse, & Jesu Christi, qui totum orbem a tyrannie Diaboli liberaturus erat, typum gessisse.

„ ( a ) De auctore libri Josue alii aliter disputationi, mihi autem eorum sententia prævalet, „ qui ejus Scriptorem aliud a Josue judicant. „ Constat enim in hoc libro multa contineri, quæ a Josue scribi nequaquam poterant, ut est narratio de ejus morte, & alia, quæ hic a P. Grævenio recensentur; hæc utique a Josue scribi non potuerunt, ab alio igitur profecta sunt. „ Cur ergo non & tortus liber? Si dixerimus hæc libro jam a Josue scripto adjungi ab alio, forte ab Esdra, potuisse. Id utique & ego admittō, potuisse scilicet; sed indene sequitur factum revera esse, verante præsertim Hebræorum omni tempore diligentia, ne quid aliena manu sacris libris adjiceretur? Sed & id Pentateuchō a Moysi utique absque controverbia scripto accedit, inquies; agnosco lubens, sed hoc admisissi se mihi perficile est, cum credam Pentateuchum a Josue recensitum ac vulgatum primo fuisse, qui identidem, majoris explicationis gratia, quædam de suo inferuit; sed libri Josue alia est ratio, cum pro afferendo Moysi Pentateuchō Judæi, ceterique omnes convenient, a quorum sententia recedere temerarium omnino esset. Deest vero libro Josue iste unanimis veterum scriptorum, & recentiorum consensus. Quandoquidem igitur liberum est nobis de auctore Josue jucicare, facilius credo ab una ea demque manu totam historiam, & ea quæ fuerunt aditamenta provenisse.

D. Quis post obitum Josue præfuit Reipublica Hebræorum?

M. Post mortem Josue præfuerunt Reipublica Hebræorum Calebūs, & seniores Juda per decem annos, non vero per quinquaginta annos, sicut

perperam visum est Abbatii Paulo Pezrono, Ord. Cisterciensis, in libro, quem gallice anno MDCLXXXVIII. Parisis edidit, cuique hunc titulum indidit: *L'Antiquité des temps retrouée & défendue contre les Juifs & les nouveaux Chronologues: seu Antiquitas temporum restituta, & contra Judeos, nuperosque Chronographos defensa.* Tempore istius decennalis Praefecture Calebī, & aliorum Optimatum, seu seniorum, qui post obitum Josue Reipublica Hebræorum negotia administrarunt, fuerunt a Judæis profugati Chananæi ac Pherezæi, cæsa in Bezeo duodecim hominum millia; Rex Hierosolymorum Adonibezec, plurimum antehac gentium vicit, captus, summitatibus manuum ac pedum resectis, quod alieno supplicio excogitaverat, expertus est suo; dixitque Adonibezec: septuaginta Reges, amputatis manuum ac pedum summitatibus, colligebant sub mensa mea ciborum reliquias: sicut feci, ita reddidit mihi Deus, libri Judicum cap. 1. v. 7. Expugnata etiam est urbs Hierusalem, vastata & igne consumpta. Civitas quoque Dabir, quæ Cariæ Sepher olim vocabatur, ab Othoniele, fratre Calebī minorē, occupata est, qui & Axam, filiam Calebī, in victoriæ premiū, uxorem obtinuit. Verum, post obitum Calebī, & seniorum Juda, virorum scilicet pietate & auctoritate illustrium, qui Moysi, & Josue semper adhæserant, quique post mortem Josue, Rempublicam Hebræorum per decem annos sapientissime gubernarunt; contigit ut Judæi ex ea, quam cum Chananæis, Jebusæis, ac Pherezæis consuetudinem habebant, depravatos illorum mores imitari cœperint, amicitiam cum illicis sacrilegis infidelibus junxerint, connubia miscuerint, & tandem defecerint ad Idololatriam, cultumque Baal & Astoroth. Corruptissimis hisce temporibus fuit in Republica Hebræorum Anarchia, seu Interregnū sex annorum, non vero circiter tringita quinque annorum, sicut falso perrendit supra laudatus Abbas Pezronus. Per illud Interregnum sex annorum spatiū contigere ea, quæ postremis quinque capitibus libri Judicum narrantur de Michæ, Ephraimite, & Danitarum Idololatria; nec non de flebilis illa historia cujusdam junioris Levitæ, cuius uxorem rapuerunt, constupraron, & impotenti libidine tota nocte illusam, extinxerunt Gabaonitæ, qui erant e Tribu Beniamin, quique eundem Levitam nefaria & præpostera libidine violare conati fuerant, sicut refertur cap. 19. libri Judicum. Ad hoc tam nefandum scelus vindicandum arma sumpserunt, bellumque contra Tribum Beniamin moverunt, reliquæ Israelitarum Tribus, eoque bello Tribus. Beniamin pene deleta est, exceptis sexcentis circiter viris, qui in solitudinem fugerant, sicut legitur cap. 29. lib. Judicium. Hæc, inquam, Facta historica, quæ in quinque postremis capitibus libri Judicum narrantur, contingit eo tempore, quo, post obitum Calebī, & seniorum Juda, fuit Anarchia, seu Interregnū per sex annos in Republica Hebræorum, facile colligitur ex capite 21. v. 24. ejusdem scripti libri Judicum, ubi hæc leguntur: *In diebus*

*bus illis non erat Rex in Israel, sed unusquisque quod rectum videbatur, hoc faciebat.* Finita illa sex annorum Anarchia, quæ, ut mox dixi, post obitum *Calebi*, & seniorum Iuda, fuit in Republica Hebreorum, cum Israelitæ, mixtis cum Chanaanis, Hethois, Amorhais, Phezeis, Hevæis, Jebusæisque conjugiis, ad Idololatriam, relicto Deo, defecissent, & *Idola Baal*, & *Astaroth*olerent, Deus ipsos hostibus plectendos tradidit, & dura servitute opprimentes. Variæ autem Israelitarum servitutes, seu oppressiones sub diversis Gentium Regibus, referuntur in sacro *Judicum* libro, a quibus Deus, semper ad misericordiam propensus, eos liberavit, suscitando *Judices*, quos Judæorum Reipublicæ identidem præficiebat.

D. Quinam erant illi *Judices*, quos Deus interdum suscitabat, ut Israelitas a servitute & oppressione liberaret? & quænam officia, seu munia, potissimum obire debebant?

M. Illi *Judices*, quos aliquando suscitatbat Deus, ut populum suum a servitute & oppressione in libertatem assereret, erant Duces, seu Magistratus a Deo instituti, & ejus nomine Rempublicam Hebreorum gubernantes, quiq[ue] afflatu immediato Spiritus Sancti, moribulque heroicis agebantur. Munia, quæ illis *Judicibus* obeunda incumbebant, in his præcipue sita erant. Primo, Populum Israeliticum a servitute & oppressione liberabant. Secundo, Bella gerebant. Tertio, jus populo dicebant, & enatas lites, decretorum iudicium pronunciando, dirimebant, novas tamen Leges non condebant, nec vestigalia, seu Tributa, imponebant, nec Regiis Insignibus utebantur, nec Reipublicæ erant Domini, sed conservatores tantum & custodes; nec sacram potestatem habebant, quæ penes Summos Sacerdos erat; sed habebant civilem & politicam potestatem, quæ erat quasi Monarchica, ut pote penes unum *Judicem*, Aristocratis tamen temperata, qualis est apud Venetos Ducum auctoritas.

D. Agedum, percense nunc servitutes & oppressiones Israelitarum, juxta eum ordinem, quo in sacro *Judicum* libro describuntur, eademque opera produc in medium res præclare gestas a *Judicibus*, qui Israelitas ab his servitutibus & oppressionibus in libertatem vindicarunt.

M. Prima Israelitarum servitus, seu oppressio, contigit sub *Chusane Rafathaim*, Rege Mesopotamia, seu Syriæ, indeque hac servitus dicitur *Affyriaca*, duravitque octo annis, sicut legitur c. 3. v. 8. lib. *Judicum*. Ab hac Affyriaca servitute *Othoniel* (qui in serie *Judicum* primus occurrit, quiq[ue] erat filius *Cenez*, frater *Calebi* minor, idemque gener) liberavit Israelitas, *Cuzanem*, Regem Mesopotamia, debellavit, & per quadraginta annos populum indicavit. Abbas *Paulus Pezronus* asserit, post mortem *Othonielis* fuisse Anarchiam, seu Interregnum, quod duravit annis circiter triginta tribus. Verum, fictitia plane est illa Anarchia, cum de ea nullam prorsus mentionem Scriptura Sacra, sancti Patres, & Scripturæ Sacrae Interpretates faciant. Hoc unum ex Scriptura Sacra, videlicet cap. 3.

v. 14. lib. *Judicum*, extra omnem dubitationis aleam possum est, post mortem *Othonielis* accidisse alteram Israelitarum servitutem sub *Eglo-ne*, Rege Moabitaram, quæ ideo appellatur *Moabitica*, quæque duravit octodecim annis. Ab hac Servitute Moabitica Israelitas liberavit *Aod*, filius *Gere*, e Tribu Beniamini, qui post *Othonielem* Israelitici Populi Judeæ fuit. Hic *Eglonem*, Moabitum Regem, in Cænaculo intermit. Dein, Israelitarum copis in monte *Epiphraim* collectis, decem millia fortissimorum Moabitarum internecione delevit, sicut legitur cap. 3. lib. *Judicum*. *Aod* judicavit populum annis octoginta. Tertia Israelitarum servitus contigit sub *Jabin*, Rege Chanaan, qui regnavit in *Afor*, & idcirco hæc Israelitarum servitus vocatur *Chanaæa*, & duravit annis viginti, sicut narratur cap. 4. lib. *Judicum*. Hic autem velim obiter observes, sapientiam Abbatem *Paulum Pezronum* persuadere velle, alteram Anarchiam, seu aliud, post obitum *Aod*, fuisse in Republica Hebreorum Interregnum, quod, inquit, duravit annis circiter triginta septem. Sed hæc Anarchia, de qua omnino silent Scriptura, sancti Patres, & Sacrae Scripturæ Interpretates, tanquam commentitia explodi debet, maxime cum facher Auctor lib. *Judicum* cap. 3. v. 31. diserte dicat, post obitum *Aod*, judicariam apud Israelitas Praefecturam gesisse *Sangarem*. Sic enim habet: Post hunc, seu *Aod*, fuit *Sangar*, filius *Anath*, qui percutiit de Philistin sexcentos viros vomere, & ipse quoque defendit Israel. Si igitur *Sangar* immediate post obitum *Aod* judicariam apud Israelitas Praefecturam gesit, nulla ratione dici potest fuisse Anarchiam, seu Interregnum post mortem *Aod*. Verum quidem est, *Sangarem* paucis mensibus judicariam Praefecturam gesisse, ideoque Scripturam Sacram, loco mox ame laudato, tempus Magistratus illius non notasse. At, inde perperam infertur, post mortem *Aod* fuisse Anarchiam, quia Scriptura Sacra capite quarto v. 1. lib. *Judicum* aperte dicit, Israelitas post mortem *Aod* (non computato brevi admodum tempore, quo *Sangar* judicariam exercuit potestatem) abductos esse in servitudinem Chanaanæ a *Jabin*, Rege Chanaan: Addideruntque filii Israel facere malum in conspectu Domini post mortem *Aod*, & tradidit illos Dominus in manus *Jabin*, Regis Chanaan, qui regnavit in *Afor* &c. Quibus verbis Scriptura Sacra omnem præcludit locum huic Anarchiae, quam *Paulus Pezronus* ait durasse, post obitum *Aod*, annis circiter triginta septem. Sed ad servitudes Israelitarum redeamus, quarum terra, ut diximus, vocatur *Chanaæa*, quod contigit sub *Jabin*, Rege Chanaan. Ab hac servitute Chanaanæ, quæ perficit per viginti annos, Israelitas liberarunt *Debbora*, Prophetissa, & *Barac*, filius *Abinoemi*, de Tribu *Nephali* qui decem millibus lefftissimorum militum ex Tribubus *Nephali* & *Zabulon* collectis, contra *Sisaram*, Principem Exercitus *Jabin*, Regis Chanaan, *Debbora* comite, recta porrexit, cum Exercitu, juxta aquas *Maggeda* penitus profugavit *Sisaram*, fuga elapsum, *Jabel*,

*Jabel*, uxor *Haberis*, *Cinæi*, callide in suum tentorium allexit, potuque laetis sopitum, adacto in tempore trabali clavo interemit, eoque mortuo, *Debbora* epinicō carmine victoriā celebravit, sicut legitur cap. 4. & 5. lib. *Judicum*.

D. Non mihi verisimile videtur, *Deboram* in numero *Judicum*, seu eorum, qui apud Israelitas judicariam potestatem exercuerunt, esse collocandam. Nam, ut superius dixisti, proprium & præcipuum *Judicis* manus erat Populum Israeliticum defendere, & in bello Ducem agere. Huic autem obeundo muneri impar erat *Debbora*, ut pote sc̄mina, cui potius convenient colum, quam arma tractare, aut Exercitui imperare.

M. *Deboram* vere, & proprie Hebraeorum *Judicem* fuisse, seu judicariam exercuisse potestatem, dum Israelita *Judicum* regerentur arbitrio, testantur Scriptura Sacra, & sancti Patres. Sic enim legitur cap. 4. v. 4. libri *Judicum*: *Erat autem Debora Prophetis uxor Lapidoth*, quæ *judicabat populum in illo tempore* . . . . *Ascendebantque ad eam filii Israhel in omnem judicium*. Quibus verbis aperte innuit Scriptura Sacra *Deboram*, aliorum instar *Judicum*, populum judicare, & Israelitas universos causas suas ad ejus Tribunal detulisse. *Deboram* quoque belli, pacisque temporibus Rempublicam Hebraeorum rexisse, eique tanquam judicem præfuisse, non minus diserte asserunt Sancti Patres, *Clemens Alexandrinus* lib. 1. *Stromatum*, *S. Ambrosius* lib. de *Viduis*, *S. Hieronymus* Epist. 10. ad *Furiam*, *De Viduitate servanda*, *S. Augustinus* lib. 18. de *Civitate Dei* cap. 15. quibus addo *Severum Sulpitium* lib. 1. *Historia Sacra*, *Theodoretum* Quæst. 12. in librum *Judicum*, & *Alcimum Avirum* in *Consolatoria de Laude Virginitatis ad Fuscinam*, foroem. Sed, inquis, *Bello gerendo impar erat Debora*. Sit ita sane. At faltem potuit *Debora* consiliis suis *Barach*, qui cum illa itidem judex populi erat, adesse, suadere ei bellum, illi imperium exercitus relinquere, seque ei sociam adjungere, ut, Deo auctore, Rempublicam Hebraeorum erigeret, Populumque a gravissima Chananæorum servitute vindicaret. Præterquam quod, *Debora* non fuit vulgaris sc̄mina, quam colum, non arma tractare decet, sed fuit heroina sc̄mina, quam Deus Prophetae lumine illustravit, prudentia, & fortitudine exornavit, ut populum regere & hostium impetum intrepida retundere posset. Hinc *S. Ambrosius* in libro *De Viduis*, mox a me laudato, hæc haber: *Et ideo lectum istius ( seu Debora ) puto esse judicium, & gesta ejus arbitror esse descripta, ne mulieres a virtutis officio muliebris sexus ob infirmitatem revocentur Vidua populos regit, Vidua dicit Exercitus, Vidua Duces eligit, Vidua bella disponit, mandat triumphos*. Quæ *S. Ambrosii* sententia est omnino Scriptura Sacrae consentanea. Legimus quippe cap. 4. lib. *Judicum* v. 6. *Barackum*, qui cum *Debora* Populi Israeliti iudex erat, noluisse ad bellum nullo racto profici, nisi *Debora* se se ei exercitum ducenti sociam præberet:

*Hist. Vet. Test. Tom. II.*

*Dixitque ad eam ( seu Debboram ) Barac : Si venis tecum, vadam ; si nolueris venire tecum, non pergam*. Tanta erat in Republica Hebraeorum auctoritas *Debora*, ut ob anorem, & jūgem sollicititudinem, quam gerebat boni publici, vulgo audiret *Mater in Israhel*, non secus ac Imperatores, & Reges plerique *Patres Patrie* vocati sunt, quo titulo, magis quam Imperator, gloriabantur. Sat igitur contra *Toftatum*, *Gensbrandum*, *Cajetanum*, *Serarium*, *Cornelium a Lapide*, & alios recentiores, probatum maneat, *Deboram* vere, & proprie *Judicem* Hebraorum fuisse, eamque inter sanctos Israelis Judices esse numerandam.

D. Quot annos *Barac*, & *Debora* judicariam potestatem apud Israelitas exercuerunt, & quo loco, post illorum obitum, res Israelitarum fuerunt?

M. *Barac*, & *Debora* judicarunt populum, & Reipublicæ Hebraeorum præfuerunt per quadraginta annos. At, post illorum judicariam præfecturam, Israelitæ, qui in secundis rebus immemores cælestium beneficiorum in multa scelerata rueblo, & Idola colebant : in adversis vero, afflittiique malo servitutis divinum auxilium supplices implorabant ; juste, ob peccata, quæ perpetrabant, traditi sunt Madianitis, duroque imperio habiti. Abbas *Paulus Pezronius* post judicariam præfecturam, *Baraci*, & *Deboram* obtrudit Anarchiam in Republica Hebraorum, seu Interregnum, quod annis circiter octodecim perdurasse affirmat. Sed ejusmodi Anarchia, cuius tam in Scriptura Sacra, quam in sanctis Patribus, & Scripturæ Sacrae Interpretibus, cum nullum, vel minimum extet vestigium, nullatenus admitti debet, utpote quæ consulto excoigitata ab illo Scriptore, qui, in Historia cum Sacra, tum Prophana cæteroquin versatissimus, novam proculis Chronologiam, quæ a Codicum Hebraeorum, Græcorum, Samaritanorum, & Latinorum calculo maxime discrepat. Rejecta itaque prædicta Anarchia, certum est, Israelitas, post judicariam *Baraci*, & *Debora* Præfecturam, abductos esse a Madianitis in servitutem, quæ duravit septem annis. Cum igitur sub dura illa Madianitarum servitute oppressi gernerent, conversi ad Dominum ( inquit *S. Apollonius Severus* lib. 1. *Historia Sacra* ) misericordiam solitam flagitantes, impetraverunt. Erat in Hebreis *Gedeon* quidam nomine, filius *Joas*, e Tribu Manasses, vir iustus, & charus Domino, acceptusque. Huic Angelus e campo messis domum revertenti adstitit : *Dominus*, inquit, *resum*. At, ille voce flebili, non esse in se Dominum ingemiscet, quod populum captivitas premeret, virtutumque Domini, qui eos de Terra Ægypti eduxerat, lugens recordabatur. Tum Angelus : *Vade*, inquit, *in hoc spiritu*, *quo locutus es*, & *populum de captivitate eripe*. Ille vero abnuere, se, infractis suorum viribus, cum ipse nimis esset, tantum onus suscipere. Perflare contra Angelus, ne dubitaret posse fieri, quæ Dominus loquebatur. Perfectio igitur Sacrificio, di-

Itaque Ara , quam Baalis Idolo Medianitatem sacraverant , ad suos profectus Gedeon , castra castris hostium contulit . Sed Medianitis , in confiendo contra Israelitas bello , etiam Amalecites se conjunxerant . Gedeon vero non amplius quam ad triginta & duo millia Exercitum paraverat . Praefquam tamen configeret , significavit ei Deus , nimiam hanc esse multitudinem , quam in prælium vellet educere , itaque daret voluntibus discendendi potestatem ; quod ubi populo innotuit , viginti duo millia e castris recesserunt . Sed ex decem millibus , quæ refederant , non plures quam trecentos viros tenuit , reliquos ab armis dimisit . Tum media vigilia castra hostium ingressus , trecentos illos viros , quos tubis , lagentis va-  
cuis , ac lampadibus in medio lagenarum accensis instruxerat , in tres ordines distribuit , qui cum buccinarum clangore , simul & collifarum lagenarum fragore , fulgoreque lampadum , atque sepius ingeminatis clamoribus : *Gladius Domini* , & *Gedeonis* , tantum hostibus timorem injecerunt , ut eorum exercitum novo sane bellandi genere fuderint , atque dissiparint . Fugientes Reges persecutus est Gedeon ultra Jordanem , comprehensoisque neci dedit . In ea pugna centum & viginti milia ex hostibus cœta sunt . Tunc consensu omnium Gedeoni , ut Princeps populi esset , delatum , quod ille generoso animo aspernatus , communis jure cum civibus vivere , quam praesesse suis , maluit . Depulsa igitur Israelitarum servitute Medianitatem , quæ septem annos populum continuavit , pax per quadraginta annos fuit sub Gedeone , qui mortuus est in senectute bona , & in tumulo Iosas , patris sui , in Ebra sepultus , sicut legitur cap . 8. lib . *Judicum* .

D. Quis , mortuo Gedeone , præfuit Reipublica Hebreorum , & judicariam exercuit præfecturam ?

M. Defunctio Gedeone , filius ejus Abimelechus , ex concubina ortus , Sichinorum Principibus operam ei navantibus , judicariam obtinuit Præfecturam , & per tres annos in Republica Hebreorum imperium tenuit , seu potius tyrannidem exercuit . Eo crudelitatis prorupit , ut septuaginta fratres suos super unum lapidem interficerit , excepto Joathane , filiorum Gedeonis natu minimo , qui solus scelsti illius tyranni manus evaserat . At , Deus hanc Abimelechi crudelitatem & tyrannidem non diu inultam reliquit . Nam , cum iste fævissimus tyrannus , post dirutam & sale seminatam urbem Sichem , post interfecitos illius urbis incolas , qui in eum conjuraverant , & post igne succensum Fanum Dei ipsorum Berith , ad expugnandum oppidum Thebes progressus esset , iaxo a muliere itus , sentiensque irati supremi Numinis vindictam , Armigerus suo jussit , ut illum ferro confoderet : *Ne forte dicatur* , inquit , *quod a fæmina interfecimus sim* . Ab ipso itaque Armigeru[m] mucrone confixus animam expulit . Post Abimelechi mortem Judex constitutus est Thola , filius Phua , qui postquam populum judicasset annis viginti tribus , obiit , sicut legitur cap . 10. v . 1. & 2. libri *Judicum* . Hunc seu Tholam , in judicaria Populi Israelitici Præfectura exceptit

Jair , qui per viginti duos annos cum præfuit Reipublica Hebreorum , excessit e vivis ( lib . *Judicum* cap . x . v . 3. & 4.) . Putat Paulus Pezronus , post mortem Jair contigisse Anarchiam , seu Interregnum , quod duravit , inquit , annis circiter triginta . Sed de ista Anarchia , quam de suo cerebro fixit Paulus Pezronus , sicut omnino Scriptura Sacra , quæ notat dumtaxat servitutem octodecim annorum , cui Israelites , post obitum Jair , fuerunt addicti sub imperio Ammonitarum . Ab hac servitute Ammonitarum Israelitas liberavit Jephthe , qui in Populo Israelitico judicariam potestatem , post Jair , obtinuit . Exercitum ad debellando Ammonitas duxit Jephthe , sed dum acies hinc inde essent instructæ , priusquam signum pugnae daretur , votum Deo nuncupavit Jephthe , si prospere pugnasset , se illud in holocaustum ei oblaturum , quod sibi e parte victoria revertenti primum occurreret . Sic vicis hostibus , cum domum rediret , filia unica , quam habebat , ei obviam fit , quæ læta patrem exceptura victorem , cum tympanis & choris gratulanda processerat . Tum Jephthe consernatur dolore , conscißis vestibus , indicat filie sua voti necessitatē , cui illa paruit , ac mori non recusavit . Quadraginta duo millia Ephraimitarum , qui in Galaatidem armati irruperant , Jephthe cœcidit , multique ex his Ephraimitis , fermone proditi , in Jordanis transitu perierunt , cum vocem Schibboleth , quæ Spicam significat , pronunciare non possent , sed vice illius , Sibboleth efferrent . Per sex annos Principatum tenuit Jephthe , obiitque in civitate sua Galaa , ubi etiam sepultus est , sicut legere est in libro *Judicum* cap . 12. v . 8. & 9.

D. Ecquid , quaso , mihi narras votum Jephthe , quod ei in perpetuum dedecus cessit , sicut docet S. Thomas , Angelicus meus Praeceptor , 2. 2. Quæst . 88. Art . 2. in Respons . ad secundam objectionem , ubi hæc habet : „Quædam vero sunt quidem in se considerata bona ( & secundum hoc possunt cadere sub voto ) possunt tamen habere malum eventum , in quo non sunt observanda . Sicut accidit in voto Jephthe , qui , ut dicitur cap . x . libri *Judicum* : Votum vovit Domino , dicens : Si tradideris filios Ammon in manus meas , quicunque primus egressus fuerit de foribus domus mea , mihique occurrit revertenti in pace , eum offertam holocaustum Domino . Hoc autem poterat malum eventum habere , si occurreret ei aliquod animal non immolandum , sicut asinus , vel homo : Quod etiam accidit ; unde Hieronymus dicit : In votendo fuit stultus , quia distinctionem non habuit , & in reddendo impius . Censet itaque S. Thomas , votum Jephthe fuisse illicitum , temerarium , & impium . At , hinc nascitur haud levis difficultas , quam mihi eximas velim . Si enim Jephthe in voto nuncupando fuit imprudens , & in reddendo crudelis , quorsum igitur cap . xi . v . 20. libri *Judicum* dicitur , Spiritum Sanctum irruisse super Jephthe ? Factus est ergo super Jephthe Spiritus Domini . Quorsum etiam Apostolus Paulus cap . xi . v . 32. & 33. Epistole ad

ad Hebreos inter Veteris Testamenti Sanctos reconsent Jephthe Deficer extra me, inquit ille Apostolus, tempus enarrantem de Gedeon, Etac, Samson, Jephthe, David, Samuel &c. Cur, inquam, Scriptura Sacra his encomius celebrat Jephthe, si ejus votum fuit illicitum, crudele, & impium, sicut sentit S. Thomas?

M. Non solum censet S. Thomas, votum Jephthe fuisse illicitum, temerarium, & impium, sed etiam in hac sententia praeiverunt Doctori Angelico multi sancti Patres, praeferim Ambrosius lib. 3. de Officiis cap. 12. S. Hieronymus lib. 1. contra Joannianum, & Comment. in caput 7. Jeremie, S. Augustinus Quest. 49. in Judges, S. Chrysostomus Homilia xiv. ad Populum Antiochenum, & Theodoreetus Questione 20. in Judges, cuius titulus est: Quonobrem permisit Dominus Deus mactari filiam Jephthe? Hi, inquam, sancti Patres clarissime docent, votum Jephthe fuisse illicitum, temerarium, & impium, quia revera Jephthe votavit, se oblatum in holocaustum, quod ipsi primum occurisset, id est mactaturum, & in Dei honorem totum igne consumptum, illudque votum Jephthe in filia sua unigenita crudeliter implevisse mactatione cruenta, quod tamen Deus districte inhibuit lib. Deuteronomii c. 12. v. 31. Ex qua doctrina sanctorum Patrum falsi convincitur opinio quorundam, qui dicitant, Jephthe non implevisse votum suum in filia sua mactatione cruenta, sed dumtaxat immolatione spirituali, hoc est, consecratione perpetua virginitatis. Hae, inquam, opinio adveratur doctrina sanctorum Patrum, quos mox laudavi. Et sane, si spiritualiter dumtaxat immolanda fuisset puer, ut quid Jephthe statim ac vidit filiam suam, prorupit in miserabiles ejulatus, sciditque pro dolore vestimenta sua? ut quid etiam filia Jephthe bimestre tempus, ut ait Scriptura Sacra, a patre suo postulavit ad plangendum cum sodalibus virginitatem suam, quam toto viate sua decursu plangere potuisset? ut quid tandem filiae Israel quotannis convenissent ad plancum solemnem super filia Jephthe quatuor dierum spatio, sicut testatur Sacra Litera, nisi filia Jephthe recta fuisset cruenta mactatione a patre suo immolata? Sed, si sit, inquis, cur igitur Scriptura Sacra ait de Jephthe: Factus est super Jephthe Spiritus Domini? Cur etiam Apostolus Paulus Catalogo Sanctorum Veteris Testamenti accenset Jephthe? Huic tue difficultati sic responderet S. Thomas 2. 2. Quæstione 88. Art. 2. ad secundam objectionem: Premititur tamen, inquit Angelicus ille Doctor, quod factus est super eum spiritus Domini: quia fides & devotio ipsius, ex qua motus est ad votandum, fuit a Spiritu Sancto. Propter quod ponitur in Catalogo Sanctorum, & propter victoriam, quam obtinuit, & quia probabile est, eum panituisse de facto iniquo, quod tamen aliquid bonum figurabat. Et commentator in Epistolam ad Hebreos, idem S. Thomas ait: In facto Jephthe fuit aliquid a Spiritu Sancto scilicet motus ad votandum in generali, quod scilicet immolare quidquid occurseret sibi immolabile: Aliquid autem ex proprio suo spiritu, scilicet quod immolauit quod non debuit, & in hoc peccauit, sed post panituit. Falluntur ergo illi

Scriptores, qui dicunt, votum Jephthe fuisse pium & sanctum; vel qui excusant Jephthe, quia hoc votum per ignorantiam, & religionis zelo Deo nuncupavit, & implevit bona fide, putans se hoc voto obstringi, ad filiam, quæ sibi primo occurserat, immolandam. Verum nulla ignorantia, aut prætentus religionis zelus excusare potest votum Jephthe, quia per illud filiam suam unigenitam Deo mactavit, quod cerre jure naturali, divino, & humano, vetitum est.

D. Quis in judicaria Populi Israëlitici Praefectura succedit Jephthe?

M. In locum defuncti Jephthe sufficiens est Abesan, Bethleemita, ex Tribu Juda, qui Israëlem per septem annos tranquillis temporibus judicavit. Mortuo Abesan, & Betheleemi sepulto, succedit Helon, seu Ajalon, qui per decem annos Populum Israëliticum judicavit. Ajalon autem mortuo succedit Abdon, qui per octo annos Israëlen pacifice rexit: Sed isti tres Judices, qui continua ferie Jephthe successerunt, nihil memoria dignum, quod Sacra prodat Historia, ediderunt. Hic obiter advertere debes Paulum Pezronum admittere, post mortem Judicis Abdon in Republica Hebreorum Anarchiam, seu Interregnum, quod, ut ait, duravit annis circiter quinquaginta. Sed hanc Anarchiam fictitiam plane esse probat altum. silentium Scripturæ Sacrae, quæ illius post mortem Abdonis nullam proorsus in libro Judicum mentionem facit, atque dumtaxat, Israëlatas, post mortem Abdonis, ad Idola conversos, & ideo diuino destitutos præsidio, subiectos fuisse Philistæis, & per quadraginta servitutis annos poenas perfidie peperisse.

D. Quem Ducem suscitavit Deus ad vindicandos a tam longa Philistæorum servitute Israëlitas?

M. Deus, ad liberandum populum Israëliticum e diuturna Philistæorum servitute, usus est opera Samsonis, cuius ortum Angelus sterili matri nunciavit. Ab infante Deo consecratus Samson, comam aluit, a vino, & sicera, Nazareorum instar, abstinuit. Philistæ malieris amore captus, eam duxit uxorem, quæ postea ipsum prodidit. Ad miraculum fortis fuit Samson, Judex Hebreorum a Deo constitutus, majoraque vere præstitus, quam fabula Herculi suis commentis affinxerunt. At enim primo, Samson obvium habens Leonem, in frusta nudis manibus eum discerpit, & post aliquot dies reversus, examen Apum, favumque melis in ejus ore invenit. Secundo, Samson, postquam compertum habuisset, uxorem suam Philistæam, ipso absente, fuisse alteri viro matrimonio copularam, excanduit, & ut abrepta uxoris sua injuriam ulcisceretur, perniciem toti Philistæorum genti hoc pacto molitus est. Trecentis vulpibus (quas per se, & per amicos capere potuit) ardentes lampades earum illigavit caudis, atque agris Philistæorum immisit, indeque magnum excitavit incendium, quod in maturas jam Philistæorum messes, fruges, vineas, oliveta, & in villas ipsas sparsum, ac longe, lateque grastatum est. Hoc, grandi licet Philistæorum exitio, parum se vindicatum ratus Samson, urgere omnibus

incommode prophanam gentem , eique magnas clades inferre non desinebat . Quo factum est , ut Iudæi , compulsi a Philistæis , Samsonem vincetum eis tradiderint . Sed traditus , ruptis vinculis , arreptaque asini mandibula , quam casus telum dererat , mille ex hostibus prostravit . Ingravescente autem æstu , cum , post victoriam , ardenti furi cruciaretur , invocato Domino , e dente molari asini , cuius maxillam abjecerat , scaturivit fons , cuius aquis sitim sedavit . Tertio , Samson , urbem Gazam ingressus , portis omnibus diligenter obseratis , ad vincula & necem a Philistæis destinatus , concubia nocte furgens , struntas sibi a Philistæis infidias maximo robore , & audacia declinavit , portas urbis cum posibus vi avulsas humeris suis imposuit , & in cacumen montis , qui adjacebat via , Hebronem ducenti , nemine ei resistere auso , detulit . At paulo post Samson , vir tantus , & tot palmarum Dux , a vili meretrice , Dalila , vietus ac subjugatus est : Ea quippe sclerata , & callida meretrix Samsonem interrogavit , in quo sita esset tanta , qua pollebat , fortitudo , cumque Samson bis eam , ac tertio deluisisset , succubuit tandem illius scortuli importunis precibus , & intempestivis blanditiis , eique per summam insaniam indicavit , se , quamdui capillatus esset , semper fortem & invictum fore , rescissio crine , inermem , & aliis hominibus parem futurum . Mox dormienti Samsoni infidata meretrix Dalila , ejus capillitum abrasit , eumque Philistæis tradidit . Tum illi effossis oculis , vincetum Samsonem in carcerem conjecterunt . Sed postmodum crescentibus capillis , viribusque recuperatis in locum , in quem Philistæorum Primores omnes , & maxima populi turba convenierant , in pompa prodicetus , ut ei post epulas illuderent , duas columnas , quas utraque manu apprehendit , tam valido impetu concussit ac dejecit , ut tria Philistæorum millia ædificii collabentis ruina oppreficerit , suo ipse sepultus triumpho . Sic extinctus est Samson postquam viginti annis præfuissest Hebreis . Vir sane nunquam laudandus satis , nisi fese libidini vincendum permisisset .

D . Cum nemini liceat sibi conciscere necem , justa mihi suppetit ratio dubitandi de æterna salute Samsonis , qui mortem sibi intulit , nec nullum edidit penitentiale signum .

M . Dunn Samson columnas domus concussit , domumque evertit , qua se oppressum iri certo prævidebat , omni culpa vacavit , tum quia primo id non fecit Samson ex intentione seipsum occidendi , sed ut Dei , & Populi Israelitici hostes opprimeret , ex quo secuta est mors ipsius , cum aliqui optasset eos perdere , se salvo : Tum quia etiam id non præstisit Samson humani furoris , aut desperationis impetu , sed impellente Spiritu Sancto , sicut docet S . Augustinus l . i . De Civitate Dei c . 21 . his verbis : Nec Samson aliter excusat , quod se ipsum cum hostibus ruina domus oppræserit : nisi quia Spiritus latenter hoc jusserat , qui per illum miracula faciebat . Præterea Apostolus Paulus Epist . ad Hebreos cap . xi . vers . 32 . Samsonem enumerat inter Sanctos Veteris Testamenti , dicens : De-

sicit me tempus enarrantem de Gedeone , Baræ , Samson &c . Porro , si Samson , ruina domus se ipsum occidendo peccasset , & in peccato nulla penitentia diluto ex hac vita excessisset , non deberet inter Sanctos habere locum , sed potius inter reprobos enumerandus esset . Non peccavit itaque Samson , dum , impellente Spiritu Sancto , adita forti animo spontanea morte , Philistæos , Dei hostes , & Populi Israelitici oppresores , communis secum ruina implicuit , multoque plures interfecit moriens , quam vivus occiderat , sicut ait facer Auctor libri Judicum cap . 16 . vers . 30 .

D . Quis , mortuo Samson , rexit Populum Israeliticum , & judicariam obtinuit Praefeturam ?

M . Putat Sulpicius Severus cap . 29 . lib . 1 . Historia Sacre , aut faltem dubitat , num demortuo Samsoni successerit Semiger , seu Sangar . Sic enim habet : Huic , seu Samsoni , Semigaru successit , de quo nihil amplius Scriptura prodidit . Nam neque finem Imperii ejus reperi , & fuisse populum sine Duce irreviro . Ideo cum aduersus Beniamin Tribum civile bellum fuit , Judas temporarius Dux belli assumpsus est . Sed plerique , qui de temporibus scripsérunt , annum unum Imperio ejus annotaverunt . Plerique ita eum preterierunt , ut post Samson Eli Sacerdotem subjunxerint . Nos eam rem , ut parum compertam , in medio relinquemus . Et capite sequenti , seu xxx . ejus libri , conceptis verbis Sulpicius Severus , assertit , Semigarem , seu Sangarem , successisse Samsoni : Nam , inquit , quum post Samson Judicem Semigaru fuerit &c . Sed mirari vehementer subit , cur Sulpicius Severus dicat successorem Samsonis fuisse Sangarem , cum Sacra Literæ in libro Judicum memorent quidem Judicem aliquem nomine Sangarem , sed eum non Samsoni , sed Aod successisse diferte testentur . Mirum etiam est , quod Sulpicius Severus c . 29 . l . 1 . Historie Sacre scripsérit , bellum Beniaminiticum , idest , contra Tribum Beniamini , a Tribibus reliquis confectum , ob violatam , & impotenti libidine extinctam juventutem Levitæ uxorem , contigisse post Praefeturam Samsonis , cum tamen , sicut antea diximus , fœbilitate illa Historia uxoris Levitæ , bellum Beniaminiticum , Michæ , & Danitarum Idololatria , acciderint antequam Populus Israeliticus haberet Judices , hoc est , tempore Anarchia , seu Interregni sex annorum , quod fuit post obitum Caleb , & seniorum Iuda , qui in regimine Reipublicæ Hebræorum successerunt Josue . Fatorer quidem , tam bellum Beniaminiticum , quam alia Facta historica narrari in quinque postremis libri Judicum capitibus post mortem Samsonis ; id , inquam , ultra fateor , sed id consulto a sacro libri Judicum Auctore factum esse censeo , quippe qui , ne Judicum Gesta , quæ in primis scribenda sibi sumperat , interrumperet , bellum Beniaminiticum , & quedam alia Facta historica in quinque posterioribus ejusdem libri capitibus , post obitum Samsonis , descripsit , quæ tamen ante Samsonis obitum revera contigerunt . Sed redeamus ad seriem illorum Judicum , qui post obitum Samsonis ,

*Ionis*, Populum Israeliticum rexerunt. Defuncto *Samfone*, Iudex Populi Israeliticus, constitutus est *Heli*, Summus Pontifex, non ex *Eleazaro*, primogenito *Aaronis*, sed ex *Ithamar* genus dicens. Eo gubernante, calamitosissimus fuit Reipublica Israelitica status, jamque periclitari videbatur, nisi Deus *Samuelem*, patre *Elcana* de Tribu Levi gentium, & *Anno* matris sterilis ardentibus votis ac precibus concessisset. A pueritia Deo consecratus est *Samuel*, & disciplinae *Heli*, Sacerdotis, traditus, qui, postquam adolevisset, noctu quater a Deo vocatus, iussus est ut sententiam in *Heli*, domumque ejus latam, ob crimina filiorum ejus, nimiamque patris erga eos indulgentiam, illi suo nomine denunciaret. Deo morem actum gessit *Samuel*, adiit *Heli*, eique divinam increpationem, minas, & proximam totius ipsius familiae cladem, ut audierat a Domino, indicat, totque malorum causam aperit, improbitatem videlicet filiorum ejus, *Ophnis*, & *Phinees*, qui patris auctoritate abutentes, ejusque Sacerdotium in turpem. quantum vertentes, & munera a sacrificantibus exigentes, avertebant religiosos homines a Templo, rebusque sacris, & pietatem, quam in primis fovere debebant, extinguebant. Erant intuper *Ophnis*, & *Phinees*, viri libidinosi, suo, suorumque sacrilegio infames, qui, deposito omni pudore, effronci libidine, promiscuis adulteriis cum matronis ad osium Tabernaculi excubantibus, sese conspurcabant. Erant denique contumaces in patrem suum *Heli*, qui eos identidem verbis increpabat, sed lenius quam eorum culpa, & summi Judicis, atque Pontificis auctoritas exigebant. Terribilis illius Oraculi, quod *Samuel* nomine Dei significavit *Heli*, veritatem probavit eventus. Israelitae quippe duplice prælio ad triginta quatuor millia virorum casi sunt. Arca, quæ e Tabernaculo in castra fuerat delata, ab hostibus capta est. *Ophnis*, & *Phinees*, Sacerdotes, & filii *Heli*, occisi sunt, tamque terribili nuntio percussus *Heli*, de sede retrorsum lapsus, fracta cervice, occupuit anno eratis sua nonagesimo octavo, judicaria vero sua Praefectura anno quadragesimo. Denique, Nurus *Heli*, uxor *Phinees*, filium *Iacobodem* immaturo partu enixa, & vivis confessim rapta est, sicque tota *Heli* familia luctu, necibunque fuit completa. Philistæ, parta Victoria, Arcam Dei, quæ in eorum potestatem venerat, oppido Azoto in Templum *Dagon*, juxta Idolum, intulerunt, velut spoliu falso Numini sacram. Sed (verbis utor *Sulpitii Severi* cap. 31. lib. 1. *Historie Sacre*) simulacrum, Dæmoni dicatum, ubi Arca illata est, corruit, cumque Idolum loco restituissent, nocte infœcta discriptum est. Inde mures per omnem regionem exorti, noxiis mortibus multa hominum millia letho dabant. Quo malo compulsi Azotii, Arcam Dei ad Gethæos transstulerunt. Qui cum simili clade afficerentur, in opidum Ascalonensem transvixerunt. His vero, advocatis gentis eus primoribus, consilium fuit, Arcam Domini Hebreis reddere. Ita ex sententia Principum, Augurumque, & Sacerdotum, *Hist. Vet. Test. Tom. II.*

„ imposita vehiculo, multis cum muneribus remittitur. Illud memorabile, quod cum oneri boves foeninas subiecissent, vitulosque earum domi retinuerint, iter, nullo duce in Judæam pecudes direxerunt, non revocante affectu fœtus relicti: cujus rei miraculo Reguli Allophylorum usque in fines Hebræorum Arcam secuti religiosum officium præsiterunt. Judæi autem, ubi Arcam referri viderunt, certatim ex oppido Bethsamen cum gaudio obviam ruere, tellinare, exultare, grates Domino referre. Ad urbem *Bethsamen*, quæ erat urbs Levitica, semel appulsa Arca Domini, incredibile illud gaudium, quo illius urbis incolæ, seu Bethsamitæ, eam venientem excepterant, mox in luëtum conversum est. Cum enim Bethsamitæ audacius illam introspicerent, & fortassis parum sancte manibus contrectare præsumerent (quod Deus non solum plebeis, sed & Levitis districte cap. 4. v. 20. libri Numerorum sub pena mortis vetuerat) statim septuaginta viri ex Primoribus, quinquaginta vero milia ex plebeis, vindice Deo perierunt, sicut legitur cap. 6. v. 19. lib. 1. Regum. Ea subitanæ, & inopinata clade vehementer territi Bethsamitæ, Arcam in oppidum *Cariabiarum* miserunt, ubi posita est in domo *Abinadab* in Gabaa, ibique per annos viginti fuit. Dum *Samuel* summa vigilans judiciis administrandis, & regenda Reipublicæ totus post obitum *Heli* incumberet, atque in profigandis Israelitarum hostibus omnem operam, & industriam poneret, Populus Israeliticus, ab eo, quem jam lenuisse videbant, posularunt Regem, qui aliarum Gentium instar, ipsum belli, pacisque temporibus regeret. Nihil intentatum reliquit *Samuel*, ut Israelitas a tam pravo consilio abduceret, Deique iussu eis dominationem regiam, & superba imperia exposuit, libertatem extulit, servitum detestatus est; postremo, divinam eis iram denunciavit, si Deum Regem habentes, vellent non sine exemplo amari libertatem servitio mutare, sibique ex hominibus flagitare Regem, qui potestatem in licentiam quidvis pro arbitrio suo agendi, & dominium in tyrannidem verteret. Sed surdis cecinit *Samuel*, nec dictis suis potuit Israelitas ab insana petitione Regem habendi detergere. Quapropter, in sententia perseverantibus Israelitis, eorum responsum referenti *Samueli* iustis Deus, ut eorum desiderio annueret, Regemque illis crearet. Dei iussis statim obtemperavit *Samuel*, primumque Israelitarum Regem creavit & unxit *Saulem*, filium *Cis*, de Tribu *Benjamin*, tuncque cessavit apud Israelitas judicaria Praefectura, & Reipublicæ Hebræorum status, qui sub *Moysi*, *Josue*, & *Judicibus*, fuerat Aristocraticus, mutatus est in Monarchicum. Sed antequam *Saulis*, primi Israelitarum Regis, Gesta hic describam, necesse est, ut paucis referam historiam *Ruth*, quæ (ut legitur in sacro libro *Ruth* cap. 1. v. 1.) incidit in tempora Judicum, quamvis sub quo Judice contigerit, sit omnino incertum. Sic autem se habet *Historia Ruth*. Orta fame in terra Israelis, *Elimelech*, Betleemita de Tribu Juda, una cum uxore *Noemi*, ac duobus filiis *Mahalone*, & *Chelone*, in Moabitidem profectus est, cumque ibi

ibl extremum diem obiisset, filii ejus uxores Moabitidas duxerunt, quarum uni nomen erat *Orpha*, altera appellabatur *Ruth*: utroque absque liberis extinto, *Noemi* rediit in patriam cum *Rutha*, Nuru sua, vidua *Mahalonis*, quæ cultum veri Dei amplexa est, *Orpha* vero ad Idolorum cultum reverta. *Booz*, filius *Salomonis ex Rabab*, meretrice *Jericunthina*, vidit *Rutham* in agris suis spicas colligentem, eique non solum liberum permisit spicilegium, sed multis eam beneficiis cumulavit, eumque esset *Elimechi* consanguineus, & aliunde vir dives ac potens, cognita virtute & probitate *Rutha*, eam jure propinquitatis, alio propinquore recusante, servatis Legis, & avitæ consuetudinis ritibus, uxorem duxit, & ex ea genuit *Obed*, ex quo natus est *Isai*, five *Jeſſe*, pater *Davidis*, Regis Juda. Habet summatim perfrictam historiam *Rutha*, quæ, ut jam diximus, contigit sub uno Judicum, quæque in sacro libro *Ruth* narratur quatuor capitibus comprehensa.

D. Geltio nunc audire ea, quæ in suo regimine gessit *Saul*, quem *Samuel* creavit & inauguavit primum Israelitarum Règem.

M. *Saulem*, virum præstanti forma & Imperio digna præditum, modestum, iuxta ac bellicosum, a *Samuele* Regem declaratum, Populus Israeliticus proris animis veneratus est, & una voce proclamavit: *Vivat Rex*. Præclaræ fuerunt Regni *Saulis* exordia. At enim, post mensem a sua inauguratione, urbem *Iabes* in Galaad, quam *Naas*, Rex Ammonitarum, obsidebat, ducto Israelitarum exercitu liberavit, & Ammonitas profligavit. Præterea, *Saul* Amalecitas & Philistæos, Ammonitas, & Idumæos, Hebraorum hostes infensissimos, magnis cladiibus attrivit. Disciplina militaris adeo rigidus cultor fuit *Saul*, ut parum abfuerit, quin *Jonatharem*, filium suum, morti addixerit. Præceperat quippe *Saul*, ne quis, nisi confessis ac internecione deletis hostibus, cibum eaperet. At, *Jonathas*, filius *Saulis*, qui adversus Philistæos strenue pugnaverat, inscius Regii Edicti, paululum mellis, favo in nemore reperto, tincto spiculo, degustavit, indeque mortis discrimen subiit. Sed populus egregium hunc Principem, quem in oculis serebat, liberavit, & ab imminenti exitio vindicavit. Fortunata ista Regni sui initia haud parum deturpavit *Saul*, fuitque, ob duplicum presertim causam, a Deo reprobatus, ejusque familia e Regni successione exclusa. Primo, quod *Saul*, contra Dei hostes prælium conferturus, Sacrificium contra ipsius Dei Mandata intempestive obtulisset, inconsulto & inexpectato *Samuele*, cuius matr & consilio illum dirigi Deus volebat. Secundo, quia Rex *Saul*, a Donino per *Samuelem* iussus, ut Amalecitas omnes ad unum internecione deleret, addito interdicto, ne quid ex spoliis devictorum, & ex eorum gregibus & bonis concupisceret, neendum retineret, *Saul* tamen, divini præcepti immemor, *Agag*, capto Amalecitarum Regi, pepercit, optimoque preges servari, & in prædam ferri imperavit. A Deo itaque reprobato *Saul*, Rege, e pascuis vocatus *David*, filius *Isai*, de Tribù Juda, munctus est a *Samuele* in Regem, inscio *Saul*. Bello a Philistæis impeditam Rempublicam Hebraeo-

rum egregie sustentavit, fulcivitque *David* adhuc adolescentis. Cum *Goliatho*, Viro inter Philistæos mira magnitudinis & roboris, virga tantum, & lapidibus sumptis, in prælium processit, primoque iētu missa funda lapide gigantem illum perculit, prostravit, ejus caput & spolia ovans abstulit, illiusque gladium in Templo appendit, ut esset memorabilis istius facinoris monumentum. Urbem etiam *Ceilam* ab obſidione Philistinorum liberavit *David*. Quibus militiae rudimentis & suavissimis moribus ita Regis *Saulis* benevolentiam sibi conciliavit, ut *Micholem*, filiam *Saulis*, in matrimonium acceperit. Sed mox *Saul* amorem suum in odium, invidiamque vertit, tantoque litoris astu in *Davidem*, generum suum, percitus est, ut eum ad necem sepius quæsierit, ipse vero *David*, ut periclitanti vitæ sua confuleret, cogeretur per deserta loca, & per abrupta montium ac speluncas, instar feræ, captare latebras, ut socii sui, hostiliter illum insequentis conatus, sedulitatemque eluderet. Actum profecto, ac penitus de vita *Davidis* conclamatum fuisset, nisi *Micholis*, ipsius uxoris, industrius amor; *Jonathæ*, Principe, filii *Saulis*, fidelis & constans amicitia; *Achimelechi*, Sacerdotis, qui *Davidem*, fame laborantem, panibus propositionis refecit, charitas; *Davidis* ipsius coram *Achis*, Gethæorum Rege, infantiam simulantis summa prudentia; *Abigailis*, uxor *Nabal*, beneficitia, salutem illius maximo in discrimine positam, Deo ita providente, collocassent in tuto. Sed his *Davidis* calamitatibus finem tandem imposuit Deus morte Regis *Saulis*, acerrimi illius infestatoris. Videns enim *Saul* in se parata formidolosa Philistinorum castra, jamque instare prælium, consuluit timore percussum Dominum, qui tamen ei non respondit five per somnia, five per Sacerdotes, five per Prophetas. Qua repulsa irritatus *Saul*, & ad desperationem adactus, vocavit, & consuluit Pythonissam, seu mulierem, quæ Pythonem, seu Dæmonem, familiarem habebat. Petiit ergo *Saul* ab hac muliere, ut suscitaret sibi *Samuelem*, a quo scisces- tari posset, quid sibi, ad has extremas redacto angustias, factò opus esset? Dicto audiens hæc mulier suscitat *Samuelem*, qui *Sauli* predixit, illum postero die cum filio suo *Jonathane* a Philistæis victum, in prælio occisum iri, ejusque Regnum *Davidi* datum iri. Quod ita evenit, nam Philistæi, castris in hostili solo positis, postero die aciem instruunt, confortoque prælio, Hebrei in fugam versi, non imperia exequi, non ordines observare, omne præsidium in pedibus habere. Filii Regis *Saulis* cederunt in prælio, *Saul* vero, equo delapsus, ne vivus in potestatem hostium veniret, gladio suo incumbens, mortem sibi intrulit. De annis administrati a *Samuele* Regni, Commentatores & Chronologi variant linguis & sententiis. Annos quadraginta *Sauli* tribuit *S. Paulus* A storum c. 13. Communis tamen & probabilior opinio est, illis quadraginta annis contineri etiam *Samuelis* annos ante *Saulis* Principatum, in quam sententiam lumbens ipse descendo, ut constabit ex ea, quam mox texam, serie annorum, qui à profectione Israelitarum ex Egypto usque ad quartum Regni *Salomonis* annum, hoc est, usque ad consu-

tionem Templi Hierosolymitani , interfluxerunt.

D. Fuitne *David*, mortuo *Saulo*, Rex ab omnibus Israelitarum Tribibus salutatus?

M. Statim ac *David*, qui erat in Terra Philistinorum, compertum habuisset, Regem *Saulum*, ejusque filium *Jonathanem* e vivis exceperisse, eorum necem, miro pietatis exemplo, lacrymis & luctu prosecutus est. Dein, conscedit Hebronem, ubi solemni ritu, & frequentibus comitiis, iterum Rex inunctus est. At, dum *David* in Hebron inaugurabatur Rex, *Iosphethum*, filium *Saulis*, in urbe *Manahim* trans Jordanem apud Galaatidas Regem consecrandum curavit *Abner*, qui magister militiae *Saulis* Regis antehac fuerat. Sed *Iosphethus* octavo Regni sui anno insidiis appetitus, & domi sua per fumum scelus a ficariis opprelsus, solidam *Davidis* totius Regni possessionem reliquit. Tunc enim duodecim Tribus, & Seniores Israel ad *Davidem*, qui erat in Hebron, venerunt, & facta ipsi deditio, tertio unctum, super totum Israel Regem constituerunt. Universo itaque Israelitico Imperio potitus *David*, in ejus administratione præclare se gessit. Nam primo, relieto Hebron, Hierosolymam armata manu contendit, arcem *Sionis*, quam occupabant *Jebusai*, invasit, &, profligatis *Jebusais*, in Hierosolymorum urbe, quam, multis auctam adificis, *Civitatem David* appellavit, Regni sui sedem collocavit. Posthac, variis contra hostes Dei bellis implicitus *David*, insignes de illis victorias reportavit, & Regni Israelitarum fines ad Euphratem usque propagavit. Philistæos domuit, Idumæos, & Amalecitas subjugavit, Moabitæ, & Ammonitas expugnavit, Syriam subegit, ei stipendum imposuit, immensamque auri, & aris copiam ex præda retulit. Hæc & alia id genus fuerunt *Davidis* Regis bellicæ virtutis nulla unquam delenda oblivione monumenta; quibus tamen longe præponenda esse duco ea, quæ *David* Rex dedit eximia pietatis specimina, inter quæ Scriptura Sacra potissimum narrat translationem Arcæ Domini, quæ in oppido Cariathiarim, ut supra observavimus, erat, Arcam, inquam, Domini in Arcem Sion solemni ac religioso ritu transfusit *David*, & in novo Tabernaculo, quod ei paraverat, deposuit. Hanc Arcæ translationem Deus stupendo prodigo commendavit. Cum enim boves, trahentes plaustrum, cui imposta erat Arca, calcitrantes vidisset *Oza*, filius *Abinadab*, ac subinde Arcam vacillantem, manum admovit, ut eam sublevaret, subita morte extinctus est, non quod Levita non esset, sicut pereram quidam asserunt, sed quia, ut cenfet *Theodoreetus Quastione xix.* in librum II. Regum, *Oza*, qui Arcam hameris suis ex præcepto Legis portare debuisset, eam, Philistæos, Alienigenas, qui Legem non noverant, imitatus, plaustrum videntem imposuit. Cum Templum Domino adificare *David* in animo haberet, siuunque *Nathanii*, Prophetæ, consilium aperuisset, hoc divinum accepit responsum, non ab ipso, gerendis bellis jam pridem assueto, multique sanguinis effusore, sed a filio pacifico *Salomone*, ei nascituro, sacrum illud opus perfectumiri. At, *David*, si-

cut admiranda invictæ suæ in bello fortitudinis, & eximia in Religione pietatis in Deum supra omnes Reges specimina exhibuit, ita deploranda infirmitatis humanæ reliquit exempla. Dum enim Hierosolymis otio frueretur, vidit *Uriæ*, Hethæ, conjugem, insignis pulchritudinis foemina, cui nomen *Betsabeæ*, tene in balneo lavantem, ejusque impudico amore subito correptus, accersit adulterio polluit. Porro, *Davidis* adulterium quæ circumstantia peculiariter exaggerant? Primo, quod Rex ille domi haberet uxorum greges & concubinorum, & tamen non ex inopia, sed ex lascivia concupivit alienam, ut rapto potius, quam stupro delectari visus sit. Neque enim par crimen est ejus, qui coactus egestate suffuratur aliquid diviti: & ejus, qui domi opulentus, tenuem & miserum veste unica, quam habet, spoliat. Hanc criminis atrocitatem *Davidi* impegit *Nathan*, Propheta, ad illum missus a Deo, sub parabola divitis raptoris, & pauperis spoliati. Secundo, *David* adjunxit adulterio homicidium *Uriæ*, mariti *Betsabeæ*, quod quidem homicidium eo immanius fuit, quod non casu, aut subita animi commotione, sed destinato consilio, data opera, & capta opportunitate a *David*, Rege, commissum est. Nihil commeruerat *Urias*, noverat Rex illum fidelem, & fortem bellatorum, & hac ipsa hominis sinceritate abusus est ad illius exitium. Tradidit *David* epistolam homicidiam *Uriæ*, nihil suspicanti, deferendam ad *Joabum*, Ducem militiae, in qua Rex huic Duci præcipiebat, ut *Uriam*, iniquo pugna loco hostibus oppositum, Ammonitarum telis conficiendum curaret. Votis Regis obtemperavit *Joab*, sed, ut latet fraus, complures generosi exercitus milites in discrimen mortis vocati sunt, magna vis hominum jaculis hostium objecta est, ut unus innocens interimeretur, Regis libidini locum datus. Viden, quantum in uno *Davidis* crimine insit criminum? Tanti sceleris atrocitatem, per Prophetam *Nathanem* admonitus *David*, ultra agnoverit, dicens: *Peccavi Domino*, & lacrymis perfutis, cordeque contrito, culpam delicti sui oblitteravit ( dicente ei Propheta *Nathan*: *Transstulit Deus Peccatum tuum*) sed non evasit poenam temporaneam, quam Deus, iustus scelerum vindex, ei inflictus erat, quaque pœnitens *David* aqua, sibique semper constanti vitæ ratione, multiplicem tulit. Prima poena fuit, ut puer, quem ex furtivo concubitu, seu ex adulterio cum *Betsabea* suscepserat *David*, recens natus, interiret, tametsi pueruli illius salutem, & vitam precibus, jejunio, lacrymis, cilicio, ardentissimis votis a Deo, vitæ & necis arbitrio, flagitasset, sed frustra. Alteram poenam subiit *David*, præcedenti longe acerbiorum, quippe quæ familiam ejus lacrymis, cædibusque percussit. Habebat *David* filium primogenitum, dictum *Ammonem*, qui sororem suam *Thamar* puellam formosissimam, impotentem libidine deperibat, cuius ut amplexis frueretur, de industria simulavit, tantam sibi inesse omnium ciborum naufragium, ut nullis cibis uti posset, nisi sororis suæ *Thamaris* manibus preparatis. Nihil fraudis suspicatus *David*, pater ipsius, annuit ejus votis, permisitque, ut *Thamar* inviseret fratrem suum, eique cibos

cibos coqueret ac pararet. At solam, venientem Thamarem, eamque ab arbitris remotam naclus in cubiculo suo Ammon defloravit, ac constupravit. Quo turpi dedecore confernata Thamar, festina, lachrymisque perfusa accurrit ad alium fratrem suum, dictum Absalonem, eumque ad ultionem stimulavit. Per biennium quelevit Absalon opportunam vindicta occasionem; ac tandem invitavit Ammonem ad convivium, in quo, postquam convivæ omnes incauissent mero, multis vulneribus confossus Ammon perire: suaque morte, & stupro, quod sorori sue Thamari intulerat, totam Davidis Regis patris sui familiam funestavit. Hanc domesticam in familia Davidis Regis calamitatem alia luctuosior exceptit, quæ Davidem in extremum discrimen adduxit, eumque e solio tantum non deturbavit. Istitus sequentis in familia Davidis Regis domestica calamitatis auctor fuit alter illius Regis filius, videlicet Absalon, fraticida, & optimo parenti suo perduellis. Ille quippe, postquam populum arte & adulazione sibi conciliafet, Davidem, patrem suum, Hierosolymis & Regno expulit, Regiam occupavit, fædissimo stupro & culeo digno, paternas concubinas polluit. Sed paulo post in prælio vicit, dum, mulo infidens, præcipitem arripit fugam, caput suum inter patulae ac condensæ querusc ramos inseruit, iisq; cæsarium suum, seu magnos & fluentes capillos, quos ad decorum gerebat, ita implicauit, ut elabente mulo, quo vehebatur, suspensus hæserit calum inter & terram mediis. Hoc pacto hærentem Absalonem triplici jaculo confudit Ioabus, Dux Davidici exercitus, huncque degenerem filium, qui impia arma contra parrem sustulerat, & per tot scelera rebellionis vexillum erexerat, trucidavit. Hanc tamen cruentam de filio suo Absalone reportatam victoriam luxit impensis David, Rex, tanta videlicet in eo erat paterna pietas, ut etiam paricidam filium e vivis sublatum esse vehementer indoleret. Ad has domesticas Davidicæ familiæ calamitates, novum accessit flagellum, quo Deus Davidem Regem castigavit. Cum enim David, ambitione incitatus, universi populi censum ad metiendas imperii vires instituisset, & a Ioabo, militia Magistro, decies centena, & trecenta ciuium millia dinumerata esfear, Deus per Gadem, Prophetam, triplicem Davidi denunciavit poenam, scilicet famem, bellum, & pestilentiam, deditque arbitrium unam ex his eligendi. Pestem David Rex elegit, momentoque temporis septuaginta milia viorum interierunt, multoque majorem stragem edidisset Angelus, nisi David veniam a Deo precatus, se vivum pro toto populo poenam objecisset, dicendo, se solum esse dignum exitio, quia peccasset: Ego sum, inquit, qui peccavi, ego iniuste egi: Illi, qui oves sunt, quid fecerunt? Verteretur, obsecro, manus tua contra me. Hac supplicatione David iram Dei placavit, & eo in loco, ubi viderat Angelum in vagina gladium recondentem, aram Dominum statuit, eique in gratiarum actionem obtulit Sacrificium. Haec sunt in summa poenæ & calamitates, quas Deus Davidi ob ejus adulterium & homicidium inflixit, ut locum, & tempus ei daret culpam admissam cognoscendi, eamque diurna, laboriosa, ac sincera poeniten-

tia eluendi. In his porro congerminatis poenis ac calamitatibus tutum fæse Dei arbitrio permisit David, ejusque manum ac iustitiam agnoscens prono capite adoravit. Hinc David, dum adversus illum rebellante Absalone, filio suo, fugeret, & in Semei, virum maleficum, a quo per summam injuriam calumniis, maledictis, quin & lapidibus fuit impeditus, incidisset, non solum non respondit, sed Semei convitia ad sui castigationem, & excommunicationem fuisse a Deo ordinata fassus est, prohibuitque Abisai, qui illius blateronis volebat jugulum, unde tot convitia in Regem eruperant, secare, ne vim ei inferret: *Dimitte eum*, inquit, *ut maledicat iuxta preceptum Domini: si forte respiciat Dominus afflictionem meam, & reddit mihi Dominus bonus pro maledictione hodierna* (ib. 2. Regum c. 16.)

D. Composuitne David tempore, quo poenitentiam egit, centum & quinquaginta illos Psalmos, quos in sacro Psalmorum Libro comprehensos habemus?

M. Sancti Patres, *Hilarius Prologo in Psalmos*, & *Hieronymus* in Epistola ad Sophronium centum & quinquaginta illos Psalmos non uni Davidi adscribendos esse docent, quorum sententiam, ut potest probabiliorum, amplector: *Tum quia Davidem non esse auctorem centum & quinquaginta Psalmorum liquet ex ipsis Psalmorum titulis, quibus eorum auctores indicantur, nimurum Asaph, Heman, Idi-thum, Core, & filii ejus, quos Scriptura Sacra lib. i. Paralipomenon c. 25. Prophetas appellant: Tum quia etiam sunt quidam Psalmi, qui ad Tempora Davidis, Regis, nullo pacto referri possunt?* Ex. Gr. Psalm. 126. *Super flumina Babylonis illic sedimus & fluvimus*, cum recordaremur Sion; hunc etenim Psalmum tempore, quo Judei in captivitatem Babyloniam abducti sunt, ac subinde longe post Davidis obitum fuisse conscriptum, unicuique pervium est. Similiter Psal. 125. *In convertendo Dominus captivitatem Sion, &c.* editus est post solutam captivitatem Babyloniam, adeoque ad Davidem pertinere haud potest. Ceterum, quamvis David non omnes centum & quinquaginta Psalmorum composuerit, facet tamen Psalmorum liber nomine Davidis insignitur, tum quia præcipuam lib. Psalmorum partem condidit, tum quia etiam in delectu Hymnorum, in novorum adiectione, in musicis Instrumentis, & in Cantorum dispositione primas partes habuit David, Rex, & insignis illius cura emicuit. Hinc ab ejus nomine tota Psalmorum congeries nomenclatura accepit. Observare tamen debes, in dispositione centum & quinquaginta Psalmorum, qui sacro Psalmorum Libro continentur, non servari ordinem temporum. Nam Psalmus, qui nunc ordine tertius est, quique sic incipit. *Domine quid multiplicati sunt, qui tribulant me, &c.* scriptus fuit, quando David rebellem filium suum Absalonem fugiebat. Psalmus etiam, qui nunc est ordine quinquagesimus, quique incipit his verbis: *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam, &c.* multo ante fuit editus, quando videlicet David de adulterio & homicidio nomine Dei a Prophetâ Nathane increpatus, facti poenitens, resipuit, & ingemuit. Psalmus quoque centesimus quadragesimus primus, qui his verbis auspicatur: *Voce mea ad Dominum clamavi, &c.*

Præcessit tempore utrumque mox laudatum [Psalmum]. Fuit enim a Davide compositus, quando, ob Saulis, Regis, metum, in spelunca delitescebat. Psalmus pariter centesimus quadragesimus tertius præcessit tempore tres illos iam citatos Psalmos. Scriptus quippe est post reportam a Davide, dum adhuc adolescens esset, celebrem de gigante Goliath, Philisteo, vitoriam. Denique, Psalmus septuagesimus primus, qui incipit his verbis: *Deus judicium tuum Regi da*, &c. revera ordine temporis est omnium Psalmorum Davidis ultimus, ut pote ab ipso exaratus, in gratiam filii sui Salomonis, jam regnare incipientis. Hinc ad calcem ipsis Psalmi hac adjiciuntur verba; *Defecerunt laudes David, filii Jesse*. In his autem Psalmis, quos compoñit David, Rex, manifesto appetat, eum Prophetæ munere fuisse insignem, divinitutique afflatum. Multa siquidem in his vaticinatus est, quæ diuturnum post tempus fuerunt ad amissim completa, videlicet futurum Jesu Christi Regnum; ejus generationem cum æternam, tum temporalem; illius Sacerdotium, Sacrificium, mortis ipsius circumstantias, Resurrectionem & Ascensionem. Uno verbo, Mysterium Incarnationis Jesu Christi, totiusque illius vitae cœconomiam prænunciavit Vates ille Regis graphicè descriptus. Vivis etiam coloribus, styli sublimitate, grataque figurarum omnium varietate expressit futuram vocationem Gentium, rejectionum Judæorum, & Ecclesiæ Christi per totum, qua late patet, Orbem propagationem. Quæ omnia legenti Psalmos passim obvia sunt, palamque evincunt, librum Psalmorum nihil aliud esse, quam formam quamdam, & apparatum Novi Testamenti, sicut Sole clarus ostendunt Meldensis Episcopus Jacobus Benignus Bossuet, & Abrincensium Antistes Daniel Huetius, qui duo Auctores, omni exceptione maiores, magna cum eruditio[n]is laude, & majori cum Ecclesiæ utilitate in hoc argumento versati sunt. Diris ergo devoveri debet error Nicolaitarum, Gnosticorum & Manichæorum, quos (sicut ex Philastrio in libro de Hæretibus, refert noster Sixtus Senensis lib. 8. Bibliotheca) effutire non puduit, librum Psalmorum absque ullo Spiritu Sancti afflato fuisse conscriptum, & præter quasdam humanas secularium Poetarum cantilenas, nihil aliud continere. In hunc pestilenter illorum Hæreticorum errorem impeditus Paulum Samosatenum, Theodorum Mopfestenum, in quinta Synodo Generali anathemate percussum, & Anabaptistas, testatur noster jam laudatus Sixtus Senensis. Nec solum David in his, quos concinnavit, Psalmis, Prophetæ dono fuit illustratus, sed etiam toto vitæ suæ curriculo rebus gestis Christum Jesum prænunciavit, ejusque expressum typum gessit.

D. Ostende, quæso, quo pacto David typum gesserit Jesu Christi, Salvatoris nostri?

M. Multis rebus gestis David gessit personam Jesu Christi. In primis, David e Bethleemo oriundus est: Jesus Christus itidem Bethleemi natus est. David adversus Goliathum singulari inito certamine, Populum Israeliticum jugo Philistiorum exē-

mit: Perinde Jesus Christus, expugnato Diaboli Imperio, humanum genus in libertatem filiorum Dei restituit. Variis laboribus, angustiis, & persecutionibus Davidem exercuit Deus, priusquam illum ad dignitatem regiam eveheret: Jesus Christus, cui Pater cœlestis destinarat Regnum Ecclesiæ, quemque unixerat oleo lætitia, dum studet humanum genus a tyrannide Diaboli liberare, nullo non genere insidiarum fuit impetus. Primum, arte, dum tentatur in Deserto, quod idem in David molitus est Saul. Dein, malitia Scribarum & Pharisæorum, qui in perniciem Christi conjurarunt. Præterea, spiritus malus identidem agitabat Saulem, cuius furorem, citharam pulsans David, emollire ac delinire fatagebat, sed nihil proficiebat, imino semper in pejus crecebant ira, quam Saul conceperat in Davidem; ita non dilpari ratione, spiritus malus invasit Scribas, Pharisæos, Sacerdotes Synagozæ, & quamvis Jesus Christus nihil non egerit, ut furorem hunc ex animis Iudaorum eximeret, aut certe mitigaret, nunc blandissime invitans ad salutem, nunc adhortans ad penitentiam, nunc promittens æternam felicitatem, nunc revincens illos testimoniis, nunc increpans ac minitans, ni resipicerent; nihil tamen, propter illorum malitiam, profecit Christus Dominus, quin, Iudaorum ira sic crevit, ut uno ore adversus Christum clamarint omnes: *Tolle, tolle, crucifige eum*. Tertio, Saul objiciebat Davidi, quod esset hostis, quod affectaret Regnum: Pharisæi objecerunt Christo, quod abrogaret Legem, quod seduceret populum, quod loqueretur blasphemias. Quarto, David Arcam fæderis, a Philistæis captam, e dono Abinadab reduxit Hierosolymam: Jesus Christus Ecclesiam, fracta Diaboli potestate, certis sedibus constituit. Quinto, David, post suscepit Regnum, filiorum suorum Absalonis, & Ammonis perduellionem, & scelera expertus est: Adversus Iesum Christum, Regem, & Patrem nostrum, nos peccare non desimus, quos redemit sanguine suo. Denique, pacem Deus per Davidem induxit Populo Israelitico, & adversas ipsæ Gentes subjecit: Pacis & libertatis, a Deo nobis concessæ, afferit ac sequester nobis est Jesus Christus, cui potestas omnis a Patre tradita est. His rebus gestis David gessit personam Jesu Christi, illiusque typum expressit, & ea de causa sepius Prophetæ ipsum Davidis nomen attribuunt Christo Domino, quem venturum Messiam suis Vaticiniis prædixerunt.

D. Fuitne diuturnum Davidis Regnum?

M. Regnavit David quadragesinta annis, videlicet septem annis in Hebrone, & triginta tribus Hierosolymis. Paulo antequam moreretur David, jamque esset septuagenerius, & adeo effeto corpore, ut panorum adjectione cælestieri hand posset, delecta est ad eum sovendum pœlla, dicta Abisig, funamites, quam tamen David Rex casam & intactam reliquit. Adonias, artepta ex Patris infirmitate occasione, Joabi, & Abiatharis consilio instigatus, Regnum occupat. Quod ubi primum David per Nathanem Prophetam, & Bersabeem rescivisset, incunctanter filium suum Salomonem, quem ex Bersabee suscepit,

perat, a *Sadoc*, Sacerdote, *Nathane*, Propheta, & *Banaja*, filio *Jojade*, Gihonem perduictum, Regem inauguri jussit. Quia de re certior factus *Adonias*, ad Aram, facti penitens, ut vita sua conculeret, se secepit, promissoque obsequio, veniam a *Salomon* obtinuit. Migravit e vita Rex *David* anno atatis sue septuagesimo, ejusque loco regnavit ipsius filius *Salomon*, cuius Imperium sapientia ubique celebre, opibus abundans, ditione potens, & pacis munere fuit fortunatum.

D. Initia Regni *Salomonis* hic delibare sufficiet. Cum enim, *Salomon* anno quarto Regni sui jecerit fundamenta Templi Hierosolymitanum, eodemque anno finem habeat sacra Historia quartę Mundi Ætatis, necesse est, ut rerum, quas *Salomon* a quarto anno Regni sui usque ad obitum suum præclare gessit, remittamus ad Colloquia, quæ, proprio Numine, habituri sumus in Historiam quintę Mundi Ætatis, quæ auspicatur a quarto Regni *Salomonis* anno, & pretenditur usque ad captivitatem Babyloniam.

M. Statim ac *Salomon*, mortuo *David*, Regni habendas moderati cœpit, *Adoniam*, fratrem suum, qui in ipsum conjuraverat, de medio tolli jussit. *Joabus*, militiae *Davidis* antehac Dux, qui *Adonia* conjurationis reus erat, quique sibi metuens ad Aram confugerat, iussu eiusdem Regis interfactus est a *Banaja*, filio *Jojade*, quem ideo sui exercitus Ducem constituit; *Abiatharem*, Sacerdotem, *Adonie* conjurationis itidem concicium, sacerdotio exxit, & in ejus locum suscepit *Sadoc*. Morte etiam *Semei*, qui *Davidem* Regem convitiis lacesiverat, mulctavit Rex *Salomon*, sique, sublatu omnī conjurationis vestigio, tranquillum, & alta pace beatum obtinuit Imperium, & *Pharaonis*, Regis Ægypti, fidem, uxorem duxit. Dedit Deus *Salomoni* in somnis optionem petendi quæ vellet. Ait ipse, cadas res parvi æsimans, sapientiam poposcit, & obtinuit a Deo. Mox excitatus a somno *Salomon*, sapientia, abi induitæ a Domino, egregium specimen dedit in judicio duarum mulierum, quæ una in domo diversantes, cum eodem tempore enixa essent pueros, atque ex his unus post diem tertium nocte extinctus esset, mater defuncti filii, somno alterius insidiata, mortuum filium suum supposuit, & vivum abstulit. Hanc mulierum de pueru altercationem ad se delatam, ut dirimeret Rex *Salomon*, divinitate sapientia mulierei jussit, ut infans vivus per medium gladio discinderetur, & utriusque ambienti mulieri pars tribueretur. Acquievit quidem huic judicio mulier una; sed illa, quæ erat germana parens, maternis commotis visceribus, necem pueri deprecata est, maluitque ut infans alteri daretur mulieri vivus, quam si disperperetur. Tunc *Salomon* ex affectu hujus feminæ hanc vere esse matrem conjectans, puerum ei, cum maxima circumstantium admiratione, adjudicavit. Hujus prædictissimi judicii fama longe lateque diffusa magnam Regi *Salomoni* auctoritatem ac reverentiam apud subditos conciliavit, excitavitque plures vicinarum Gentium Reges, ut cum illo amicitudi, sœdisque inirent, parati imperata facere. (a) Interea, *Salomon*, florens opibus, ornatum, qui unquam fuerant, Regum ditissimus,

Jussis Dei, & patris sui *Davidis* obtemperans, Templum Domino immensi operis Hierosolymis facere aggressus est, & paratis per triennium impendiis, anno quarto Regni sui jecit fundamenta augustinissimi, totoque Orbe celeberrimi Templi, quod non modo materie magnificentia, atque artis varietate, sed structura elegantissima forma, cætera omnia, quæ postea in orbe Templa fuerunt ædificata, obscuravit, nullunaque unquam habuit secundum. Sed, quia de Templo Salomonico jam cepimus habere sermonem, non abs re erit paucis hic confutare duoram Scriptorum, scilicet *Joannis Marshami* in Canone Chronico, & *Joannis Spenceri* lib. 3. *De Legibus Hebraeorum Rituibus Dissertatione VI.* novam & singularem opinionem. Afferunt quippe duo illi Scriptores, rerum novarum, ut saepius jam in nostris Colloquiis observavimus, cupidissimi, Deum, intuitu Prophanorum Temporum, que Israelita olim in Ægypto viderant, sese ruditati Gentium, faciliusque moribus accommodasse, Judæis fabricam Templi Salomonici concessisse, indeque concludunt, Templi Salomonici originem nec ad Dei consilium, astharum, & auctoritatem, nec ad *Davidis* & *Salomonis* pietatem esse referendam, sed illam arcendiā ex Ægyptiaca superstitione, vel ex ruditate Gentium, quibus solemnē erat Diis suis Tempa consecrare. Sed hoc vanum & insulsū commentum multis momentis refelli potest. Primo, quia Scriptura Sacra diserte afferit, *Salomonem*, jubente Deo, Templum Hierosolymitanum excitas. Sic enim *Salomon* in literis, quas ad *Hiramini*, Regem Tyri, scripsit, ut ab ipso ligna, ad strukturam Templi necessaria, obtineret, effatur: *Quonobrem cogito edificare Templum nomini Dei mei, sicut locutus est Dominus David patri meo, dicens: Filius tuus, quem dabo pro te super solium tuum, ipse edificabit Demum nomini meo.* lib. 3. Regum cap. 5. Idem testatur Scriptura Sacra c. 22. l. 1. *Paralipomenon*. Cum igitur Scriptura Sacra conceptis verbis dicat, *Salomonem* Templi Hierosolymitani fabricam secundum Dei imperium suscepisse ac perfecisse; nemo citra temeritatem, ne quid gravius dicam, affirmare potest, sacrum illud opus æmulatione Ægyptiaca superstitionis, vel ruditatis Gentium prophanorum, quæ seculi morum imitatione fuisse a *Salomon* cœptum atque absolutum. Secundo, si *Salomon* in constructione Templi Hierosolymitani aliquem ad Ægyptiacam superstitionem, ad ruditatem Gentium, & ad prophanos seculi mores respectum habuisset, omni procul dubio Deus, Optimus Maximus, qui superstitiones Gentilium, & prophanos seculi mores vehementer detestatur, hanc *Salomonis* voluntatem gratam minime habuisset, nec ei Templum illud a *Salomon*, ad imitationem prophanorum Temporum extructum, placere ullo pasto potuisset; atqui tamen Scriptura Sacra c. 8. lib. 2. Regum ubi Templi Salomonici describitur dedicatio, aperte innuit, Deum, absoluta semel Templi fabrica, cum eius dedicatio solemnī ritu, eaque pompa ac inspectante universo populo, ea celebritate fieret, quæ responderet ædificio, dupli miraculo significasse quam

quam sibi gratum acceptumque esset sacrum illud opus. Nubes enim, Dei Majestatis index, totam implevit Dominum, in qua Deus hoc visibili signo se singulari quadam ratione presentem esse testatus est, ut populi sui sacrificia precenque susciperet, suaque beneficia in Templo illo orantibus conferret. Secundo, ignis de Cælo delapsus parata holocausta, & victimas combussit, ut hoc itidem sensibili signo ostenderet Deus, quam accepta haberet illa Sacrificia, que offerebantur in Templo. An, queso te, ab Ægyptiaca superstitione, & ruditate Gentium, & prophana saeculi consuetudine profectum opus ita Deus praesentia sua cohonestasset, approbasset, & miraculis illustrasset? Tertio, Prophanæ Gentes ideo Diis suis Templorum confecrabant, quod putarent, Deos suos ita Templis esse alligatos, ut alibi obturatas aures ad eorum vota haberent, ideoque illos, si sub axe nudò, & atberco tegmine invocati fuerint, nibil audire, & nisi de proximo his admovereantur preces, tanquam nihil dicatur, obstructos atque immobiles stare, sicut ait ille Ethnicus, quem sic loquentem Arnobius libro sexto introducit. At, Rex Salomon Templum condidit, ut in illud Populus Israeliticus ad Deum colendum & orandum conveniret, non quasi ejus potentia & gratia sacro huic Templo esset alligata, & divina Majestas angustiis Sacrae istius Ædis inclusa. Ab hoc pariter errore prophanarum Gentium, quæ opinabantur, suorum Numinum potentiam & gratiam sacris Ædibus, & statu esse obligatum, abhorrebat quam maxime Israelitæ, qui probe noverant, Noachum, Abramum, Isacum, Jacobum, Moysen & Davdem, Preces, Vota, Sacrificia Deo obtulisse, & alia Religionis officia in omni loco implevisse, Deumque nec Templo, nec Cælo & Terra, nec toto Orbe capi & circumscribi posse palam profitebantur: Si enim Calum, & Cali Galorum te capere non possent, quanto magis Demus hic, quam edificavi, dicebat Domino Salomon, solemnum Templi consecrationem peragens, sicut legitur lib. 3. Regum c. 8. Qua fronte igitur duo jam citati Scriptores Marshamus, & Spencerius ausi sunt religiosissimo Salomoni, & veris Israelitis, qui, repudiata omni Gentium superstitione, unius veri Dei Majestatem summam, infinitam, immensam, & omnipotentissimam colebant, crassum illum & absurdum astingere errorem Gentilium, qui tam perverse & indigne de Deo judicabant, ut illum Templi septis circumscriptum arbitrarentur, quem errorem derisisse ipse dicitur Demonax, Idolatria licet cultor, qui sicut resert Lucianus in ejus vita cuidam ex amicis dicenti: Abeamus, o Demonax, in Æsculapii Templum, pro filii salute oraturi, festive respondit: vehementer sursum existimas Æsculapium, si nec istic nos orantes exaudire potest. Quarto, verosimile non est, Deum, qui Ethnorum superstitiones averfatur, & ab eis Populum Israeliticum multis conditis Legibus avertit, permisisse, ut Salomon, Regum sapientissimus, Templum juxta superstitiones Ægyptiacas, & prophanos saeculi mores conderet, in quo divina ipsius Majestas speciatim coleretur. Dicendum

itaque est, Salomonem non humano consilio, non arbitratu suo, non ex ruditate Gentium, sed Dei afflatu, nutu, & auctoritate facri Templi Hierosolymitanus extriuendi provinciam suscepisse, in quo, sicut divinam deceat Majestatem, omnia ad pompam & splendorem magnificentissime erant composita, & in structura elegantia materia cum opere, & natura cum arte certare videbantur. Que Templi magnificentia, rerunque omnium splendidissimus apparatus amplitudinem, pulchritudinem & gloriam Ecclesie Christi adumbrabant, sicut docent S. Augustinus pluribus in locis præsertim lib. 18. *De Civitate Dei* c. 1. Theodo- retus Quæst. 1. in l. 1. *Paralipomenon*, & Venerabilis Beda lib. 2. *De Tabernaculo* cap. 1. Sed de Templo Hierosolymitano a Salomone extracto, & de illius Regis rebus præclare gestis, plura, si votis nostris adipserit Deus, dicturi sumus in Colloquiis, quæ habebimus in Historiam quintæ mundi Aetatis.

(a) Hanc Salomonis in judiciis ferendis sagacitatem adumbrarunt Indi istam seu fabellam, seu veram historiam narrantes. Magi riadramem Indorum Rex prudentia, ac sagacitate ceteris omnibus mortalibus præstabat, prout hoc specimen demonstratur. Geminæ erant mulieres uni eidemque viro nuptæ, quarum altera singulari forma præstabat, sed caret rebat filiis; altera vero ingrato aspectu displicebat, sed viro suo filium generat; at nec ita tamen impetrare potuit, ut a viro amaretur, cuius tota dilectio formosa mulier addicebatur. Odium hinc in amulam conceptum, & ultiōis consilium agitatum, cuius exequandi hanc inivit artem. Principio quidem virti contemptum patienter se ferre simulans, nihil sibi deesse ad solarium dictabat, dum filium haberet, quem unice habebat in deliciis. Ita re comparata, dum vir nobis quadam absuisset, & uxor altera dormieret, infantis filii collum vi obtorsit, ejusque ita interseccli cadaver proelatus soporantis mulieris collocavit, tum demum in speciem derimentiis quievit. Summo mane experientia ad amplexum infantis manum porrigerem simulans, nec repertum, oculis circum conversis examinem ad amulæ latus intuiva est. Opplere domum clamoribus, ejulatibus, accusare alteram ream atrocis delicti, alte inclamare, conviciis, injuriis, querelis illam male habere. Accurrent ad strepitum vicinia, totumque demum oppidum, raptaque statim ad judicem mulieres, quarum amba altera alteram incubabat. Judge cernens rem ambiguitatibus intricatam ad nodum resolvendum utendum sibi esse solertia censuit. Quare ad mulieres conversus dixit se tunc veritatem investigatrum, si quæ ex illis totum illum hominum cætum, qui præsens aderat, circuire fusti neret eo gesu corporis sedo, & in modo, quem ipse indicavit. Hæc Judicis propositi cum riu excepta est, statimque se mulier criminis conscientia obtulit ad parendum, nec semel

„ tantum, sed & quoties Judex voluisse. Altera „ vero mulier hærente primum visa est, tum ani- „ mo despondere, quod intelligeret, quanto in „ discrimine versaretur sive pudicitia, si Judici „ pareret, sive mortis, si recusaret. Demum „ confirmator facta recusavit se hoc prelio vi- „ tam redempturam. Tunc judex inopinatam „ sententiam proferens, postremam hanc mu- „ lierem insontem; ream alteram declaravit, „ obtendens impossibile esse, ut quæ ad deli- „ ctum vel ipso mortis imminentis metu inclinari „ non est passa, ad crimen adeo tetur, & atrox trahi, „ quantovis esset in æmulam odio, nequaquam „ permisisset. Hæc apud Indos fama, quæ si „ vera est historia, Salomonis sagacitatem ra- „ ram quidem, sed non singularem extitisse de- „ monstrat; si fabella, ad normam judicij Sa- „ lomonici conficta videri potest, atque docet „ Salomonis formam in remotas usque illas „ regiones penetrasse. Habui vero hæc ex libro „ Gallico *Recueil d'Observations sur les Moe-* „ *urs &c. des Peuples de l'Asie, de l'Afrique,* „ *& de l'Amérique*, Parisiis edito an. 1749.

D. Satis, opinor, expendimus haec tenus ea, quæ spectant Historiam quartæ Mundi Ætatis. Nunc sub fine Colloquii nostri præstat ut accuratam tradas seriem annorum, qui effluxerunt a profec-  
tione Israelitarum ex Ægypto, unde incipit quarta Mundi Ætas, usque ad quartum Regni Salomonis annum, quo jacta sunt Templi Hierosolymitani fundamenta, ubi definit quarta ista Mundi Ætas.

M. De annis, qui ab exitu Populi Israelitici ex Ægypto usque ad quartum Regni Salomonis annum effluxerunt, non una est Chronologia peritorum sententia. Alii numerant dumtaxat annos quadringentos octoginta. Quem numerum probare videtur Scriptura Sacra, quæ c. 6. lib. 3. Regum hæc habet: *Factum est ergo, inquit, quadringentesimo & octogesimo anno egressionis filiorum Israel de Terra Ægypti; in anno quarto, mense Zio (ipso est mensis secundus) Regni Salomonis super Israel, edificari cœpit domus Domina.* Eudem annorum quadringentorum octoginta numerum ab exitu filiorum Israel ex Ægypto usque ad fabricam Templi Salomonici exhibent omnes Codices sacri Hebrai, Graeci, Latini, Syriaci, Arabi. Sunt alii Chronologi, qui annos servitutis Israelitarum seorsim numerantes distinctos ab annis Præfecturæ Judicum, existimant, malto plures, quam quadringentos & octo-  
ginta annos elapsos fuisse ab exitu Israelitarum ex Ægypto usque ad quartum Regni Salomonis annum, quo cœpta est structura Templi Hierosolymitani. Sed, quia locus Scripturæ Sacrae mox a me citatus præfigit epocham quartæ Mundi Ætatis ad annos quadringentos & octoginta ab egressione Is-  
raelitarum ex Ægypto usque ad quartum Salomonis annum, ideo illi Chronologoi, ut gordium illum nodum dissolvant, ajunt, in caput sextum libri tertii Re-  
gum, ubi quartæ Mundi Ætatis Epocha ad annos quadringentos octoginta refringitur, negli entia Librariorum irrepsisse mendum. Sic censem Sulpitius Severus lib. 1. Historiæ Sacrae, Carolus Sigonius

in suo Commentario ad hunc *Sulpitii Severi lo-*  
*cum, Melchior Canus c. 5. lib. II. De locis Theologi-*cis, Ludovicus Capellus in sua Chronologia Sacra,*  
*& Gerardus Vossius c. 7. Iagoge Chronologie.* Sed hæc Scriptorum conjectura, ceu vana & temeraria rejici debet, quia nemini fas est quidquam addere, vel demere Scripturæ Sacrae, eamque alicujus mendi, seu vitil infimulare.*

D. Censes igitur, a profecione Israelitarum ex Ægypto usque ad quartum Regni Salomonis annum, quo jacta sunt Templi Hierosolymitani fundamenta, effluxisse tantummodo quadringentos & octoginta annos, sicut legitur cap. 6. lib. 3. Regum?

M. Censo, nullum negligentia Librariorum in caput sextum libri 3. Regum irrepsisse mendum, quia Scriptura Sacra eo loci, prætermis-  
sis annis servitutum Israelitarum, per centrum dum-  
taxat annos Præfecturæ *Judicum*, indeque juxta accuratum calculum, a profecione Israelitarum ex Ægypto usque ad quartum Regni Salomonis annum colligit tantum quadringentorum octo-  
ginta annorum summam. At, si, præter annos Præfecturæ *Judicum*, numerentur seorsim servitu-  
um & oppressionum Israelitarum anni, quos Scriptura Sacra in libro *Judicum* distinctim recen-  
set, plane comperietur, ex calculo annorum tam Præfecturæ *Judicum*, quam servitutum & oppres-  
sionum Israelitarum exurgere summam annorum sexcentorum & sex annorum, qui interfluxerunt ab egressione Israelitarum ex Ægypto usque ad quartum Regni Salomonici annum, hoc est, us-  
que ad fabricam Templi Hierosolymitani. Non me latet quidem, plures esse sacræ Chronologiae peritos, qui pertendunt, annos servitutum, & oppressionum Israelitarum promiscue confundi debere cum annis præfecturæ *Judicum*, subindeque ab exodo, seu ab exitu filiorum Israel ex Ægypto, usque ad quartum Regni Salomonis annum putari tantum debere annos quadringentos octo-  
ginta. Verum, hanc sententiam quamvis probabilem, meo calculo probare haud possum. Pri-  
mo, quia Scriptura Sacra accurate in libro *Judicum* distinguunt annos servitutum, seu oppressionum Israelitarum, ab annis Præfecturæ *Judicum*, ait que tempore oppressionum, seu servitutum Israe-  
literum, nullam fuisse quietem, sed potius res afficias, turbatas, & sus deque omnia confusa;  
quando vero Deus suscitabat *Judices*, qui Israe-  
litæ e servitate liberabant, toto durante Præ-  
fecturæ illorum *Judicum* tempore, pace & quiete Israelitas fructos esse. Hi igitur Chronogra-  
phi, qui annos servitutum Israelitarum confun-  
dunt cum annis Præfecturæ *Judicum*, vim Scripturæ Sacrae in aperta narratione afferunt ma-  
nifestam, & turbidos atque inquietos annos cum tranquillis & quietis *Judicum* annis perperam confundunt. Præterea, licet Scriptura Sacra cap.  
6. lib. 3. Regum numeret dumtaxat annos Præ-  
fecturæ *Judicum* non computari annis servitu-  
um Israelitarum, inde tamen falso infertur, annos servitutum Israelitarum confundi debere cum annis Præfecturæ *Judicum*. Ratio in prom-  
ptu

ptu est, quia Scriptura Sacra, ut norunt omnes, aliquando filet alicubi nonnulla, que tamen alibi differte commemorat, sicut Ex. Gr. cap. xi. libri Genesis, & cap. i. libri Paralipomenon alto filientio Scriptura Sacra in Editione Vulgata prætermittit generationem Cainanis, Patriarchæ postdiluviani, quamvis tamen illius Patriarchæ generationis distinctam mentionem faciat cap. 3. Evangelii S. Luca, ubi describitur Genealogia Jesu Christi, Salvatoris nostri. Similiter etiam S. Mattheus cap. i. sui Evangelii, texendo stemma ejusdem Domini nostri Jesu Christi, aliquot generationes Regum prætermisit, quarum tamen Scriptura Sacra in libris Regum expresse meminit. Ita non dispari ratione, Scriptura Sacra cap. 6. lib. 3. Regum numerat tantummodo annos Præfecturae Judicum, & omittit annos servitutum Israëlitarum, & juxta hanc calculum, jure optimo Scriptura Sacra eo loci deducit, ab exitu Israëlitarum ex Ægypto usque ad quartum Regni Salomonis annum, summam annorum 480. At, Scriptura Sacra in libro Judicum accurate & seorsim annos servitutum Israëlitarum distinguunt ab annis Præfecturae Judicum, atque ex eo, quem ibidem pónit, calculo coalescit summa sexcentorum & sex annorum, qui excurrerunt a profectione Israëlitarum ex Ægypto usque ad quartum Regni Salomonis annum. Denique, non sibi constant isti Chronographi, qui annos servitutum Israëlitarum indiscriminatum confundunt cum anni Præfecturae Judicum. Sunt enī inter illos nonnulli, qui aliquarum servitutum Israëlitarum annos discernunt ab annis Præfecturae Judicum, cæterarum vero servitutum Israëlitarum confundunt cum annis Judicum. Quero igitur ab his Chronographis, ut quid annos quarundam servitutum Israëlitarum tam accurate distingui velint ab annis Præfecturae Judicum, cæterarum vero servitutum Israëlitarum annos confundant cum annis Præfecturae Judicum? Quod si causam reddere ne unam quidem idoneam possunt, sane aut servitutum quarundam filiorum Israel annos abjicant, & summa erit minor, quam ex sacro Judicum libro colligitur, aut omnium servitutum, quibus mancipati fuerunt Israëlite, annos distinguant, ut par est, ab annis Præfecturae Judicum, & sic annorum summa major erit, quadrabitque optimè cum sacra Historia libri Judicum, ubi omnium servitutum Israëlitarum anni percentsentur, ab annis Præfecturae Judicum, distincti. Obiter tamen advertere debes, doctissimum Abbatem Paulum Pezronum cap. 8. libri, cui titulus, est: *Antiquitas temporum restituta*, non solum servitutum Israëlitarum annos distinguere ab annis Præfecturae Judicum, verum etiam admittere Anarchias, seu quedam Interregna, quæ putat præcessisse servitutes Israëlitarum, & quorum durationis annos seorsim ab annis servitutum Israëlitarum, & annis Judicum numerari debere pertendit. Quo fit, ut prædictus Auctor (reclamantibus licet omnibus sacris Codicibus Hebreis & Græcis) numeret ab egressione Populi Israëlitici ex Ægypto usque ad quartum Regni Salomonis annum, id est, usque ad fabricam Templi Hierosolymitanæ, summam annorum octingentorum septua-

ginta triam. Sed ipse, tametsi ultra fatear, possit mortem Caleb, & Seniorum extitisse Anarchiam, seu Interregnum sex annorum (in quo, ut superius observavimus, contigit flebilis illa infelicitas Levitæ historia, qua cap. 19. libri Judicum narratur, nec non altera Miche, & Danitarum historia, quæ refertur cap. 17. & 18. ejusdem libri) existimo, prater illam Anarchiam, seu Interregnum præcessisse servitutes Israëlitarum, ant, si quæ præcesserint, brevissima fuisse, cumque tempus illorum Scriptura Sacra in libro Judicum non definiat, consultus esse hujusmodi Anarchias, seu Interregna eo temporis intervallo concludere, quod Terræ quieti, seu Præfectura Judicum assignatur in libro Judicum. Idem dicendum puto de Judicatura Samgaris, quem Scriptura Sacra in libro Judicum immediate recentet post Ad, qui judicavit Israëlem octoginta annis. Nam, cum Scriptura Sacra nullos Judicaturæ Samgaris attribuat annos, verosimilius est, breve Samgaris Judicaturæ tempus comprehendendi in annis præcedentibus octoginta Judicaturæ Ad, vel in annis servitutis, qua Jabin, Rex Chananæorum, dicitur oppressisse, post mortem Judicis Ad, Israëlitæ annis viginti.

D. Ut accuratum possim habere computum annorum, qui effluxerunt a profectione Israëlitarum ex Ægypto usque ad quartum Regni Salomonis annum, id est, usque ad fabricam Templi Hierosolymitanæ, obsecro te, ut hic inferas Tabulam Chronologicam, quæ comprehendet summam annorum tam servitutum Israëlitarum, quam Præfecturae Judicum, quos seorsim numerandos esse probabilius arbitris.

M. Votis tuis faciam satis, & accuratam hic attexam Tabulam Chronologicam, quæ comprehendet summam annorum, qui ab egressione Israëlitarum ex Ægypto usque ad quartum Regni Salomonis annum, seu usque ad fabricam Templi Hierosolymitanæ Templi, decurrerunt, simulque annos servitutum Israëlitarum, distinctos ab annis Præfecturae Judicum, sedulo annotabit, atque cum annis ab Orbe condito connectet.

#### TABULA CHRONOLOGICA

*Sexcentorum & sex annorum, qui in quarta Mundi Æstate, hoc est, ab exitu Israëlitarum ex Ægypto usque ad quartum Regni Salomonis annum, seu usque ad fabricam Templi Hierosolymitanæ interfluxerunt.*

**M**oyses, postquam per annos quadraginta Populo Israëlico præfuerit, mortuus est anno ætatis suæ centesimo vigesimo, anno. Mundi bis millesimo quingentesimo quinquagesimo tertio. Post egressionem vero Israëlitarum ex Ægypto, anno quadragesimo.

**Josue**, post mortem Moysis, præfuit sexdecim annis Reipublicæ Hebraeorum, & mortuus est anno Mundi bis millesimo quingentesimo sexagesimo nono.

Post mortem Josue, Seniores cum Caleb preueniunt Hebraeorum Reipublicæ annis decem, eorum.

eorumque Praefectura desit anno Mundi bis millesimo quingentesimo septuagesimo nono.

Post mortem Seniorum fuit Anarchia, seu Interregnum sex annorum, quod finem habuit anno Mundis bis millesimo quingentesimo octogesimo quinto.

Post illud sex annorum Interregnum, Israelitae servierunt sub *Chusane*, Rege Mesopotamiae, annis octo, & haec servitus finem habuit anno Mundi bis millesimo quingentesimo nonagesimo tertio.

*Othoniel*, postquam *Chusane*, Regem Mesopotamiae, devicisset, judicavit populum annis quadraginta, & vita funetus est anno Mundi bis millesimo sexentesimo trigesimo tertio.

Post mortem *Othonielis*, Israelitae servierunt annis decem & octo sub *Eglone*, Moabitum Rege, & haec servitus finem habuit anno Mundi bis millesimo sexcentesimo quinquagesimo primo.

*Aod*, post victoriam de Moabitis reportatam, judicavit populum annis octoginta, & mortuus est anno Mundi bis millesimo septingentesimo trigesimo primo.

Post mortem *Aod*, per paucos menses *Samgar* judicavit populum; sed quia illius Judicatura tempus Scriptura Sacra non assignat, verosimilium est, *Samgari* Judicaturam comprehendendi debere in annis praecedentibus octoginta Judicaturae *Aod*.

Post mortem *Samgari* servierunt Israelitae sub *Jabine*, Chananorum Rege, annis viginti, & haec servitus finem habuit anno Mundi bis millesimo septingentesimo quinquagesimo primo.

*Barac & Debora*, post devictum *Sifferam*, subactoque Chananeos, judicarunt populum annis quadraginta, eorumque Judicatura desit anno Mundi bis millesimo septingentesimo nonagesimo primo.

Post mortem *Barac & Debora* servierunt Israelitae Regi Madianitarum annis septem, & haec servitus finem habuit anno Mundi bis millesimo septingentesimo nonagesimo octavo.

*Gedeon*, debellatis Madianitis, judicavit Israelem annis quadraginta, & excessit e vivis anno Mundi bis millesimo octingentesimo trigesimo octavo.

*Abimelechus*, Gedeonis ex concubina filius, judicavit Israelem, seu potius tyramidem exercuit per tres annos, qui finem habuerunt anno Mundi bis millesimo octingentesimo quadragesimo primo.

*Thola*, post *Abimelechum*, judicavit Israelem annis viginti tribus, qui finem habuerunt anno Mundi bis millesimo octingentesimo sexagesimo quarto.

*Jair* judicavit Israelem annis viginti duobus, qui desierunt anno Mundi bis millesimo octingentesimo octogesimo sexto.

Post mortem *Jair* servierunt Israelitae Ammonitis annis octodecim, & haec servitus finem habuit anno Mundi bis millesimo nongentesimo quarto.

*Iephite* judicavit Israelem annis sex, & obiit anno Mundi bis millesimo nongentesimo decimo.

*Abesan* judicavit Israelem annis septem, & mortuus est anno bis millesimo nongentesimo decimo septimo.

*Helon*, seu *Aialon*, judicavit Israelem annis decem, & excessit e vivis anno bis millesimo nongentesimo vigesimo septimo.

*Abdon* judicavit Israelem annis octo, & mortuus est anno Mundi bis millesimo nongentesimo trigesimo quinto.

Post mortem *Abdonis* Israelitae servierunt Philistae annis quadraginta, & haec servitus finem habuit anno Mundi bis millesimo nongentesimo septuagesimo quinto.

*Samson* judicavit Israelem annis viginti, & abiit e vivis anno bis millesimo nongentesimo nonagesimo quinto.

*Heli*, post mortem *Samsonis*, judicavit Israelem annis quadraginta, & migravit e vita anno Mundi ter millesimo trigesimo quinto.

*Samuel*, & *Saul*, primus Israelitarum Rex, praeuerunt Israelitis annis quadraginta, qui terminantur anno Mundi ter millesimo septuagesimo quinto.

*David* regnavit annis quadraginta, videlicet septem annis in Hebrone, & triginta tribus Hierosolymis, & extrellum diem clausit anno Mundi ter millesimo centesimo decimo quinto.

*Salomon*, anno Regni sui quarto, qui incidit in annum Mundi ter millesimum centesimum decimum nonum, & in annis ab egressione Israelitarum ex Egypto sexentesimum sextum, jecit fundamenta magnificentissimi post hominum memoriam Templi Hierosolymitani, cuius fabrica per septem annos continuata est, ac subinde absoluta anno undecimo Regni *Salomonis*, & anno Mundi ter millesimo centesimo viagesimo sexto.

Habes nunc exactam Tabulam Chronologiam sexcentorum & sex annorum, qui ab exitu Populi Israelitici ex Egypto usque ad quartum Regni *Salomonis* annum, quo jacta sunt Templi Hierosolymitani fundamenta, elapsi sunt. Quem calculum si conferas cum sacro libro *Judicum*, in quo anni Praefectura *Judicum* numerantur omnino, distincti ab annis servitutum Israelitarum, invenies esse accuratissimum, ultiisque fateberis contrectiorem esse illorum calculum, qui, annos servitutum Israelitarum cum annis Praefecturae *Judicum* perperam confundentes, numerant dampnata ab egressione Israelitarum ex Egypto usque ad quartum Regni *Salomonis* annum, quo cepta est Templi Hierosolymitani structura, annos quadragesimos octoginta.

D. Multum sane mihi arrider iste quartus Mundi *Ætatis* annorum calculus, tum quia ei suffragatur sacer *Judicum* liber, in quo anni servitutum Israelitarum seorsum numerantur ab annis Praefecturae *Judicum*; tum quia etiam praedictos ille, quem subduxisti, calculus sexcentorum & sex annorum, qui effluxerunt ab exitu Israelitarum ex Egypto usque ad quartum Regni *Salomonis*

gni *Salomonis* annum , optime conciliat apparentem illam in numeris antilogiam , quæ reperitur inter caput sextum lib. 3. Regum , & sacrum librum *Judicium*. Nam , eo in capite sexto libri tertii Regum ideo ab exitu Israelitarum ex Ægypto usque ad quartum Regni *Salomonis* annum percentur duntaxat anni quadringenti octoginta , quia ibi Scriptura Sacra numerat tantum annos Præfaturæ *Judicium* , prætermisis annis servitutum Israelitarum . At , in libro *Judicium* Scriptura Sacra , præter annos *Judicium* , explicate ac distincte annos servitutum Israelitarum enumerat , ex

quibus simul supputatis emergit summa annorum sexcentorum & sex annorum , qui a profectione Israelitarum ex Ægypto usque ad quartum Regni *Salomonis* annum præterlapsi sunt ; unde plane consequitur , nullam veram & realem in numeris extare contradictionem inter caput sextum libri tertii Regum , & sacrum *Judicium* librum . Sed tempus est ut Colloquio nostro , & Historiaæ quartæ Mundi Ætatis finem imponamus , ea tamen Lege , ut , si Deus nos sospites , & incolumes seruet , Colloquia in Historiam quintæ Mundi Ætatis proxima hebdomada simus auspicaturi .

*Finis Tomi Secundi,*

112 113 114 115 116 117 118 119 120 121

etiam quodcumque deinde distinxerit hunc modum  
convenientem, tunc non in 30 profundetur  
in se membris, sed in aliis etiam in longioribus  
etiam quodcumque deinde distinxerit hunc modum  
convenientem, tunc non in 30 profundetur  
in se membris, sed in aliis etiam in longioribus

etiam quodcumque deinde distinxerit hunc modum  
convenientem, tunc non in 30 profundetur  
in se membris, sed in aliis etiam in longioribus  
etiam quodcumque deinde distinxerit hunc modum  
convenientem, tunc non in 30 profundetur  
in se membris, sed in aliis etiam in longioribus

112 113 114 115 116 117 118 119 120 121

112 113 114 115 116 117 118 119 120 121